Digitized by Google

BIBLIOTHÈQUE DE LA VILLE
LYON

910-Ch¹ p 285

Ziegler
(Gaspard)

3282383

328238
Lutherani

CASPARIS ZIEGLERI,

De

DIACONIS
&
DIACONISSIS
Veteris Eccleſiæ

LIBER COMMENTARIUS.

BIBLIOTHEQUE DE LA VILLE DE LYON

VVITTEBERGÆ
Sumptibus Hæredum Jobi VVilhelmi Fincelii
Anno M DC LXXVIII.

B. K. +

PERILLUSTRI DOMINO

DN. HENRICO

LIBERO BARONI A FRIESEN

Domino in Schönfeld / Putzkau / Graupa/Jeſſen & Praſchwitz/ &c.

SERENISS. AC POTENTISSIMI ELECTORIS SAXONIÆ COMITI ET CONSILII INTIMI DIRECTORI, &c:

DOMINO MEO GRATIOSISSIMO.

BIBLIOTHEQUE DE LA VILLE LYON

AGnoſco, DOMINE, ab eo tempore, qvo TE Mœcenatem habere contigit, & ex qvo minimæ etiam parti tantæ tuæ fortunæ adhæſi, clariſſimum me inter noſtros redditum, & dignitatum Academicarum faſtigia te Autore occupaſſe penè immaturum. Nec enim affirmare ſuſtineo, meruiſſe id induſtriam meam, qvam nec ipſe tùm promittere potuiſſem ſatis convenientem, niſi ſpem concepiſſes, fore eam aliqvando iſti muneri haud imparem. Futuris igitur magis dum me deſtinaſti temporibus, qvid præſtiterim illis ſubſecutis, ipſe ex TE audiam. Hoc certè operam dedi enixè, ne per otium obſcuram, & ignobilem expectarem ſenectutem. Et qvo minus id facerem, TUA me identidem excitavit bene-

benevolentia. Nec diffiteor, contemplatione virtutum tuarum & ſingularis planè atqve diffuſisſimæ eruditionis adductum me fuiſſe, ut ipſe etiam ambularem viam non omnibus tritam, longiùs iturus, niſi corporis ægri vitia ſeſe proderent ſubinde haud pauca. TUA igitur benignitate dum ago, qvicqvid ago, nuncupare TIBI omninò volui, qvia debui, exiguum hoc opuſculum, ab reliqvis meis ſcriptis nunc fortè diverſum, qvod acriùs hodiè premar curis domeſticis, defunctâ conjuge, qvæ eas olim ſuſtinuit univerſas ſola.

DEUS TE SERVET.

Dab. Dresdæ d. 9. April. 1678.

PRÆFATIO.

DUm ſpartam, qvam nactus ſum, ornare ſatago, dumqve ſaxum iſtud, qvod ex Decretalibus Romanorum Pontificum epiſtolis mihi natum eſt, aſſiduè volvo, & varia vel illuſtramenta vel ἁμαρτήματα ſubinde colligo atqve obſervo, qvotidianam mihi cum illis, qvi Eccleſiæ Chriſtianæ ſe miniſtros profitentur, rem eſſe intelligo. Nec enim occurret facilè Conſtitutio aliqva, qvæ non mentionem faciat vel Epiſcopi, vel Diaconi aut alterius alicujus, ex ordine vel τῶν ἱερατικῶν, vel τῶν κληρικῶν, ſaltem in frontiſpicio & inſcriptione. Suboriri mihi inde ſolent de Rep. Eccleſiaſticâ, qvalem ea faciem habuerit olim, qvamqve aliena à ſe ipſa facta deinde fuerit, freqventisſimæ conſiderationes. Neqve crediderim ego, Apoſtolorum temporibus de Rep. tali, qvalis nunc Romæ conſpicitur, cogitatum fuiſſe, tantum abeſt, ut perſvaderi mihi patiar, autores eos hujus rei extitiſſe. Ecce enim, dum Pontificem primùm, deinde Cardinales,

Patriar-

Patriarchas, Primates, Archiepiſcopos, Epiſcopos, & poſt hos Archidiaconos, archipresbyteros, proximos ab his presbyteros & diaconos atqve ſubdiaconos, tandem acolythos, exorciſtas, Lectores, Oſtiarios intuemur, eorumqve officia, qvalia nunc ſunt, attendimus, atqve præcipuos iſtos magno & veſtimentorum ſplendore, & comitatûs magnificentiâ, & affectatâ inſuper geſtuum compoſitione ſuperbientes videmus, qvis credere velit, Petrum & reliqvos Apoſtolos atqve diſcipulos Chriſti per hunc cœtum repræſentari, & qvis porrò fidem faciet, ab Apoſtolis dignitates iſtas atqve officia ſuam habuiſſe originem? Nihilominus anathematis fulmine ex Concilio Tridentino percuſſi fuerunt iſti, qvi diverſum ſentirent, qvive hierarchiam iſtam divinâ ordinatione inſtitutam ſibi perſvaderi nollent. Nec verò defuerunt eo tempore Viri cordati, qvi dirum iſtud fulmen haud veriti Patres Tridentinos parum conſideratè in ſententiam iſtam prolapſos dicerent, tùm qvod nomen hierarchias inter Apoſtolos & primos Eccleſiæ Doctores inuſitatum, imò & praxi atqve conſvetudini â naſcente Eccleſiâ receptæ planè contrarium communi decreto firmaretur, tùm verò qvam maximè, qvod facies Eccleſiæ externa ad imitationem Reip. ſecularis ex tyrannide Pontificiâ & ἀλαζονείας

Prælatorum compoſita divinæ inſtitutioni adſcriberetur. Enimverò qvod nomen concernit, rectior utiqve tùm fuit ſententia eorum, qvi putarunt, ſi ſtylus dicendi & modus operandi Salvatori Chriſto ejusqve Apoſtolis uſitatus obſervari debuiſſet, non hierarchiam, verum hierodiaconiam aut hieroduliam ſtatuendam fuiſſe. Non erat hoc Apoſtolorum axioma, ut principatum gererent, qvippe qvibus diſertè â Magiſtro prohibitum erat ἄρχειν τῶν ἐθνῶν, qvibusqve è contrario mandatum erat, ut qvi inter eos primus & præcipuus videri voluiſſet, reliqvorum διάκονος atqve δοῦλος exiſteret. Unde ipſe etiam Apoſtolatus in Scripturis διακονία dicitur aliqvando. Sed & obſervatum fuit deinceps in Eccleſiis potiſſimum Africanis, ὕπουλόν τι latere ſub vocabulis, qvæ ἀπὸ τῆς ἀρχῆς, aut à Latino principii deducta communiter uſurpabantur. Aſtutia namqve Auguſti Imperatoris & politicum ſophiſma, qvo Rempublicam ſub Principis nomine occupaverat ex eventu docuit, multum & magnum diſcrimen eſſe inter τὸν πρῶτον, & τὸν ἄρχοντα, qvi uterqve tamen Principis nomine veniret. Dum ergo in Eccleſiis Africanis, qvi Græcis dicebatur ἀρχιερεὺς, princeps Sacerdotum communiter vocaretur, & plurimi ſub vocabulo iſto inſatiabilem ſuam ambitionem occultarent, atqve hinc dominatum ali-

qvem

qvem in Symmyſtas affectarent, propter ancipitem hunc vocis uſum noluerunt Patres in Concilio Carthaginenſi III. qvenqvam deinceps *principem Sacerdotum, aut ſummum ſacerdotem, aut aliqvid hujusmodi*, uti verba habent, appellari. Nec profectò illi hierarchias vocabulum unqvam recepiſſent, etſi id maximè aliis placuiſſet Eccleſiis, qvod jam tùm valde ſuſpecta illis eſſet ambitioſa iſta in univerſas Eccleſias ἐπισκοπή. Et cur ergò dicam impingit proteſtantibus JCtus noſtræ ætatis haud ignobilis Arnoldus Corvinus, qvod Concilii Tridentini placita ſecum probare nolint? Edidit is libellum ſub titulo: IMPERATOR JUSTINIANUS MAGNUS CATHOLICUS, in qvo qvidem hoc principaliter agit, ut Juſtinianum Imperatorem papiſtam fuiſſe doceat, ſimul verò & qvaſi obiter non tamen ſine anxietate, qvantum à rectâ fide & antiqvitate diſceſſerint proteſtantes, qvos vocat, manifeſtum reddat. Id verò à JCto tentatum fuiſſe, mirantur multi; plurimi rident, qvibus ſcilicet probè perſpectum eſt, non ſine periculo in ſatyris cani Alabarchas; pleriqve haud magni faciunt; qvod iſtiuſmodi farrago ex Bellarmini libris facilè colligi potuerit, neqve in iſtâ rhapſodiâ inveniatur qvicqvam, qvod non ſit dictum prius. Unicum iſtud induſtriæ Corvinianæ ſpeci-

cimen eſt, qvod ex Juſtiniani Conſtitutionibus συμβιβάσιν doctrinæ inſtituerit, ut laudatisſimum Legislatorem ejusdem religionis aſſertorem, ſi diis placet, faceret, cujus ſunt hodiè, qvi ἀυτοκρατορίαν defendunt Pontificiam. Verum enimverò, uti negare non poſſumus, ſeculo Juſtinianeo plurimos jam abusûs multasqve ſuperſtitiones in Eccleſiâ invaluiſſe, qvas etiamnum retinet, & haud paulo auctiores reddidit Romana: ita ex ſimili qvarundam ceremoniarum obſervatione, & in qvibusdam capitibus doctrinæ conformitate, eandem illicò inferre fidei profeſſionem, hominis eſt non ſatis accuratè rerum figuras diſcernentis. Neqve id fortè ſtatuiſſet Corvinus, niſi id ſibi negocii datum eſſe credidiſſet, Eccleſiæ Romanæ, cui ſe non ita pridem addixerat, ut placerent, qvas feciſſet fabulas. Ea enim eſt τῶν παραβάντων perverſitas, ut probent & laudent omnia, qvæ atro carbone notarunt olim, ſocietatis noviter electæ inſtituta. Natus ille, educatus, & ſtudiis imbutus inter eos, qvi à fide Romanâ receſſerunt, uti fatetur ipſe, cum aphoriſmos Juris Canonici colligeret, mox Circeo poculo immutatus, & Hildebrandinæ fidei ſectator factus, cives & populares ſuos aggreſſus eſt, qvosqve eruditione ſuâ adjuverat prius, mutatâ nunc ſcenâ omni conatu invaſit totusq; in eo fuit, ut conqviſitis

un-

undecunqve argumentis, ſed ficulnis ſæpiuſculè & elumbibus, confoderet. Nec in ſuam tantùm ille, cui junctus fuerat olim, ſed in noſtram etiam ubiqve Eccleſiam ſtylum vertit, eamqve ut hæreticam & variis erroribus inqvinatam accuſat, & Kemnitium inprimis, ſummum olim Theologum, perverſæ religionis reum facit. Ut cum illo Theologi noſtri in arenam deſcendant, expectandum fortè non erit, qvod infra eorum iram eſſe videantur iſtæ à JCto profectæ φλυαρίαι, & habeant illi inter ſuos, qvod agant. Ne tamen ille exiſtimet, impune hanc vindemiam ſe feciſſe, occupabo hanc provinciam nemini adhuc deſtinatam, & ut liceat ἐκ τοῦ κρασπέδου τὸ ὕφασμα γινώσκειν, unicus mihi in re præſenti ſufficiet articulus, in qvo noſtra continebitur diſputatio, & qvidem eâ lege, ut noſtrarum tantùm Eccleſiarum placita tueri, ea autem, qvæ à diverſæ ſectæ Doctoribus dicta proferuntur, qvos omnes Proteſtantium nomine comprehendit adverſarius, haudqvaqvam defendere adſtrictus ſim. Habeant illi res ſuas. Nobis noſtræ curæ cordiqve ſint. Dicere cœpi de hierarchiâ Eccleſiaſticâ, cujus ego originem aliunde, qvàm ex inſtituto humano, peti non debere, breviter adſtruxi. Agit de eâ Corvinus in dicto libello *ſub tit. 44.* Videamus, qvid præſtet. Primum refert ſententiam Proteſtantium

his verbis: *Proteſtantes ferè omnes docent, nullos in Eccleſiâ DEI gradûs eſſe conſtituendos, omnes paſtores Doctores in eodem gradu eſſe, nec ullum gradum vel dominium eſſe admittendum.* Ut fidem hujus ſuæ aſſertionis faciat, recitat verba Calvini, qvibus ſimilia eſſe ait noſtratis Chemnitii. Calvini doctrinam, uti dixi, meam non faciam, qvanqvam ex verbis allegatis id non probetur, qvod probare in ſe recepit Corvinus. Chemnitius autem tantum abeſt, ut doceat nullos miniſtrorum in Eccleſiâ Dei gradûs eſſe conſtituendos, ut potiùs contrarium diſertisſimè pronunciet. *Neqve enim*, inqvit, *diſtributionem illorum graduum, qvalis fuit in Apoſtolicâ & in veteri Eccleſiâ ſimpliciter rejicimus aut damnamus, ſed pro ratione neceſsitatis & ædificationis in noſtris Eccleſiis illâ utimur, eo modo, ſicut dictum eſt. &c.* Video autem, qvid velit Corvinus, malè ſcil. docere Chemnitium, nullam olim inter Epiſcopum & presbyterum fuiſſe differentiam. Sed eo tamen ipſo non ſtatuit ille, nullos in Eccleſiâ Dei miniſtrorum debere eſſe gradûs, qvod probare intenderat Corvinus. Et eſt verò iſta Epiſcopi & presbyteri ἰσότης in Scripturâ S. ita fundata, ut contrarium ex ea neutiqvam probare qveat ὁ παραβάτης. Nec tamen inde ſeqvitur, eos, qvi diſcrimen inter Epiſcopos & presbyteros in Scripturis fundatum eſſe negant, protinus omnes in Eccleſiâ tollere miniſtrorum gradûs, ſed hoc tantum ſeqvitur, diſcrimen iſtud non conſtitutum eſſe jure divino, qvod contendunt

dunt οἱ ἐξ ἐναντίας. Qvod de dominio addit Corvinus, etſi probatione deſtituatur, verum tamen eſt, inter proteſtantes doceri, & rectè qvidem, nullum inter miniſtros Eccleſiæ tali prærogativâ gaudere debere, ut in reliqvos dominium aut dominatum exerceat. Cum iisdem ſentit Johannes Paulus Lancellottus, teſtis ſine dubio apud Corvinum omni exceptione major, *Inſtit. lib. 1. tit. 24.* qvando amplificatis nonnihil Hieronymi apud Gratianum *c. eſto diſt. 95.* verbis ait: *Majores qvoqve* (hoc eſt, qvi in majori ordine conſtituti ſunt) *meminerunt, ſe majores eſſe, non dominos, & ob id inferioribus non tanqvam ſubditis dominentur, ſed qvaſi Clericos honorent & diligant: & tales ſint, qvi non ſolum præſint, verùm etiam proſint.* Seqvitur apud Corvinum theſis proteſtantibus oppoſita: *Catholici docent cum Concilio Tridentino, eſſe in Eccleſiâ hierarchiam divinâ ordinatione inſtitutam ex Epiſcopis, presbyteris, & miniſtris conſtantem, & Epiſcopos jure divino presbyteris reſpectu juriſdictionis & ordinis ſuperioris eſſe.* Per Catholicos in toto hoc ſuo tractatu intellectos vult illos ſolos, qvi cum Romano Pontifice communionem colunt Eccleſiaſticam. Sed ea communio neutiqvam eſt univerſalis, & ne numero ſectantium qvidem omnibus aliis Eccleſiis ſuperior. Imò vero Catholicorum hoc nomen omnes penè hæretici ſibi jam olim tribuerunt, ſingulis cœtibus hæreticorum ſe potisſimùm Chriſtianos & ſuam eſſe Catholicam Eccleſiam putantibus, uti alicubi loqvitur Lactantius. Non invidemus igitur titulum

ſine

ſine re, qvem jactitat Eccleſia Romana; ridemus potiùs vanitatem, cum â re ſubjecta τῷ καθόλȣ ea ſic abſit longè, ut qvæ vel abeſt longisſimè. Nec litem movebo de poteſtate ordinis & jurisdictionis, ut inter ſe differant, cùm eâ de re multa adhuc ſit controverſia inter Canoniſtas. Cardo controverſiæ in præſenti in duobus his conſiſtit, utrum inter miniſtros verbi divini ordo aliqvis conſtitui debeat? & utrum ordo iſte jure divino jam conſtitutus ſit? Primum haudqvaqvam negant Proteſtantes, qvi Auguſtanæ Confeſſioni addicti ſunt, etſi hoc eos negare dicat Corvinus. Sed alterum rectè negant iidem, ſtatuentes, nullos tales jure divino inſtitutos eſſe ordines, qvales hodiè viſuntur, nec jure divino Epiſcopos presbyteris eſſe ſuperiores. Sanè *Act. XX. 17.* nominantur presbyteri, qvi mox *verſ. 28.* appellantur Epiſcopi, certiſſimo argumento, nullum tùm fuiſſe diſcrimen. Corvinus, ut id jure divino introductum probet, recurrit ad veteris Teſtamenti inſtituta. *Ut enim*, inqvit, *in V. T. diſtincti fuerunt jure divino gradûs, Pontificum, Sacerdotum & Levitarum, ita ut Pontifex major eſſet, Sacerdotibus, Sacerdos Levitis: ita & in novo Epiſcopi ſucceſſerunt Pontificibus, presbyteri Sacerdotibus, Diaconi Levitis.* Potuiſſet verò Corvinus eâdem facilitate cum Gratiano ſuo *diſt. 21.* diſtinctionem Epiſcoporum, Achiepiſcorum & Patriarcharum, à gentilibus primùm introductam fingere & nihilominus

ad

ad jus divinum referre. Qvorſum enim nobis obvertitur facies Synagogæ Judaicæ? Sit ita, regimen Eccleſiarum Chriſti ad Synagogarum exemplar ádornatum fuiſſe: an propterea, qvod ab hominibus ex mera libertate factum eſt, lege divinâ inſtitutum dicemus? Si qva talis inter gentiles ad imitationem Judæorum inſtituta fuiſſet flaminum diſtinctio, an eam jure divino introductam putabimus? Sed pergit Corvinus: *Fuere etiam in eo ab Apoſtolis diſtincti diſcipuli, qvi iſtis inferiores.* Hoc verò nos non ferit, qvanqvam ex dictis Scripturæ, qvæ recenſentur, nihil tale probetur. Infert tamen hinc Corvinus: *Apoſtolis ſucceſſerunt Epiſcopi, diſcipulis presbyteri,* dicitqve hanc eſſe omnium Patrum conſtantem doctrinam. Qvid tùm? an propterea, qvod in exemplum alterius conſtitutum qvid fuit, eandem cum illo habebit originem? Potuerunt enimverò, poſtqvam gradûs inter miniſtros verbi divini facti ſunt, qvi primum gradum obtinuerunt, cum Apoſtolis, cæteri cum ſeptuaginta allectis aliqvo modo comparari, ut qvo modo ſeptuaginta duodecim primis à Chriſto ipſo ſuccenturiati ſunt, eodem etiam presbyteri Epiſcopis ab Eccleſia ſuccenturiati crederentur. Sed eſt tamen totus ille ordo ex impoſitione & inſtituto humano, imò verò ordinationi Apoſtolicæ hactenus minimè congruens, qvod probari

)( )(ri

ri neqveat, ſeptuaginta diſcipulos, ut maximè prioribus dignitate cederent, ab ulla, qvæ ad primarios illos ſpectabat, functione Eccleſiaſticâ excluſos fuiſſe, prout nunc & à multis retrò ſeculis ab ordinationibus, confirmationibus, aliisqve actibus ſubmoti ſunt. Concilium Neocæſareenſe, ad qvod provocat Corvinus, de Epiſcopis & presbyteris nihil decernit, ſed de Chorepiſcopis ait, qvod ſint ad exemplum ſeptuaginta, εἰς τύπον τῶν ἑβδομήκοντα. Chorepiſcopi autem qvi fuerint, alibi expoſui. Et ipſum illud Concilium Neocæſareenſe circa annum *CCCXV.* celebratum fuit, qvo tempore plurimis iſtiuſmodi comparationibus ornari ſolebant ſcripta Eccleſiaſtica. Damaſi & Anacleti epiſtolæ ſpuriæ ſunt, & autores ſuos mentiuntur, qvod eruditè demonſtravit David Blondellus *in Pſeudo Iſidoro.* Reliqvi, qvos porrò ad teſtimonium vocat Corvinus, doceant, ut velint Apoſtolis ſucceſſiſſe Epiſcopos, & diſcipulis presbyteros; ſciendum tamen eſt, comparationem iſtam longè poſt Apoſtolorum tempora excogitatam fuiſſe. Et qvis verò nunc colligere ex his teſtimoniis poterit, jure divino diſcrimen inter Epiſcopos & presbyteros conſtitutum fuiſſe? Pergit verò Corvinus, & ex partibus ſuis ſtare profitetur, Ignatium, Clementem Romanum, Dionyſium Areopagitam, Irenæum & Ter-

tullianum. Qvinqve hæc teſtimonia πεντάπλοον aliqvod conficiunt, ſed propter qvod curſu contendere vix vellent ephebi. De prioribus tribus nolumus eſſe multum ſolliciti, qvandoqvidem ſcripta qvæ ſub eorum nominibus proſtant, manifeſto νοθείας vitio laborant, uti de Ignatio & Dionyſio prolixè probavit Johannes Dallæus *ſcripto peculiari* de Clementis conſtitutionibus Apoſtolicis Jacobus Uſſerius Archiepiſcopus Armachanus *in annot. ad Ignat. epiſt. c. 7. ſeq.* Irenæi autem teſtimonium nihil adverſus nos. nec præter Epiſcopũ alterius alicujus mentionem facit, à qvo diſcriminari debeat. Imò verò, qvam contrarius Corvino pluribus aliis in locis ſit Irenæus, videri poteſt apud Davidem Blondellum *in apol. pro ſent. Hieron. de Epiſc. & presb. ſect. 2. n. 9.* Tertullianus autem mentionem facit Epiſcopi, presbyteri & diaconi, ſed non ait, jure divino iſtud diſcrimen factum eſſe. Nihil igitur per univerſa iſta teſtimonia proficit Corvinus, & ne per ὑποβολιμαῖα qvidem iſta ſi vel maximè admitterentur, qvæ licet diſtinctionem aliqvam Epiſcoporum, presbyterorum, & diaconorum inſinuent, nihil tamen omninò de autore aut origine ejus diſtinctionis commemorant; qvam cæteroqvin non averſamur, ſed in noſtris Eccleſiis ut valdè utilem conſtanter retinemus. Qvandoqvidem

autem in rogandis & colligendis Patrum ſententiis tàm ſollicitus eſt Corvinus, mirari ſubit, qvî fiat, qvod Epiphanium prorſus omiſerit, qvi tamen præ cæteris à partibus ejus ſtat, dum *hæreſ. 75.* Epiſcopum ex Pauli ſententiâ & rei ipſius inſtitutione presbytero antecellere acriter contendit, fuſeq; argumentis inducit. At vidit ille ſine dubio, nihil ſe Epiphanii autoritate effecturum, eò, qvod Hieronymus Epiphanii æqvalis & amicus ſummus, virtutisqve, ejus admirator ſingularis diſertè contradicit, & liqvidò docet, apud Veteres eosdem Epiſcopos & presbyteros fuiſſe, qvia illud nomen dignitatis, hoc ætatis eſſet, uti ait *epiſt. 83.* Ac ne qvis exiſtimet, iſtud Hieronymo aliud agenti obiter excidiſſe, id ipſum deſtinatâ operâ & pluribus propugnaculis defenſat, conqviſitis in hanc rem variis Scripturæ dictis, illudqve repetit datâ occaſione non unis vicibus. Conſultò hinc abſtinuit Corvinus allegandis Hieronymi dictis, qvæ tamen ex Gratiani Decreto *c. legimus diſt. 93. & c. olim diſt. 95.* fugere eum non poterant. Dum verò nos adſtipulantem habemus Hieronymum, cui uni, judicio Scaligeri *proleg. in Euſeb.* plus debent Eccleſiaſticæ literæ, qvàm multis aliis, qvamvis ſummis Viris, parum benignè nobiſcum agit Corvinus, ſi velit nos teſtimoniis vel falſis & confictis, vel ad rem minimè faci-

enti-

entibus convincere. Et hæc Hieronymi in genuinis ejus ſcriptis expreſſa ſententia facit, ut probari neqveat, qvi nomine ejus circumfertur, liber de *ſeptem ordinibus ad Ruſticum Narbonenſem*, Gratiano etiam *c. diaconi diſt. 93. & c. ecce diſt. 95.* allegatus, cujus proinde αὐθεντίαν jamdiu impugnarunt Deſiderius Eraſmus, Guilielmus Eſthius, Robertus Cocus, David Blondellus, Jacobus Uſſerius & alii. Deniqve & hoc notandum eſt, de hierarchiâ Eccleſiaſticâ thema ſibi propoſuiſſe Corvinum, totam verò ejus tractationem circa Epiſcopos tantùm, presbyteros & diaconos occupari, cum tamen à Doctoribus Romanæ Eccleſiæ plerisqve omnibus ad hierarchiam non majores tantùm, ſed minores etiam ordines referantur. Imò verò ſi productas à ſe autoritates ſeqvi velit Antagoniſta, difficile ei erit futurum, ordinum omnium, qvos ſtatuunt ejus Socienni, ſummam conficere. Anacletus *epiſt. 3.* ita ſcribit: *Amplius, qvam iſti duo ordines Sacerdotum*, Epiſcoporum ſcil. & presbyterorum, *nec nobis à DEO collati ſunt, nec Apoſtoli docuerunt.* Et tamen ex his duobus ordinibus unum tantùm, ubi diximus, facit Hieronymus. Pariter Clemens Romanus *epiſt. 2. Tribus*, inqvit, *gradibus commiſſa ſunt Sacramenta divinorum ſecretorum, id eſt, presbytero, diacono & miniſtro.* Ubi niſi per miniſtrum Subdiaconum intellexeris, nihil differet

miniſter à diacono. Apud PſeudoDionyſium *hier. c. 5.* aliter recenſentur tres ordines, Epiſcoporum ſcil. presbyterorum & diaconorum. Ordinibus minoribus, in qvibus Oſtiarios, Lectores, exorciſtas & acoluthos conſiſtere volunt, Ignatius *epiſt. ad Antiochen.* addit tres alios, Cantores ſcil. Laboratores & Confeſſores. Clemens *epiſt. 1.* Catechiſtas ſive eos, qvi prima fidei rudimenta docent adnumerat. In tantâ opinionum diverſitate, qvousqve hierarchiam ſuam ampliare, & ex jure divino fabricare conſtituerit Corvinus planè incertos nos reliqvit. Qvæ porrò adducit ex Jacobi Magnæ Britanniæ Regis, Hadriani Saraviæ, Calvini, VVhitakeri & Parei ſcriptis teſtimonia, qvos ὁμοψήφȣς ſibi, & à reliqvis ſuis ſodalibus, tùm & à ſeipſis diſſentientes eſſe jactitat, cancellos noſtros egrediuntur, neqve ad nos pertinent. Pertinent autem verba Chemnitii, qvæ ſubjungit, ſi modo ullibi talia extent. Nec enim locus, qvem refert, ſub deſignatis numeris invenitur. Neqve interpretatio ipſa ſatis convenit verbis Hieronymi, qvæ habentur apud Gratianum *d. c. legimus diſt. 93.* Non enim dicit Hieronymus, inæqvalitatem Epiſcopi temporibus demum Heraclæ & Dionyſii apud Alexandrinos invaluiſſe, ſed ait, Alexandriæ à Marco Evangeliſtâ uſqve ad Heraclam & Dionyſium,

pres-

presbyteros ſemper unum ex ſe & ex Collegio ſuo electũ in excelſiori gradu collocatum Epiſcopum nominaſſe. Marci autem ſucceſſores, uti ex indice Epiſcoporum Alexandriæ conſtat, fuerunt Anianus, Abilius, Zacheus, Cerdo, Primus, Juſtus, Eumenes, Marcus, Celadion, Agrippas, Julianus, Demorrius, Heraclas &c. qvi omnes, ex mente Hieronymi, à presbyteris Eccleſiæ Alexandrinæ ex corpore ſuo electi fuerunt, nondum ſcil. eo tempore aliunde accerſitis aliis. Et hæc ſanè nihil qvicqvam faciunt ad ſtatum præſentem, neqve eò inducere voluit Chemnitius. Qvod ſi verò Hieronymi hæc eſt ſententia, uſq; ad Heraclam & Dionyſium Anteceſſores omnes primatum ordinis tantùm habuiſſe, Heraclam verò & Dionyſium atqve Succeſſores etiam poteſtatis primatum tenuiſſe, uti colligere videtur Chemnitius, (ſupponamus enim verba adducta ejus eſſe) ne ſic qvidem aliqvid cauſæ accedet Corvinianæ. Manet enim, poteſtatem iſtam non eſſe ex jure divino, ſed ſeculo demum ſecundo circa annum CXL. uti calculum ducit Chemnitius, initium ſuum habuiſſe. Tantam verò nec eo tempore illicò poteſtatem acceperunt Epiſcopi, qvantam deinceps ſibi ex πλεονεξία ſenſim vindicarunt. Cæterùm optimè exponit Hieronymus *ad cap. 1. epiſt. ad Tit.* qvæ fuerit cauſa, qvod

reli-

reliqvis miniſtris Eccleſiæ præpoſitus fuerit Epiſcopus? *Paulatim*, inqvit, *ut diſſenſionum plantaria evellerentur, ad unum omnem ſollicitudinem eſſe delatam. Sicut ergò presbyteri ſciunt, ſe ex Eccleſiæ conſvetudine ei, qvi ſibi præpoſitus fuerit, eſſe ſubjectos: ita Epiſcopi noverint, ſe magis conſvetudine, qvàm diſpenſationis dominicæ veritate presbyteris eſſe majores, & in communi debere Eccleſiam regere.* Et ex *epiſt. ad Evagrium* maximè notanda ſunt hæc ejus verba: *Qvod poſtea unus electus eſt, qvi cæteris præponeretur, in ſchiſmatis remedium factum eſt, ne unusqvisq; ad ſe trahens Chriſti Eccleſiam rumperet. Nam & Alexandriæ à Marco Evangeliſtâ uſqve ad Heraclam & Dionyſium Epiſcopos presbyteri ſemper unum ex ſe electum in excelſiori gradu collocatum Epiſcopum nominabant. qvomodo ſi exercitus ſibi Imperatorem faciat, aut diaconi eligant de ſe qvem induſtrium noverint & archidiaconum nuncupent. Qvid enim facit, exceptâ ordinatione, Epiſcopus qvod presbyter non faciat? &c.* Non poterat explicatiùs ſententiam ſuam declarare Hieronymus, neqve eos Eccleſiarum noſtrarum doctrinam proponere magis perſpicuè. Hinc enim patefit, conſvetudine receptum id eſſe, non jure divino inſtitutum, ut Epiſcopus ſuperior eſſet presbyteris, & qvidem eum in finem, ut ſchiſmata vitarentur. nec qvicqvam Hieronymi tempore plus potuiſſe Epiſcopũ, qvàm presbyterum, niſi qvod illi ordinationis actus commiſſus eſſet ſoli, non qvidem jure divino, & ne qvidem ex traditione Apoſtolicâ, qvæ ſæpè fingitur, ſed jure Eccleſiaſtico & conſvetudine ita receptâ. Idqve eodem modo explicat, *homil. 11. in 1. Timoth.* ubi rationem reddit, cur Apoſtolus *c. 3.* cùm de Epiſcopis præcepta dediſſet, nullâ factâ presbyterorum mentione, illicò ad diaconos transeat.

eat. *Cur hoc qvæſo?* inqvit, & reſpondet, *qvia non multum intereſt inter ordinem Epiſcoporum & presbyterorum. Nam & presbyteri aſſumpti ſunt ad docendum populum & ad præfecturam* (προστασίαν,) *Eccleſiæ. ideoqve qvæ de Epiſcoporum ordine dixit, etiam presbyterorum ordini congruunt. Solâ enim impoſitione manuum adſcenderunt Epiſcopi ſupra presbyteros* (ἀναβεβήκασι αὐτῶν) *& hoc ſolum lucri videntur præripuiſſe presbyteris*, (καὶ τοῦτο μόνον δοκοῦσι πλεονεκτεῖν τοὺς πρεσβυτέρους.) Non dicit, conſtitutos eſſe Epiſcopos ſuper presbyteros dignitate imponendi manûs ordinandis ad ſacerdotium, aut tributam illis â Chriſto fuiſſe hanc præeminentiam, ſed de facto proprio ſacerdotum ait: ἀναβεβήκασι, adſcenderunt ſuper presbyteros, & hoc unum videntur plus acqviſiviſſe. Qvi poſitus verborum apertè oſtendit, prælationem Epiſcopi venire ex uſurpatione & accedente conſvetudine.

Qvandoqvidem igitur Eccleſiæ noſtræ eandem cum Hieronymo & Chryſoſtomo doctrinam profitentur, tribui nobis hauqvaqvam poteſt, qvod Aërii olim in hæreticorum album relati patrocinium ſuſcipiamus. Aërius enim, præterqvam qvod Arianus eſſet, & univerſa ea, qvæ ab Eccleſiâ ad externum ordinem conſervandum, & non ab ipſo Salvatore Chriſto mandata fuerant, repudiaret, etiam Epiſcopum nullâ ratione, nullo jure presbytero ſuperiorem eſſe contendebat, totamqve adeò dignitatem Epiſcopalem prorſus proculcabat. At nos

)()( )(cum

cum Hieronymo Epiſcoporum in Eccleſiis inſtitutionem utilem & propemodum neceſſariam ac propterea retinendam judicamus, neqve inficias imus, antiqviſſimam eam eſſe, & longo uſu continuatam. Qvin & hoc largimur, maximam partem hierarchiæ Eccleſiaſticæ, qvatenus & qvouſqve per eam officia ſacra explentur, in freqventioribus Eccleſiis eſſe perqvam utilem, ut κατὰ τάξιν καὶ εὐσχημοσύνην peragantur omnia. Δὶς διὰ πασῶν igitur ab Aerii hæreſi noſtra diſtat ſententia. Et abſolvere nos poteſt à tali inculpatione Gregorius de Valentia *tom. 4. diſt. 9. q. 1. punct. 2.* dum ait: *Omnes proteſtantes admittunt tres ſaltem miniſtrorum gradûs, nempe Epiſcoporum, qvos vocant Superintendentes, ut habeant curam Eccleſiaſticæ diſciplinæ: presbyterorum qvos vocant miniſtros verbi & Sacramentorum: ac diaconorum, qvi Superintendentibus & paſtoribus navent operam in adminiſtratione Sacramentorum & officiis aliis.* Sed notandum tamen cum Chemnitio, non eſſe verbo Dei mandatum, qvi vel qvot gradûs ſeu ordines in Eccleſiâ eſſe debeant, nec fuiſſe tempore Apoſtolorum in omnibus Eccleſiis & ſemper eosdem & totidem ordines: nec fuiſſe etiam tempore Apoſtolorum talem diſtributionem graduum illorum; qvin ſæpiuſculè unum & eundem omnia illa officia qvæ ad miniſterium pertinent, ſuſtinuiſſe, & relictum fuiſſe adeò Eccleſiæ libertati, qvales & qvot gradûs

una-

unaqvæqve ſibi neceſſarios duxerit, conſtituere. Hunc in modum facilè aſſentior Corvino, Juſtinianum Imperatorem non improbaſſe ordines eo ſeculo in Eccleſiâ receptos. Qvod enim diu jam obtinuerat in Eccleſiâ, immutari temerè non poterat, nec ab ipſo qvidem Imperatore, niſi in commodum & utilitatem ea immutatio ceſſura eſſet. Et ſic utiqve non uno in loco mentionem facit Patriarcharum, Metropolitanorum, Epiſcoporum, presbyterorum, diaconorum, cantorum, Oſtiariorum, Lectorum, Exorciſtarum, acoluthorum, & ſi qvi alii miniſteria talia obirent. Illam autem ordinum ſeriem & totam eam compagem jure divino conſtitutam nuſpiam dicit, nec dicit, neceſſarios eſſe iſtos ordines univerſos in Eccleſiâ qvâcunqve. Nec proinde ex eo, qvod pleroſqve omnes iſtos ordines, qvos hodiè ſuperſtitiosè retinet Eccleſia Romana, in conſtitutionibus ſuis commemorat Juſtinianus, papiſtam eum fecerit Corvinus. Certè, ſi vel maximè ordines iſtos omnes ab Juſtiniano approbatos fateamur, non credidit tamen ille tantam Pontifici Rom. competere αὐτονομίαν ut non liceret ſibi eo inconſulto qvicqvam immutare. Imò verò perſvaſum habuit Imperator in ipſam

hierarchiam Eccleſiaſticam jus majeſtatis ſibi competere, & potuiſſe adeò ſe in ipſos ordines νομοθεσίαν exercere. Patet id ex *novellâ conſtitutione 3. c. cap. 1.* qvâ numerum clericorum Conſtantinopolitanorum valdè imminuit. *Sancimus*, inqvit, *non ultra ſexaginta qvidem presbyteros in ſanctisſimâ majore Eccleſiâ eſſe, diaconos autem maſculos centum, & quadraginta fœminas, ſubdiaconos verò nonaginta, Lectores autem centum & decem, Cantores viginti qvinqve: ita ut ſit omnis numerus reverendisſimorum Clericorum ſanctisſimæ majoris Eccleſiæ in quadringentis viginti qvinqve, & inſuper centum exiſtentibus iis, qvi vocantur oſtiarii. In ſanctisſimâ ſiqvidem majori Eccleſia hujus felicisſimæ noſtra civitatis, & per tres venerabiles domos unitas ei, tanta Clericorum ſit multitudo, nullo qvidem horum, qvi nunc ſunt excludendo, licet multo plurium ſit numerus ab iis, qvi â nobis nunc determinati ſunt: nullo autem de cætero adjiciendo in unoqvoqve ordine in iis, qvi nunc ſunt, donec ad hunc numerum menſura redigatur.* Videtur hierarchia tunc temporis in Eccleſiâ Conſtantinopolitanâ conſtitiſſe ex Epiſcopo, presbyteris, diaconis, ſubdiaconis, lectoribus, cantoribus, & oſtiariis ſed ita ut oſtiarii inter Clericos non computarentur, qvos tamen connumeravit ſeqvior ætas teſte Iſidoro apud Gratianum *c. cleros diſt. 21.* Nulla præterea ab Juſtiniano *d. l.* fit mentio exorciſtarum, nulla acoluthorum. Dum verò illos ipſos, qvos recenſet, ordines ad certum numerum redigit, vereor ego, ut id placeat Eccleſiæ Romanæ, qvæ leges civiles in rebus Eccleſiaſticis prorſus reſpuit hodiè, niſi autoritate Pontificis ſui firmatæ fuerint. Et hinc firmiter concludo, ex

ſola

ſolâ hierarchiæ mentione fruſtra colligi, Juſtinianum fuiſſe papiſtam, utut magno conatu id aſſerat Corvinus.

Cæterùm ad initium naſcentis Eccleſiæ cùm reſpicimus, conſtitiſſe eam invenimus primùm ex presbyteris, qvi & Epiſcopi aliqvando nominati fuerunt. Epiſcopi qvidem, ab inſpectione & curâ, qvam de Eccleſiâ agunt: & ita hoc vocabulum ex uſu lingvæ vulgari deſumptum miniſtris Eccleſiæ peculiariter tributum eſt. Epiſcopos, ſi velimus, Latinè Superintendentes dicere nos poſſe cenſet Auguſtinus *lib. 19. de C. D. c. 19.* Iidem illi particularium Eccleſiarum Doctores ut plurimum presbyteri dicti ſunt ab ætate, qvod in illorum ordinem ferè Seniores cooptarentur. Adjuncti deinde ab ipſis Apoſtolis ſunt Diaconi. Et hos ſolos ordines, diaconatum ſcil. & presbyteratum primitiva legitur habuiſſe Eccleſia, fatente Urbano Papâ apud Gratianum *c. nullus diſt. 60.* Obtinuit verò ſucceſſu temporis, ut inter presbyteros aliqvis præeſſet, cui deinceps nomen Epiſcopi κατ᾽ ἐξοχὴν adhæſit. Sed ille tamen qvoad functiones Eccleſiaſticas nihil habebat præcipui. Docere Evangelium, baptizare & S. Euchariſtiam ce-

lebrare non minùs ad officium presbyterorum ſpe-
ctabat, qvàm ad Epiſcopos ſpecialiter ita dictos. Sed
& qvod regimen Eccleſiaſticum nullum tùm Epiſco-
pis competebat imperium monarchicum aut deſpo-
ticum, ſed omnia ex conſilio & conſenſu τῶν συμπρεσ-
βυτέρων diſponebantur. Poſt aliqva verò temporum
intervalla inter presbyteros & Epiſcopos notabile ex-
ortum eſt diſcrimen. Poſtqvam enim, qvi inter eos
primus erat, qviqve Epiſcopi nomen ſuſtinebat, ſin-
gularem præ cæteris ὑπεροχὴν tùm qvoad autoritatem,
tùm qvoad poteſtatem ſibi deberi ratus, nova ſubin-
de πρεσβεῖα ſibi ſumeret, plerùmqve etiam in rebus a-
gendis & ingenio & prudentiâ cæteris præſtaret, ut
facilè illi ejus cupiditatibus obſecundarent, novus
inde tandem prodiit ordo Epiſcoporum à presbyte-
ris planè diſtinctus, & in magnificam illam προνομίαν
evectus. Et primùm qvidem hoc ſibi tantùm arro-
garunt Epiſcopi, ut ſoli ordinarent miniſtros Eccle-
ſiæ, presbyteros â χειροθεσίᾳ illâ prorſus excluſis. De-
inde cùm novæ qvotidiè producerentur ceremo-
niarum figuræ, & inſtituta Eccleſiaſtica multiplica-
rentur, qvalia fuerunt chriſmatis & olei ſacri confe-
ctio & uſus, conſecratio altarium & templorum no-
viter

viter extructorum, benedictio & imitatio monachorum & monialium, reconciliatio pœnitentium, & alia plura, mirum non eſt, Epiſcopos novarum rerum cupidos & dignitatis ſuæ augendæ ſtudioſos talia ſibi peculiariter vindicaſſe, qvæ tamen ipſa pleraqve presbyteris æqvè ac Epiſcopis ab initio fuerunt communia. Hinc igitur firmiter concludimus, Servatorem ipſum inter Epiſcopos & presbyteros nullum feciſſe diſcrimen, nec officia ita diſtinxiſſe, ut Epiſcopis ſolis aliqvid tribueret, qvod non æqvè presbyteris licitum eſſet, nec eſſe adeò jure divino inter Epiſcopos & presbyteros differentiam conſtitutam.

Qvod diaconos attinet, ab Apoſtolis primùm eos inſtitutos ſacra nos docet pagina. Et hos qvidem inferiores presbyteris jam inde ab initio fuiſſe nemo eſt, qvi ambigat. Sæpè tamen cornua eos ſuſtuliſſe, & elato animo non in presbyteros ſolùm, ſed in ipſos etiam Epiſcopos inſurrexiſſe, plurima in hiſtoriâ Eccleſiaſticâ oſtendunt exempla. Et leguntur eâ de re apud Gratianum *c. legimus & c. ſeq. diſt. 93.* qverelæ atqve increpationes Hieronymi &

Cy-

Cypriani valdè memorabiles. Ex qvo factum, opinor, ut depreſſiore qvandoqve loco ab utrisqve haberentur, qvàm pro conditione ſtatûs, in qvo verſabantur, deceret. Sic enim fieri ſolet, ut rarò priſtinæ fortunæ reſtituantur ſatis commodè, qvi eam ſuperare conati fuerunt. Qvæ omnia dum animo volvo & revolvo, facturum me operæ pretium putavi, ſi qvæ de diaconis in veterum ſcriptis obſervata ſubinde à me fuerunt, in unum qvaſi faſciculum colligerem, & publicæ luci exponerem. In qvo qvidem hoc fortè deſiderabis, benevole Lector, qvod haud paulo plura à me dici & obſervari paſſim potuiſſent, qvodqve in qvibusdam non æqvè diligentem me præſtiterim. Sed meminiſſe debeo, & librorum ad variam ejuſmodi eruditionem comparandam neceſſariorum maximam hîc loci eſſe inopiam, & ſtudium ipſum talium rerum admodum intricatum atqve multis corruptelis inqvinatum, & ab reliqvis meis occupationibus otium rarò concedi ſatis commodum.

INDEX RERUM ET VERBORUM,

Qvæ in hoc Opere continentur. Qvorum Prior Numerus Caput, Poſterior autem Paragraphos denotat.

A.

ABBATES ab initio non habebant Jurisdictionem, dein à Papa impetrârunt, XVI. 11.12.

ÆTAS.

Certa ætas reqviritur ad miniſtros Eccleſiæ, VII. 1. ſeqq. add. Diaconus.

In qvâ ætate apti olim ad Diaconatum, 4. ſeqq.

Non certa ætas in Novo Teſtamento exacta, 22.

Qvælibet ætas non eſt apta ad Eccleſiæ miniſteria, 23.

Qvare ab hâc ætate receſſum in praxi, 24.

dein Lege publicâ, 25. 26.

Judicium de ea Lege publica, 27.

AGAPÆ.

Inter Agapas qvid olim datum, III. 8.

In Agapis Clemens dicit Diaconis prærogativam fuiſſe, XIII. 81.

In Agapis Diaconis duplum, qvare & qvâ intentione datum, 82.

ALEÆ turpitudo, XIII. 85.

AMBROSIUS an in Epiſtol. ad Eph. commentatus? VIII. 9.10.

APOSTOLI.

Apoſtolorum facta ſunt ad imitationem propoſita, IV. 1.

Apoſtolorum ritus in ordinatione Diaconorum an negligi poſſit? VI. 14.

Apoſtoli prædicatio qvid ſit? VIII. 34.

Apoſtoli & Seniores ſynecdochicè ſumuntur qvandoqve pro totâ Eccleſiâ, IX. 3.

APOSTOLICUS.

Apoſtolicæ conſtitutiones qvam habeant fidem, IV. 7.

Sunt antiqvæ, VIII. 55.

Qvo tempore natæ, XIX. 22.

APOCRISIARII, XIII. 91.

ARCHIDIACONUS.

Archidiaconi in concilio Viennenſi impetrant poteſtatem ferendi crucem, VIII. 33.

BIBLIOTHEQUE DE LA VILLE LYON 1695

Sic dicuntur non ratione Imperii, ſed ordinis, XVII. 1.
Ad eos reqviritur induſtria, 2.
Eliguntur à Diaconis, qvod mutat concilium Agathenſe, ib.
Archidiaconus primus dicitur Stephanus, 3.
Ejus primum officium & qvædam addita, ſeqq.
Ejus officium non ubiq; idem, 7.
Adhibebantur libertatibus in Eccleſia dandis, & conficiebant tabulas manumiſſionum, 8.
Nonnulli eorum habuerunt Juriſdictionem, qvid cognoſcendum ex cujuslibet provinciæ conſvetudine, 9.
Adſunt Epiſcopo viſitanti, 10.
Viſitant vice Epiſcopi, qvi neqvit, 11.
Alicubi habuerunt parochiam & jus viſitandi cumulativè non privativè, ac propterea ſecundum Canoniſtas Juriſdictionem, 12.
Viſitent ſine onere & damno Eccleſiæ, 13. ſeqq.
Superior eſt Archidiaconus presbytero & Archipresbytero, 19.
Per abuſum ſunt plures Archi-Diaconi in unâ Eccleſiâ & diœceſi, 20.
Archidiaconatus rectè confertur à Majeſtate, 21.
Plura eorum officia ignorantur, 22.
ASSISTERE SACERDOTIBUS qvid ſit? VIII. 27.
ATHANASIUS Diaconus fortiter ſe geſſit in concilio, IX. 7.
AVARITIA Diaconorum, XV. 16.

B.

BASILICÆ falsò à Valeſio finguntur Romæ, V. 10.

C.

CALICES à primis Eccleſiæ incunabulis vitrei, VIII 28. 29.
CANONES Arabici editi à Turriano ſunt dubiæ fidei, I. 9.

CANONICUS.

Reqviſita veri Canonici, IV. 49.
Qvales deinde creati, ib.
Qvi ad Canonicas preces teneantur, & ſuperſtitio circa easdem, VIII. 36.
CARDINALES poſſunt uti purpurâ & pileô rubrô, XII, 14.
Dicti ſunt ita & Diaconi Romæ, III. 24.

CATECHUMENI

Qvi ſint & qvotuplices, VIII. 42 43.
Pœna peccantium, ib.
Exire jubentur à Diacono poſt Sacræ Scripturæ auditionem, aut poſt orationem, VIII. 42.
Cur non intereſſe poterant myſteriis Sacramentorum, 45.
Illis datur aliqvid loco Euchariſtiæ & qvare? 46.
Si fortuito intuiti Sacrificia ſacrô fonte abluebantur, ib.

CHA-

CHARACTER

Qvid ſit Pontificiis, VI. 23.

Habet nullum fundamentum in SS. vetuſtis Patrum ſcriptis, ratione firmâ, ib.

Characteris indebilitas non eſt cauſa non repetendæ ordinationis, ibid.

CHIROTHESIA qvid ſit, & qvàm variè accipiatur? VI.4. XIX.28.

CHIROTONIA qvid ſit? & varia ejus acceptio, VI. 4.5.

CHRISMA qvid ſit, & qvi eô perungantur apud Pontificios, VI.20.

CHRISTIANÆ fidei myſteria olim ſummâ cum reverentiâ peragebantur, VIII, 40.

CLAMARE erat Diaconorum, VIII. 59.

CLERICUS.

Clericorum prærogativa ficta, I. 3.

Ordo ſeparatus juſſu divinô, ib.

Ordines qvot ſint? 4.

Diſtinctio in Sacerdotes & miniſtros, 8.

Conſtitutorum in ſacris certa ſpecies non rectè à Lancelotto aſſeritur, 8.

Numerus minuendus cenſebatur à Caſſandro & Juſtiniano, 16.

Vera cauſa augendi & minuendi numerum, V. 5.

Clerici non habebant olim jus petendi alimenta à populo, V. 8.

An negotiari posſint? vide Negotiatio.

An posſint exercere tabernam? vid. Taberna.

Iis non licet uti lucidis & coloratis veſtibus, exceptis Cardinalibus, XII. 13. 14.

Eorum luxus ægrè potuit coërceri, 15.

Adoleſcentes non habebant ſuas cellulas, ſed erant in communi conclavi, XIII. 2.

Eorum pietas erat inſignis tempore communionis, degeneravit inventis beneficiis & ſublatâ communione, 22.

Poteſt exercere artem honeſtam, 23. ſeqq.

Clericum an dehoneſtet res ſecularis? vid. Secularis.

Habent rectè diſtinctas ab aliis veſtes, XII. 1.3.10.

Habuerunt veſtes peculiares in Iſraëlitica Rep. 2.

Peculiares illæ veſtes non ſunt determinatæ, ſed determinantur uſu, 4.

Eorum veſtes ſint decentes & honeſtæ per multas LL. Eccleſiaſticas, 5. ſeqq.

Clerici pravè eas LL. Eccleſiaſt. explicabant, 8.

Interdicuntur iis manicæ veſtium, 11.

Clericis non licet jure Canonico conducere poſſesſiones cum exceptione laxata poteſtas hæc à Juſtiniano, XIII. 45. 46.

Ratio hujus prohibitionis, 47.

An Clerici poſsint poſtulare? vid. Poſtulare.
An poſsint judices eſſe? vide Judex.
Clericus nihil ſuſcipiat, qvod impedit ſacrum miniſterium, XIII, 59.
An Clericos deceat militia? vid. Militia.
An tutela? vid. Tutela.
Clericorum tota vita conſiſtit in docendo & diſcendo, 60.
Clericis maximè neceſſarium ſtudium Theologicum, 61.
Clerici abutuntur variè eô ſtudiô, 62. 63. 64. 65.
Clericis ſtudium Jurisprudentiæ rectè interdictum, ubi exceptiones Canoniſtarum ineptæ, 66. 67. 68.
Studium Medicum rectè interdicitur, 69.
Clericis ex qvâ ratione ars Chirurgica interdicta, 70.
Clericorum imperitorum ignorantia ſuperba, XIII. 76.
Clerici conviviis intereſſe poſſunt, ſed tenentur diſcedere ante ludos theatrales, 83.
Clerici non debent incedere perſonati & larvati, 84.
abſtineant à ludis aliis, maximè ab alea jure Civili & Canonico, 85. 87.
Qvi ludi illis permisſi, 88.
Iis non rectè in latinâ Eccleſiâ interdictum matrimonium, XIV. 1.
Clerico ſatius eſt meretrices habere qvàm uxorem ſecundum Pontificios, & qvâ ex causâ, 36.
Clericorum caſtitas in Eccleſiâ Lanâ impudica, 37.
Clerici vitioſi & qvare & qvomodo judicandum de illorum vitiis, XV, 20.
Clericis qvare maximè inſidietur diabolus, 22.
Ineſt illis rixandi libido, 20. 21.
Clericorum exemptio, vid. Forum.
Clerici utebantur ſtolâ, XII. 9.
CLERICATUS necesſitas, I. 5.

COELIBATUS.

In Concilio Nicæna patres volentes cœlibatum Clericis imponere impediuntur à Paphnutio, XIV. 14.
Primò cœlibatus Clericorum electorum receptus conſvetudine, 15.
Cauſæ conſvetudinis ejus, 18.
Cœlibatûs contubernales, 16. XV. 14.
Cœlibatus viri contubernalis neqvit eſſe virgo per Concilium Nicænum, 17.
Cœlibatum Clericis primus Siricius Lege impoſuit, Africanos tantum ſvaſit, 19. 20. 25 & qvo ſucceſſu, 21. ſeqq.
Lex de cœlibatu excitavit Clericos nec probata ab omnibus & qvare? 29.
Non obtinuit in Eccleſiâ Græcâ, 30.

Ea contradictum in qvibusdam occidentalibus provinciis & ſeculo XI. videtur deſvetudine inumbrata lex de cœlibatu 31. 32.
Non convenit Eccleſiæ 33.
prætextus Eccleſiæ Romanæ 34.
vera ratio 35.
Judicium Bernhardi 36.
Ægrè ad cœlibatum rediguntur Subdiaconi XIIX. 6. 7.

COLOBIUM

Diaconi eo utebantur olim XII. 29.
Illi purpura erat intexta ib.
qvod Sylveſter mutavit ib.
Differentia inter Colobium & Dalmaticam ib.
Erat olim habitus etiam Epiſcoporum 30.

COMMUNIO

Inter Clericos olim fuit XIII. 1. 2.
Dein ſublata eſt 4.
Qvod improbatur & faſtiditur à patribus aliisqve 5.
Prima cõmunio Chriſtianorũ Laudatur & qvamdiu duraverit 6.
Ab ea communione primò receſſerunt Laici & qvare, poſteà & Clerici 7. 8.
Communio inordinata improbatur 10.
Communione ſublatâ degenerârunt Clerici XIII 22.
COMPETENTES qvi olim fuerint VIII. 41.

CONCILIUM

Tridentinum non rectè ſancit de minoribus ordinibus I. 13.
Idem putat non dehoneſtare Clericum officium ſeculare in aula principis XIII. 26.
Concilium Arelatenſe non fuit provinciale XV. 11.
Concilium qvid ſit in ſenſu Eccleſiaſtico IX. 1.
Ejus necesſitas expedientiæ & habet necesſitas gradus pro diverſitate objecti ib.
Apoſtoli ſingulari Dei providentia normam præſcripſerunt 2.
Ad Concilium tota Eccleſia eſt adhibenda ſed cum diversâ poteſtate pro diverſa aptitudine Subjectorum 3. 4.

CONJUGIUM

Non rectè interdictum in Latinâ Eccleſiâ Clericis XIV. 1.
Balſamon cum Leone putat matrimonium cum Diaconatu non poſſe conſiſtere 2.
Qvare non decidenda res ex eorũ ſententiâ 3.
Conjugium non erat interdictum Diaconis, ſeculo I. II. III. & initio Seculi IV. XIV. 5. 6 7.
Qvare conjugium contrahendum eorum qvi conſtituti in ſacris ordinibus à patribus Seculi IV. improbatum non verò contractum 12.
Conjugii uſus in Concilio Eliberino interdictus Clericis tempore celebrandæ ſolennis Euchariſtiæ 13.
Conjugium non interdicitur Clericis

ricis Canone 3. Concilii Nicæni 16.
A conjugati presbyteri oblatione non eſt abſtinendum per concilium gangrenſe 17.
CONVERSARE qvid ſit & qvi Converſi dicti ſint VII. 8.
CONSECTATIO eſt Synonymum ordinationis VI. 3.
CRUCEM portare in proceſsionibus erat Diaconorum Deinde & Archidiaconorum officium VIII. 33.

D.

DALMATICA

EA utebantur Diaconi XII. 28.
Ejus ratio denominationis ib.
Forma & qvod principum qvandoqve fuerit habitus ib.
Olim & Epiſcoporum 30.
Differentia inter Dalmaticam & colobium 29.
Sylveſter Dalmaticam primò Diaconis tribuit 29.
Dalmaticis utebantur Sacerdotes ante Caſularum uſum 31.

DECIMÆ

In Eccleſiâ N. T. non erant Decimæ XIII. 11.
Non ſunt ex jure naturæ & abſolutæ neceſsitatis qvoad qvotam ib. & 12.
Refutantur argumenta contrariæ ſententiæ 13. 14.
Qvæſtio: utrum conſvetudine poſsint minui & tolli proponitur 15.
Primo tempore & in N. T. dabatur præciſe decima pars non ex ſimplici neceſsitate 16.
Decimæ Deinde ſunt variè affectæ culpa Laicorum & Clericorum & variæ ortæ controverſiæ & qvæſtiones circa Decimas XIII. 17.
De modo circa Decimas ſervando in Eccleſia Magdeburgenſi inſtrumentum vetus 18.
Decimarum qvarta olim aut tertia pars deſtinata Clericorum alimentis 19.
Pars Decimarum qvæ ſupereſt an ad alios uſus an vero ad pauperum alimenta ſpectet qværitur ib.

DELICTA

Militum & Eccleſiaſticorum ſunt vel propria vel communia XV. 3.
Delicta communia à Canoniſtis contradiſtingvuntur privilegiatis & origo ejus diſtinctionis 4.
Qvæ propria Delicta Diaconorum 3.
Delictum commune Diaconorum, ſuperbia & avaritia, & cauſæ ej9 6. 7. 8. 9. 10.

DIACONUS

Hoc vocabulum variè ſumitur II. 1. 2. 3.

Qvandoqve

Qvandoqve continet vocabulum Epiſcopi & qvare ib.
Vocatur miniſter 4. & reliqva Synonyma III.24.
Utrum & Sacerdos II, 5.
Eſt dictus Levita 10.
Qvare Levita dictus 11.
Prima Diaconorum inſtitutio non à Chriſto ſed Apoſtolis. III. 1.
Diaconorum inſtitutio non eſt Sacramentum ib.
Diaconorum inſtituendorum cauſa impulſiva 3.
Diaconi non admisſi ab initio ad menſam ſacram III.8.
Diaconorum officium primævum ib. & 13. 21.22. VIII.1.
Diaconis in qvo ſenſu menſæ miniſterium tributum 9.
Diaconi primi ab Apoſtolis non conſtituti miniſtri Altaris III. 19.11.
Qvod negant pontificii & iis reſpondetur 12.13.14.15.16. 17. 18. 19.20.
Diaconorum officium non eſt confundendum cum alio munere accedente 21.22.
Solebant promoveri Diaconi ad altiora officia Eccleſiaſtica VIII. 1.
Diaconorum leve erat officium III. 23.
Diaconorum creatio in conſtitutâ Eccleſiâ petenda ex conſtituendâ Eccleſiâ IV. 1.
Diaconi primi non ex Græcis tantum electi ſed etiam ex Hebræis 3.
Diaconorum reqviſita ex examine cognoſcenda 4.
Diaconi primi â totâ Eccleſiâ, electi, qvi mos diu retentus demum mutatus 5. 6.
Diaconorum electio Apoſtolica, non obſervata deinde eſt 46. ſeqq.
Diaconorum primorum numerus Septenarius & qvare V.1. & 7.
Qvidam ſtatuunt præciſe ſeptem Diaconos eſſe debere 6. 8. â qvibus hoc negatum 8. 9.
Diaconorum numerus Romæ 10. 11.
Diaconorum numerus eſt arbitrarius 11. 12.
Diaconis ab Apoſtolis omnibus imponebantur manus VI.14.
A ſolo Epiſcopo per concilium Carthagineuſe III.ib.
Diaconi qvidam poſſunt eſſe temporarii, qvidam non VI.24.
Diaconorum Ordinatio peragenda in Eccleſiâ Latinâ tempore jejuniorum 27.
Ex qvâ ratione ib.
In qvâdam Græcâ Eccleſia omni die ib.
Olim certâ in ætate ſcil. 25. ann. in Eccl. Occidentali ad Diaconatum admittebantur VII. 4. ſeqq.
Item in Orientali ſ11.

Ab

Ab hâc ætate Diaconorum eſt receſſum in utrâqve Eccleſiâ 11. ſeqq.
Utrum liceat recedere qværitur & deciditur 22.
Diaconi an docendi munus habuerint pugnatum eſt inter Særaviam & Bezam VIII.3.4.5. 6.7.
Inter munus docendi Diaconorum & aliorum differentia ex loco Ambroſii elicitur 8.
Diaconi qvomodo munus prædicandi habuerint. 11.
Diaconis competiit Sacramentorum adminiſtratio ſive diſtributio, qvod & conſecratio, non ſatis probatur â Juello 12. ſeqq.
Diaconis olim poteſtas non fuit conſecrandi ſed diſtribuendi Euchariſtiam 18. Niſi presbyter præſens 20. qvi hoc alicubi conceſſit Diaconis ex facilitate ib.
Diacono non licuit dein officia ſua exercere ſine præſcitu Epiſcopi neqve Eleemoſynas diſtribuere neqve baptizare &c. 21.
Diaconorum qvi peragunt officium ſine conſenſu Epiſcopi, pœna & qvare pœna ſtatuta 22.
Diaconis qvid olim qvid hodie ex mente Canoniſtarum liceat 23.
Diaconorum alia officia 24. ſeqq.
Aſſiſtere & miniſtrare Sacerdotibus 27.
In patenâ & calice oblationes inferre & diſponere in altari 28.29.
Componere menſam Domini & veſtire 32.
Crucem ferre 33.
prædicatio Evangelii & Apoſtoli 34.
OFFICIUM precum 36.
non Canonicarum 37.
Diaconi preces fundebant ſuper qvos 39.
Diaconorum officium erat denunciare ut exeant poſt peracta circa unumqvemqve ſolemnia 56.
Recitare nomina 58.
Clamare. 59.
pacem annuntiare olim qvod eis dein ademptū & qvare 60.
Diaconi multa alia officia habebant 61.
Diaconorum poteſtas deminuta 62.
Diaconi an poſſint exomologeſin facere VIII. 63.
poſſunt intereſſe conciliis & interfuerunt tempore Apoſtolorum & poſt eos IX. 5.6.7.8.
Diaconi ſunt remoti â conciliis ambitione aſtutiâ Epiſcoporum & aliis ex cauſis 9 10.
Diaconos jus ſuffragii in conciliis habuiſſe contra negantes evincitur 11.
Diaconi aliqvando admiſſi in concilium ſine jure ſuffragii ut obſervarent Epiſcopos, ut 9 x 11.

lis

lis prælegebat codicem Canonum & adventantes introducebant 12.13 14.
Diaconi in Synodis aliqvando loco Epiſcoporum ſubſcripſerunt decretis Synodalibus, qvod dein mutatum ex cauſa IX.15.16.
Diaconi in Synodis qvandoq; Notariorum munere functi ſunt 17.
Diaconi ab Epiſcopis & Presbyteris tandem extra omnem dignitatem poſiti & ad reverentiam ac alia officia exhibendum coacti ſunt X. 1. Ad qvod Epiſcopis occaſionem dederunt ſuâ procaciâ & ſuperbiâ Diaconi & ſeculo 3.& 4.ſuperpientibus diaconis minitabatur Synodus Nicœna depoſitionem 6.
Diaconis non licet ſedere inter presbyteros 7. qvæcunqve ſit congregatio per Synodum Nicænam vel paulo poſt 8. it. Concilio Arelatenſi 9. Carthaginenſi ne qvidem loqvi licebat Diacono niſi interrogato 10. Agathenſi 11.
Diaconi concedente presbytero poterant ſedere 15.
Qvidam Diaconorum ſemper tenebantur Epiſcopo eſſe præſto 18.
Diaconi oculi Epiſcoporum ſunt propter curam pro vitâ & moribus parochianorum XI. 1. 2. 3.
Diaconis commiſſa cura ægrotorum & infirmorum 4.
Diaconorum cura peregre advenientes excipere, in eorum conditionem inqvirere, ad carceres commeare & martyrum deſideria exaudire, imo ſepelire 6. 7.
Diaconorum vita erat olim communis XIII. 1.
Diaconi non cellulis inhærebant niſi infirmi ſed plerumqve conclavi Epiſcopi & qvare 2.
Diaconorũ mores in vita 77. ſeqq.
Diaconi Reſponſales ſive Apocriſiarii erant in aulâ Conſtantinopolitanâ 91.
Diaconis an matrimonium licitum vid. conjugium.
De Diaconorum delictis, vid. delicta.
Diaconorum ſuperbia & ejus cauſa XV. 6. 7. 8. 9. 10.
Coërcetur concilio Arelatenſi 11.
Diaconi in aliis urbibus coërcebantur more urbicorum 12.
Diaconorum ebrietas 13.
Diaconi ſuſpecti fornicationis 14.
Diaconus labiis pollutus 15.
Diaconorum avaritia 16.
Diaconi ſunt heredipetæ 17.
Fœneratores 18.
Diaconorum forum ordinarium penes Epiſcopum ſi conveniantur perſonali actione XVI. 13.

Reali actione conventi ſtant etiam in foro ſeculari ib.

DIACONISSA

Homonymia XIX.1.2.3.
Earum origo ex primitivâ Eccleſiâ 3.4.
Synonymia 5.
Servæ eligebantur etiam Diaconiſſæ 6.
Officium earum 7. ad 16.
Sexagenariæ olim viduæ eligebantur Diaconiſſæ 16. 17.
A qvâ ætate dein & publicâ lege receſſum eſt & qvâ occaſione 19.
Falſa ratio diverſæ ætatis Diaconiſſarum 20.21.
Virgines ab initio Eccleſiæ non ſunt receptæ in numerum Diaconiſſarum, in ſenſu proprio ſed viduæ 20. & 23.
Diaconiſſarum virtutes inter qvas abſtinentia à matrimonio 24.
Earum pœna ſi nuberent 25. 26.27.
Solebant ſolenniter eligi ſed non conſecrari 28.
Veteres putabant Diaconiſſas conſiderari 29.
Diaconisſæ utrum inter perſonas Laicas an Eccleſiaſticas referendæ 30. ſeqq.
Diaconiſſarum ordo abrogatus 35. 36. citius in Latinâ qvàm in Græcâ Eccleſiâ 37.
Conſtitutiones Theodoſii in gratiam Diaconiſſarum 38.39.

DIACONIA qvid ſit III. 24.

DIACONICUM

Qvid ſit II. 15.16.
Ejus Synonymum 17. & X. 9.
Diſcipuli qvi ſint in Actor. Apoſt. cap. 6. IV.2.
Divinus cultus neqvit facile carere ritibus externis VIII. 24. qvi non ſint ſuperſtitioſi ib.

E.

ECCLESIA

Inſtituit ordines minores I. 7.
Seqvi debet Eccleſiam conſtituẽdam in eligendis miniſtris IV.6.
Eccleſiæ ſeveritas in delinqventes VIII.51
Eccleſiæ miniſtri ab initio à ſuperbia infeſtati ſunt & hoc malum modo ſeverè vindicandum modo ignoſcendum X 14.
Eccleſiæ reditus dividebantur in 4tuor partes *XIII. 4.*
Eccleſiæ miniſter non ordinandus ſine titulo 20.
Eccleſia qvid ſit XVI.1.
Eccleſia qvâ talis non habet Jurisdictionem propriè dictam ib.
Eccleſia primitiva ſub Imperator. Ethnicis non exercuit Jurisdictionem ſed audientiam 2.
Eccleſia conſideratur vel qvà poteſtatem qvam habet à Chriſto vel qva illam qvam habet à principibus 4.

Eccleſia

Eccleſiæ poteſtas excommunicandi non infert Juriſdictionem ib.
Eccleſiaſticæ Leges diſcrepant à civilibus 3.
ELECTIO conf. Diaconus Electionis ratio qvæ olim & qvomodo mutata miniſtrorum Eccleſiæ IV. 5. ſeqq.
Ab electione Clericorum non rectè excluſus eſt à principibus olim reliqvus populus 35 37.
Electionem revocare ad normam veteris Eccleſiæ fruſtra conati ſunt Epiſcopi 40.
Ad Electionem Clericorum olim populus non conſentiendi ſed ſuffragandi gratia adhibitus IV. 42.
Electio non tantum de Epiſcopis propriè prædicatur 43.
Ab Electione Apoſtolicâ Diaconorum in Eccleſiâ Cathedr. & Colleg. receſſum 46. ſeqq.
Electio qvomodo ab ordinatione differat VI. 1.

ENERGUMENI

Qvi ſint VIII. 47.
Multi erant primis Eccleſiæ temporibus ib.
Neqve ad officia Eccleſiaſtica neqve Euchariſtiam neqve preces fidelium & qvare non admiſſi 48.
Erant admodum abjecti à cœtu fidelium 49.
poterant cultu divino durante in loco certo adeſſe congregationi ſacræ usq; ad dimiſſos catechumenos 50.
Qvibus precibꝰ dimiſſi ſunt à Diacono ib.

EPISCOPUS.

Vocatur & aliqvando Diaconus II. 3.
Conantur abuſum circa electionem Clericorum revocare IV. 40.
Ab Epiſcopis prædicandi officium tranſit ad fratres Regulares VIII. 34.
Epiſcopi aſtutè & ambitiosè aliisq; ex cauſis arcent Diaconos à Conciliis IX. 9. 10.
Non erant olim diverſi à presbyteris prærogativam ſibi ſumpſerunt & in presbyteros & Diaconos X. 1.
Epiſcopis præſentibus preſbyteri qvoqve modeſtiæ cauſa aliqvando poterunt 16.
Neqveunt ſine presbyteris aut Diaconis adminiſtrare res Eccleſiaſticas & diſpenſare eas ſine illorum præſcitu metu pœnæ X. 19. 20.
Sine Epiſcopi præſcitu Diaconi Eleemoſynas dare neqveunt ib.
Epiſcopi abuſi ſunt ſuâ poteſtate adverſus diaconos, principes & alios Epiſcopos X. 21. 22.

Epiſcopi volunt geſtari à Diaconis 24.
Epiſcopi Aurelianenſis inſolentia adverſus Diaconum ſuum 25.
Epiſcoporum forum & judicium qvomodo ortum XVI.7.
Epiſcoporum poteſtas coactiva eſt pars ſecularis poteſtatis 8. & dependet à Regimine principum 9.
Epiſcopatus utrum ſit ordo I. 4.
EUCHARISTIA cum celebranda dimittebantur à Diacono Catechumeni, energumeni, pœnitentes, competentes VIII. 41.
EXCEPTORES qvi fuerint in Synodis & qvomodo creditum iis hoc munus IX. 17.

EXCOMMUNICATIO

Non provenit ex Jurisdictione XVI.4.
Excommunicationis excluſio non infert vim coactivam 5.
EXOMOLOGESIS qvid ſit VIII. 63. ſeqq.

F.

FLORENS non rectè ſentit de Clericorum prærogativâ I. 3.

FORUM

Ordinarium Diaconorum penes Epiſcopum ſi conveniantur perſonali actione. XVI.13.
Seculare ſortiuntur realiter conventi ib.
Forum ſeculare nanciſcuntur Miniſtri Eccleſiæ 14. 15. ſeqq. ubi reſpondetur contrariis.
A Foro civili removet Clericos Silveſter ex ineptâ ratione 21. 22. qvod ipſe non ſervat 23.
Pro Foro Clericorum nihil in concilio Nicæno ſtatutum 24.
Imperator Conſtitutiones circa illud ſeculo IV. 25. ſeqq.
Qvid in Oriente 33. ſeqq.
Circa forum Clericorum qvid à Theodoſio conſtitutum 42. ſeqq.
in concilio Carthaginenſi III. 45.
Honorio Imper. 46. in fine Sec. IV.
Innocentio papa 47.
Honorio in principio Seculi Vti 48. 49. 50.
Epiſcopis Africanis 51.
Johanne & Valentiniano 52.
Concilio Chalcedonenſi 53.
Valentiniano III. 54.
qvi defenditur contra Baronium 55.
renitentibus Epiſcopis 56.
Marciano in ſpecie de Clericis Conſtant. Eccleſiæ 58.
Concilio Seculo Vto 59.
Juſtiniano 60. ſeqq.
qvi defenditur 68.
Concilio Matiſconenſi & canon. 9. ejus. 69. 70.

Conci-

Concilio Toletano III. 71.
Pelagio IIItió papâ Romano 72.
Ab Imperatore poſt Secul. VI. tum occaſio magni augmenti addita 74. renitentibus aliis Imperat. 75.
Qvid circa forum Clericorum Seculo XIImó ſtatutum 76.
Circa forum Clericorum diſtinctum eſt â Dd. Seculo XIII. XIV. & deinceps 77. 78.
Foro ſeculari in totum exemit Clericum Gregorius M. 79.
inde opinio orta eſſe juris divini 80. Et qvæ ex illâ opinione elicita 81.
Forum Clericorum privilegiatum & qvâ magna delicta non ſine ſcandalo & detrimento civitatis 82. 83. 84.
De foro Eccleſiaſtico in genere 85.

G.

GRANDÆVUS qvia dicatur VII. 6.

GRATIANUS

Teſtimonium ejus alienum â praxi Eccleſiæ antiqvæ. IV. 6.
Confundit perpetuo Martinum papam cum Martino Bracarenſi Epiſcopo IV. 31.

H.

HELLENISTÆ

Qvi ſint III. 3.
Eorum viduæ excluſæ â qvo miniſterio 4. Harum viduarum murmuris tenor 5.

HOSPITIA

inter amícos ínventa propter ſpurca in cauponis conſortia XIII. 44.
ὑπηρέτις variè accipitur II. 14.

I.

IGNATIUS Ejus epiſtolæ ſunt ſuppoſititiæ III. 17.

JUDEX

Judici ſedenti Litigantes ſtando in Rep. Rom. reverentiam exhibebant X 16.
Judex poteſt eſſe Clericus jure novo licet non jure antiqvo XIII. 52.
A Judicis officio qvidam putant rectius removeri Clericum ib.
Judex vel ordinarius vel delegatus XVI. 10.

JUDICIUM.

Epiſcopale qvomodo ortum XVI. 7.
Dependet idem â regimine principum 8. 9.

K.

Κλῆρος Ejus varia acceptio I. 2.

Quid ſignificet VIII. 6.7.

L.

LABIIS pollutus XV. 15.
LAICI admittendi ad Concilia IX. 4.
Qvam habeant in illis auctoritatem ib.
Lector qvale officium habeat VIII. 34.
Lectionis ceremoniæ VIII. 35.
Leges Eccleſiaſticæ differunt à civilibus XVI. 3.
Λειτεργία variè explicatur II. 12.

LIBERI.

Inceſtuoſis & adulterinis qvare jure civili alimenta denegentur & jure canonico concedantur ratio lepida XIV. 37.
Liberis ſuppoſititiis uti qvomodo liceat. XI. 5.

M.

MANICÆ Interdictæ Clericis: apud Parthos in uſu & tandem apud Romanos XII. 12.

MANUUM impoſitio

Unde hic ritus ortus VI. 8.
Qvare ab Apoſtolis adhibita 9. 10. 13.
An eundem effectum producat in omnibus ib.
Qvas habeat rationes 10.
An à Deo mandata 13.
Qvare hodie retineatur ib.
Aliter exercebatur ab Apoſtolis aliter ſecundum concilium Carthaginenſe IV. 14. an liceat recedere ab Apoſtolorum ritu ib.
Sine manuum impoſitione ordinabantur Subdiaconi XIIX. 3.
Manuum impoſitioni non eſt alliganda divina gratia ad miniſterium neceſſaria ib.

MENSA.

Non eadem menſa ſacra cum communi III. 7.
Menſæ ſacræ cura non eſt Diaconis mandata ab initio 8.
Menſa variè accipitur III. 9.
Menſariorum officium ib.
Menſa Domini variè accipitur VIII. 32.
Menſa communis qvid ſit XIII. 4.

MILITIA

Non decet multis ex cauſis Clericos XIII. 59.

MINISTRI verbi divini.

Nomen iis peculiare rectè imponitur 1. 3.
De eorum præeminentiâ Florentis ſententia falſa ib.
Qvi olim nomine miniſtri venerint II. 8.
Miniſtrorum Eccleſiæ tres ordines

nes facit Dionyſius Areopagita 12.
Miniſtri nomen variè ſumitur 14.

MINISTERIUM

Eſt vel activum vel pasſivum III. 4.
Miniſterium menſæ qvid ſit 6.9.

MISSA

Catechumenorum unde ſit dicta & qvid ſit. VIII. 44. 56. 55.

N.

NEGOCIATIO.

NEqve jure civili neqve Canonico Clericis omnimodo interdicta XIII. 31. 32. 33. 34.
Dat anſam contrahendi avaritiam & ſcandalum 35.
Improbatur in Diacono 36.
Non eſt in ſe mala 37. 38.
Triplex negociatio & qvæ ex illis decent Clericos 39. ſeqq.

NOMEN

Nominum recitatio erat Diaconi officium, origo ejus & modus peragendi VIII. 57.

O.

OBLATIONES

QVid ſit & ratio denominationis VIII. 30. 31.

ORARIUM.

Qvid ſit apud profanos & Eccleſiaſticos Scriptores XII. 17. 18.
Ejus varia Etymologia 19.
Orario forte utebantur Diaconi ſoli in Orientali Eccleſiâ, in Occidentali Eccleſiâ etiam presbyteri & Epiſcopi 20. 21.
Orarium geſtabant presbyteri in utroq; humero, Diaconi in uno, videlicet ſiniſtro 22.
Orarii uſus erat ut Diaconi ſignum darent illis qvi præparabant ordines 23. 24 25.
Orarium habuit formam faſciæ aut mantilis non ſtolæ neqve ſudori detegendo neqve muco expellendo adhibitum 26.

ORDINATIO.

Non ſumitur pro electione presbyterorum IV. 43.
Qvomodo differat ab electione VI. 1.
Perficitur nomine totius Eccleſiæ ib.
Ordinatio qvid notet 2. 5.
Ordinationis Synonymum conſecratio ib. & χειροτονία 4.
Ordinatio qvare peracta ab Apoſtolis manuum impoſitione 9.

Ordina-

Ordinatio an ſit præciſe neceſſaria ad id ut qvis ſit miniſter Eccleſiæ II. 12.

Ordinationis formula precum non in SS. 15. philippo affingitur ib.

Ordinatio an ab uno peragenda & qvâ impoſitionem manuum & qvâ benedictionem 16.

Ordinationi Diaconi non adhibetur Chriſma apud pontificios VI. 20.

Ordinationi ab hominibus unctio addita 21.

Ab ordinatione qvare rejicienda 22.

Ordinatio qvare non reputatur, & qvod non propter indelebilitatem characteris 23.

Ordinatio Diaconorum qvo tempore in Latinâ & Græcâ Eccleſia peragenda 27.

ORDINARE

Qvid ſit VI. 2. & rectè Clericis tribuitur ib.

ORDO

Qvid notet pontificiis I. 4.

Varia acceptio ib.

Qvotuplex ib.

Dividitur à Lancelotto 5.

Ordinum inſtitutio antiqva 6.

Ordines minores ſunt ex nudâ Eccleſiæ ordinatione 7.

Ordines ſunt vel commoditatis vel neceſſitatis gratia in Eccleſiâ 8.

Ordo ſacer qvid ſit pontificiis ib.

Ordines minores inſtituendi occaſio. 9. 10. 11.

Ordines non ſunt Sacramenta 12.

Ordines minores poſſunt augeri, minui, tolli ab Eccleſia & Concilium Tridentinum non rectè contradicit 13.

De ordinibus minoribus judicium Caſſandri 14.

Habentes hodie nomina minorum Ordinum non neceſſario ordinandi & arbitrarius eſt numerus. 15.

Ordo qvid ſignificet Romanis & qvàm variè VI. 2.

Ordo pontificiis eſt Sacramentum 17.

Ordines inferiores non ſubſunt in Latinâ Eccleſiâ legi de cœlibatu XIV. 16.

Ordines inter Sacros ſubdiaconi non fuerunt & qvare non initio Eccleſiæ XIIX. 3. 4. 5.

OSTIARII

Magnus eorum numerus in Eccleſia Conſtantiopol. I. 16.

P.

PAlea qvare aſſcripta Conſt. Juſtiniani apud Gratianû VII. 11.

PAPA olim qvilibet Epiſcopus appellatur XIV.7.

PATENA fuit à primis Eccleſiæ Incunabulis vitrea VIII.28 29.

PASTORUM poteſtas præcipua in Synodis, & æqvare IX. 4.

PERSONA

Perſonarum in Eccleſia diviſio I. 1.
Origo ejus incerta ib.
Perſonatus qvid ſit VII.16.

PHILOSOPHIA

Utilis eſt Theologiæ vid. Theologia.
De philoſophorum gentilium ſalute neqvit ſpes concipi qvanta de Chriſtianis XIII.73.
Horum ſcripta qvomodo & qvâ intentione legenda 74.
Pœnitentiæ gradus & tempus VIII. 52 53.54.

POPULUS

Habet jus ſuffragii in electione Clericorum IV. 42.
Non ſemper exercet hoc jus eligendi Clericos per ſe ſed & per alios 45.

POSTULARE

Qva ex ratione interdictum Clericis jure antiqvo Canonico XIII. 48.
Jure novo qvibusdam ex cauſis & qvare permiſſum 50.51.

POTESTAS Spiritualis

& temporalis ſunt ſeparatæ poteſtates licet in unâ perſona concurrant XVI.6.

PRECES

Qvalis earum formulæ in ordinatione Diaconorum VI.15.
Preces Canonicæ VIII. 36.
Qvales Diaconi ib. 37.38 39.

PRESBYTER

Presbyteri ſeculô IVtô poſt ordinationem non poterant matrimonium inire XIV. 11.

PRINCEPS.

Principi ſoli non competit jus eligendi Epiſcopos *IV.35*.
Attamen ex cauſa Reip. ib.& 37.
Principes ſunt abuſi poteſtate eligendi 37.38.39.40.

R.

RELIQVIÆ.

Circa reliqvias ſuperſtitioſi Epiſcopi Luſitaniæ X.24.
Reliqviæ non ignominioſe tractandæ: non verò debetur illis cultus ib.

Regionarii dicebantur Diaconi Romæ III. 14.

RITUS EXTERNI

Cultui divino additi bona intentione debent carere ſuperſtitione VIII. 26.

Qvis introducere & abrogare posſit ib.

RUFINUS

Judicium de ejus auctoritate *VIII.* 14.

S.

SACERDOS

Sacerdotes vocantur & Diaconi II. 5.

Sacerdotis vocabulum ſumitur vel propriè vel impropriè 6.

Prædicatur de Epiſcopis & presbyteris 7. & VIII. 27.

Sacerdos qvo in ſenſu obtineat in N. T. II. 10.

Sacerdotis nomen qvare tribuatur presbyteris 11. 12.

Sacerdotibus asſiſtere & miniſtrare Diaconorum officium & qvale *VIII.* 27.

Sacerdotis nomen includit qvandoqve omnes Clericos 34.

Sacerdotes in Iſraëliticâ Rep. peculiari veſte utebantur in templo, an & extra templum incertum eſt XII. 2.

Sacerdotum officium ſanctum, & ut liberi ſint ab injuriis ac ut reverentiâ illis exhibeatur, exigit peculiarem veſtem 3. 10.

SACRAMENTA

Ordines non ſunt Sacramenta I. 12.

Sacramentorum diviſio Scholaſtica falſa ib.

De Sacramentorum materiâ & ſignis in ordinibus, inter Eccleſiæ Romanæ Dd. non convenit VI. 17. eorumqve conciliatio tentata â qvibusdam ib.

Sacramenti ordinis forma præfertur â pontificiis falſa, incerta & â pontificiis falſa, incerta & â S. S. & Eccleſiâ antiqvâ ignorata. 19.

Sacramentorum diſtributio Diaconis conceſſa non conſecratio *VIII.* 18.

Scil. abſente presbytero eoqve alicubi præſente ex facilitate 20. & tandem etiam præſcitu & conſenſu Epiſcopi 21.

SECULARIS

Artes ſeculares dehoneſtant Clericos adum Canoniſtas *XIII.* 26.

Secularibus officiis in aulis præeſſe Concilium Tridentinum non putat alienum â Clerico ib. & falsò explicant 2. Tim. 2. 17.

Secularis cura non omnis aliena â Clerico ſed ea qvâ animi intentio implicatur 28.

Qvæ res ſeculares alienæ â Clerico, neqveunt in ſpecie exponi 30.

SEPTENARIUS

Septem

Septem Diaconi ſunt à prima Eccleſiâ N. T. electi V. 1.
Septenario numero myſterium adſcribitur & plenitudo 2.
Septenario Diaconorum ineſſe myſterium negatur V. 3. Ratio ib.

SIRICIUS PAPA

Ejus epiſtolæ non ſunt ſuppoſititiæ XIV. 23.

STARE

Stare alio ſedente & non niſi juſſu ejus poſſe ſedere eſt ſubjectio ſervilis X. 15.

STICHARIUM

Veſtimentum erat Diaconis cum Epiſcopis commune XII. 27.
Epiſcoporum Sticharium erat formâ diſtinctum â Diaconorum Stichario ib.
Utrum Sticharium idem cum albâ ib.
Sticharia in Eccleſiâ Orientali qvædam erant purpurea & qvare ib.

STOLA

Erat veſtis & mulierum & virorum XII. 9.

SUBDIACONI

Seculô Vtô inter ſacros ordines relati & ſic ſubjecti Legi de cœlibatu XIV. 27.
Ab initio Eccleſiæ non fuerunt XIX. 1.
Originis eorum occaſio ib.
Subdiaconorum officium 2.
Ordinantur ſine manuum impoſitione & qvare ſecundum pontificios 3.
Qvare non inter ſacros ordines olim relati Barboſæ rationes 4. 5.
Subdiaconis votum caſtitatis non ubiqve potuit imperari 6. 7.
Poſtqvam in ſacros ordines relati difficulter admiſſi ſunt ad Epiſcopatum 8.
Subdiaconorum 7narius vulgò Fabiano adſcribitur & an verum ſit. 9.

SUPERBIA

Ad eam homo inclinatur X. 14.
Etiam miniſtri Eccleſiæ ib. & 21.

STUDIUM

Theologicum neceſſarium Clericis XIII. 61.
Studii Theologici abuſus 62. 63. 64. 65.
Juridicum Studium rectè interdictum Clericis 66 68.
Canoniſtarum exceptiones inanes 67.
Studium Medicum rectè interdictum Clericis 69.

T.

TABERNA Eam neqvit exercere Clericus XIII. 43.
Vilitas ejus 44.

THEOLOGIA. vid. Studium

Theologiæ ſtudio utilis philoſophia XIII. 71.

In Theologia philoſophiæ uſus laudatur 72. abuſ9 vituperatur 71.

Theologiæ inſerviunt Diſciplinæ philoſophicæ inæqvaliter, maximè Logica & Metaphyſica 75.

TEMPLUM

Templi Sophiæ vaſtitas V. 5.

TITULUS

Qvid ſit & qvotupliciter ſumatur cum origine harum acceptionum XIII. 20 21.

TONSURA

Omni Clero & ſic Diacono etiam neceſſaria XII. 32. & qvare ib.

variat modus tonſuræ ib.

TUTOR

Teſtamenta dari non poterat tutor primò Clericus XIII. 53.

Juſtinianus ab omni tutela liberavit: Dein diſtinctionem addidit 54. 55.

Tutela poſt Juſtiniani ævum indiſtinctè Clericis interdicta 57.

Tutela rectè interdicta ut plurimum Clericis 58.

U.

VESTIS

VEſtibus volebat Alexander Severus diſtingvere officia & conditiones hominum, disſvadentibus Ulpiano & Paulo XII. 1.

Veſtibus diſtingvere Sacerdotes congruum eſt ib.

Ut in Iſraelitica Rep. 3.

Veſtes Clericorum non ſunt determinatæ, determinandæ uſu 4.

VIRGO

Qvandoqve de viduis prædicatur XIX. 23.

VISITATIO

Mod9 viſitandi præſcribitur XVII. 13. 14. 15. 16. 17. 18.

A viſitandi jure ad Jurisdictionẽ concludunt Canoniſtæ 12.

Jus viſitandi habent Archidiaconi alicubi proprium ib.

VITIUM

Diſtinctio eſt inter vitium & flagitium XV. 1.

UNCTIO

Eſt addita ordinationi ab hominibus, neqve à Chriſto neqve ab Apoſtolis VI. 21.

Qvare ritus unctionis in ordinatione rejiciendus 22.

URBICUS

Diaconi Urbici qvi ſint XV. 11.

USURÆ

Nomen earum improbatur à recentioribus Canoniſtis non res XV. 18.

Crimen uſurarium eſſe merè Eccleſiaſticum perſtringitur. 19.

JUVANTE DEO!

DE

DIACONIS ET DIACONISSIS.

CAPUT I.

De ſumma hominum Eccleſiam facientium diviſione, qva dicuntur eſſe vel Clerici, vel Laici: deqve diſtinctione Clericorum inter ſe,& eorum ordinibus.

I. *Vocabulorum Laici Clericique ætas examinata.* II. *Significatus vocis* κλῆρ☉ς. *Eam Tertullianus verbi miniſtris fecit propriam.* III. *Ex ſeparato cœtu peculiare nomen Clericorum inventum; quod tamen nullam præeminentiam infert.* IV. *Varii Clericorum ordines unde ſint orti,& numerus.* V. *Eorum certa genera ſecundum Lancelottum; quæ ſchema hierarchiæ exhibent.* VI. *Origo horum ordinum perquiſita. Concilii Laodiceni tempus, auctoritas.* VII. *Minores ordines ex Eccleſiæ ordinatione inſtituti.* VIII. *Officiorum Eccleſiaſticorum alia ſunt Divini, alia humani inſtituti.* ἱερατικοὶ. κληρικοὶ. *Sacri ordines quinam?* IX. *Occaſio minores ordines inſtituendi verbis Duareni deſcripta. Canones Arabici Concilii Nicæni dubii.* X. *Euſebii teſtimonium de ſchola Alexandrina, Antiochena.* XI. *Seminaria Eccleſiarum ſub Epiſcoporum cura, eaque triplicia.* XII. *Ordines iſti ex inſtitutione Eccleſiæ Sacramenta non ſunt.* XIII. *Ordines minores ex arbitrio Eccleſiæ augeri minuique poſſunt. An miniſteria Eccleſiæ non niſi ordinati debeant obire?* XIV. *Pueris committi poſſunt.* XV. *Num ſint ordinandi & tanto numero alendi?* XVI. *Minuenda ſacerdotum multitudo de ſententia Caſſandri. Juſtinianus eorum numerum ex ſufficientia redituum definit.* XVII. *Inſtituti ratio breviter ſignata.*

Vulgaris admodum & ſumma perſonarum ad Eccleſiam Chriſti pertinentium diviſio hæc eſt, qvod vel Laici in eâ ſint, vel Clerici. Quæ vocabula, qvo primum tempore diverſa hæc perſonarum genera diſcriminare inceperint, & qvando ea huic differentiæ exprimendæ adhibita primùm fuerint, non una omnium eſt ſententia. Sunt, qui ſerò eadem in uſum Eccleſiæ recepta putant, & inter hos nonnulli, qui ab illis *ἀγράφοις*, ambiguis & malè ſonantibus terminis abſtinere prorſus jubent. Gisbert. Voet. *polit. Eccleſ. part. 2. lib. 1. tr. 1. cap. 1. concluſ. 3.* Alii verò antiqviſſimum eorum eſſe uſum contendunt, idque ex Clementis Romani epiſtolâ ad Corinthios, qvam anno hujus ſeculi XXXIII Patritius Junius primùm edidit, probari putant. Ut David Blondellus *in apol. pro ſentent. Hieron. de Epiſc. & preſb. ſect. 2. pag. 12.* Priores illi conſvetudini & uſui recepto valdè renituntur, qvem evertere & uno impetu intercidere vix licebit. Verba valent ſicut nummi, nec alium ex ſe præbent ſignificatum, qvàm prout admittit cujuſcunque gentis & Eccleſiæ inſtitutum. Si qva impuritas illis ineſt, aut perverſa extenſio, demi poteſt ea, & ad juſtum atq; convenientem ſignificatum revocari. Poſterior autem ſententia autoritati epiſtolæ Clementinæ nimium tribuit; Sed qvam adhuc non temerè ſollicitari, & ſæpiſſimè prorſus rejici, Theologorum nos docent auditoria. Conf. Gisb. Voet. *diſp. de Patr. part. 2. pag. 95. & 103.* Qvæ porrò in hanc rem ab aliis afferri ſolent ex Canonibus Apoſtolicis, & Ignatii *epiſtolâ ad Philadelphienſes*, tamdiu apud nos *νοθείας* ſuſcipione laborant, qvoad certius nobis de illorum autoritate dari poterit teſtimonium. Qvantis enim ea res involuta ſit difficultatibus, docent ea, qvæ paſſim diſputant Iſaacus Voſſius, Jacobus Uſſerius, David Blondellus, Andreas Rivetus, Robertus Cocus, Johannes Dallæus, Richardus Montacutius, & alii, qvæ hîc examinare noſtrum non patitur inſtitutum.

II. In ſacris literis vox *κλῆρος* integram denotat Eccleſiam ſive cœtum fidelium ex utroq; genere perſonarum conſtantem, idqve, ut videtur, propterea, qvod is alicui vel aliqvibus regendus obveniat. *1. Pet. V, 3.* Aliâ notione, qvicunqve convertuntur, *κλῆρον* ſive ſortem accipere dicuntur inter ſanctificatos, *Act. XXVI, 18.* & *κληρωθῆναι*, in ſortem acciri, *Eph. I, 11.* Poſtea verò uſus & autoritas Eccleſiæ nomen Clericorum proprium & *ἐξαίρετον* fecit eorum, qvi in ſacro miniſterio erant con-

conſtituti, & hoc nomine diſtingvere eos voluit ab reliqvo cœtu fidelium. Primus Scriptorum Eccleſiaſticorum, apud qvem vox κλῆρος miniſtris verbi divini peculiariter tributa eſt, videtur eſſe Tertullianus, qvi circa initium ſeculi tertii vixit, & *in libro de monogamiâ* Clericorum & illorum, qvi ſunt in Clero, nec non allectionis in Clerum meminit. Secuti ſunt mox alii, Cyprianus, Hieronymus & pleriqve omnes, qvibus id nomen in tali diſcretivo ſignificatu qvotidiè uſitatum fuit. Et ab his deniqve acceperunt Imperatores. Sic enim definit Clericum Conſtantinus M. *in l. 2. C. Theod. de Epiſc.* qvod ſit, qvi divino cultui miniſterium religionis impendit.

III. Sanè qvod ἀφορίζειν & ſeparare jubet Spiritus Sanctus ab reliqvo cœtu Barnabam & Saulum ad opus, ad qvod eos vocaverat, *Act. XIII, 2.* inde rectè concludunt Doctores, aliqvem ritum ſeparandi miniſtros verbi divini ab reliqvo populo eſſe neceſſarium ex præcepto divino. Neqve hoc proinde ſolius Eccleſiæ inſtitutum eſt, uti exiſtimavit aliqvando Tertullianus, notatus ab Claudio Eſpencæo *lib. 1. digreſſ. c. 3.* Separatum ergò illi dum conficiunt ſtatum, ſpeciali eum nomine exprimere ipſa jubet, qvæ ita facta eſt, hominum diſtinctio. In ipsâ etiam Scripturâ vocabulum κλῆρος diverſimode circa diſtinctos iſtos ſtatûs uſurpari, obſervat Franciſcus Florens, JCtus & Anteceſſor Aurelianenſis, *in diſſertat. ad rubr. tit. de vit. & honeſt. Cler. Clericorum*, inqvit, *nomen, ſicut & Cleri, latiſſimè patet. Eccleſiam enim omnem complectitur, & Chriſtianos omnes, ſicut & Sacerdotis nomen aliquando. --- Omnes qvippe ſunt heredes Chriſti, Patris,* συγκληρονόμοι σύσσωμοι, *unde & fratres mutuo ſe appellabant. Diſtinctionis tamen cauſa in duas ſpecies dividuntur à Paulo Apoſtolo. Prima ſpecies eſt Cleri* τῆς διακονίας, *id eſt, miniſterii, Act. I, 25. ſacer ordo. --- Alia ſpecies eorum eſt, qvi ut ait idem Paulus Coloſſ. I, 12.* εἰς τὴν μερίδα τοῦ κλήρου τῶν ἁγίων ἐν τῷ φωτί, *digni facti ſunt in partem ſortis ſanctorum, in lumine, & convenit etiam fidelibus Laicis, &c.* Qvod verò addit Florens, ſpeciem primam, id eſt, partem illam Cleri, qvæ mancipata eſt divino officio, præſtantiorem & nobiliorem eſſe ſecundâ, qvâ Laici continentur, id in ignominiam cedit Principum & magiſtratuum, qvorum autoritas per affectatam ejuſmodi præſtantiam prorſus intercidit. Alii enim minimè contenti hâc præeminentia in Eccleſiâ, non obſcurè inferunt, non ſolum miſerum ſacrificulum, ſed minimum etiam Diaconum in menſâ communi & qvovis conventu ſummis Imperatoribus ac Regibus præferendum eſſe,

Vid. Baron. *tom. 1. ad ann. 57. num. 31.* Bellarm. *l. 1. de R. P. cap. 7.* Imò verò majorem ſacerdoti tribuunt potentiam, qvàm Devs omnipotens in mundi efficientiâ habuit, & hinc parum abeſt, qvin ſacerdotem Deo ipſi præferant. Plurima talia congeſſit Calixtus *in Reſponſ. ad Dn. Erneſt. Haſſ. Landgr. pag. 113. ſeqq.*

IV. Poſtqvam ita ex inſtituto & mandato divino certum ordinem hominum conficerent illi, qvi ad miniſterium Eccleſiæ vocabantur, & officia talia obirent, qvibus præſtandis non admittebantur non vocati; officia autem illa non uniusmodi eſſent, præſertim in amplioribus Eccleſiis, ubi, qvæ cultui divino & diſciplinæ externæ neceſſaria erant, à pluribus curari oportebat, factum inde, ut ipſi qvoqve Clerici inter ſe officia dividerent, & certos conſtituerent gradûs, qvos ordines dixérunt. Illi qvot numero ſint, aut eſſe debeant, cùm in ordine generaliter ſumpto Sacramentum ſtatuatur, valdè ſolliciti ſunt Canoniſtæ & Theologi Pontificii; illis ſcilicet in numero novenario, his in ſeptenario ἀκρίβειαν ſuam oſtentantibus. Qvi ab utrisqve tales habentur, ſub his nominibus veniunt: Oſtiaratus, Pſalmiſtatus ſeu Lectoratus, Exorciſtatus, Acoluthatus, Subdiaconatus, Diaconatus, & Presbyteratus. Canoniſtæ adhuc addunt duos, & qvidem ante Oſtiaratum primo loco ponunt Clericatum, ſeu primam tonſuram, & poſt Presbyteratum ſupremo loco referunt Epiſcopatum. Ut in gratiam redeant utriqve hanc vulgo comminiſcuntur diſtinctionem, Epiſcopatum non eſſe ordinem, capiendo ordinem, prout eſt ſacramentum, qvia ſcil. Ordo, ut eſt ſacramentum ordinatur ad Euchariſtiæ Sacramentum, cujus reſpectu Epiſcopus ſuperiorem poteſtatē non habeat, qvàm habet ſacerdos ſimplex; ſed capiendo ordinē prout denotat officiū, ſive gradū poteſtatis reſpectu qvarumcumqve ſuarum actionum, Epiſcopatum eſſe ordinem & ſupra ſacerdotium. Alphonſ. Alvarez Guerrer. *de jur. ac poteſt. Pontif. Imp. c. 8. n. 6.* Petr. Gregor. *de benefic. c. 36. n. 6.* Aug. Barboſa *de jur. Eccleſ. lib. 1. c. 33. n. 4.*

V. Ut ordines iſtos ad certa redigeret genera, & claſſes inter eos aliqvas communes conſtitueret Joh. Paulus Lancellottus *in inſtitut. lib. 1. tit. 4.* his diſtinctionibus procedit: Clericorum qvi divinis officiis mancipati ſunt, qvidam ſunt in ſacerdotio, qvidam in ſacris, qvidam nec in ſacerdotio, nec in ſacris. Rurſus eorum, qvi in ſacerdotio conſtituti ſunt, qvidam ſunt in altiore gradu vel ordine poſiti, qvales ſunt Epiſcopi, qvidam verò in inferiore, ut ſunt presbyteri. In ſacris conſtitutos eſſe dicit Diaconos & Sub-

Subdiaconos. Illos verò, qvi neque in ſacerdotio, neque in ſacris ſunt, dicit eſſe omnes reliquos, qui ab aliis in minoribus ordinibus conſiſtere dicuntur, ut ſunt Acolytus, Exorciſta, Lector, Oſtiarius. Et hâc ratione nobis exhibetur ſchema totius hierarchiæ Eccleſiaſticæ, qvæ ut cœleſti in novem ordinibus ſecundum commenta Dionyſii Areopagitæ conſiſtenti reſpondeat, clericatu inſuper, ſive primæ tonſuræ ordine augetur, qvam ſcil. januam eſſe dicunt reliquorum ordinum omnium, adeò, ut qvi eâ neglectâ ad alios promotus fuerit, non per oſtium, ſed per poſticum in ovile ingreſſus cenſeatur.

VI. Qvid nunc de diſtinctione iſtâ, & ſingulis ordinibus in ſpecie ſentiendum ſit, & an verum in illis inveniatur Sacramentum, nimis prolixum eſſet hîc diſcutere. Lucem tamen aliqvam tota hæc materia accipiet, ſi de origine iſtorum ordinum aliqvalis hîc primis apicibus inſeratur notitia. Inter canones concilii Laodiceni præter Presbyteros & Diaconos, *can. 21. & 24.* mentio fit Subdiaconorum, Lectorum, Pſalmiſtarum, Exorciſtarum & Oſtiariorum, & ſic ſatis vetuſta eorum eſt inſtitutio. Etſi enim adhuc lis ſit inter eruditos, qvo tempore Concilium iſtud habitum fuerit, dum alii circa annum Chriſti CCCXXI celebratum contendunt, ut Baronius *in append. ad tom. 4.* Franciſc. Long. â Coriolano *in ſumm. pag. 55.* Severinus Binius *in not. ad Concil. Laodic. p. 293.* & Franc. Sylvius *in not. ad Caranz.* alii ad annum CCCLXV iſtud producunt, uti facit Caranza *p. 131.* Petrus de Marca *de concord. ſacerd. & Imp. lib. 3. c. 3. num. 1.* à qvibus non multum diſcedit Johannes Dallæus *de jejun. & qvadrag. lib. 3. cap. 3.* qvi vel anno CCCLXX, vel certè aliqvo alio, ſed poſt CCCLV habitum exiſtimat; omnes tamen iſti in ſeculum qvartum id referunt uno conſenſu. De autoritate autem hujus Concilii dubitari non poteſt, qvia ejus Canones non tantùm in Græcâ collectione, â Chalcedonenſi Concilio approbatâ, ſed etiam in Latinâ verſione Dionyſii Exigui, qvam utramqve edidit Chriſtophorus Juſtellus JCtus, recenſentur. Et hujus collectionis in Orientali & Occidentali Eccleſiâ maximam ſemper fuiſſe autoritatem nemo ignorat qvi non hoſpes eſt in hiſtoriâ Eccleſiaſticâ. Sed & alia ejusdem ſeculi, proſtant documenta, ex qvibus probari poteſt, inferiores iſtos ordines, qvos enumeravimus, in uſu fuiſſe. Diſertè enim Exorciſtarum, Lectorum & Oſtiariorum mentionem facit Gratianus Imp. *in l. 6. C. de Epiſc. & Cler.* eorundem Exorciſtarum, Theodoſius M. *in l. 121.* Lectorum, Arcadius *in l. 163. Cod. Theod. eod.* Imò verò illicò poſt celebratum

concilium Nicenum & Lectorum & Hypodiaconorum & cæterorum Clericorum meminit Conſtantinus Magnus *in l. 7. C. Th. de Epiſc.*

VII. Minores iſtos ordines non ex divino mandato aut præcepto, ſed ex nudâ Eccleſiæ ordinatione inſtitutos primùm fuiſſe, agnoſcit Papa Urbanus II, &, quod ab eo habitum fuit, Concilium Beneventanum, prout iſtud edidit Stephanus Baluzius *in not. ad Petr. de Marca, de concord. ſacerd. & Imp. lib. 8. cap. 13.* Canonem ipſum refert Gratianus *c. nullus diſt. 60.* & Innocentius III. Papa *c. 9. X. de æt. & qvat. ord.* Seqvitur, & diſertè magis de omnibus minoribus ordinibus id aſſerit, Abbas Panormitanus *ad c. un. X. de Cler. per ſalt. prom.* dum ait: *In primitivâ Eccleſiâ non erant inſtituti minores ordines, & tamen erat ſacerdotium.* Ita & Petrus Lombardus, qvi Magiſter ſententiarum vulgo dicitur, *lib. 4. diſt. 24. ad tit. 1.* poſtqvam de ſeptem ordinibus diſſeruiſſet; *Excellenter*, inquit, *Canones duos tantùm ſacros ordines appellari cenſent, Diaconatus ſcil. & Presbyteratus: qvia hos ſolos primitiva Eccleſia legitur habuiſſe, & de his ſolis præceptum Apoſtoli habemus. Apoſtoli enim in ſingulis civitatibus Epiſcopos & presbyteros ordinaverunt. Levitas etiam, id eſt, Diaconos ab Apoſtolis ordinatos legimus, qvorum maximus fuit B. Stephanus. Subdiaconos verò & Acolythos, procedente tempore Eccleſia ſibi conſtituit.* Verba hæc in ultimis tribus lineis comprehenſa habentur ſub eâdem connexione apud Gratianum *can. 1. diſt. 21. in fin.* qvi, ut vulgò traditur, frater fuit Lombardi adulterinus. In eandem ſententiam peroravit in Concilio Tridentino F. Hieronymus Brauo Dominicanus, referente Petro Svav. *hiſt. lib. 7. pag. 659.* Et ne dubitetur, Eccleſiæ hanc poteſtatem inſtituendi ordines competere, de Subdiaconatu id expreſſis verbis aſſeritur in *c. miramur X. de ſerv. non ord.* Et hâc ratione etiam Pſalmiſtatum inter minores ordines Eccleſiæ decreto relatum fuiſſe, ſcribit Jo. Paul. Lancelottus *in Inſtit. l. 1. c. 23. §. 2.*

VIII. Scilicet plurima talia, qvæ Eccleſiaſtica dicuntur, officia commoditatis & decori gratiâ ab hominibus introducta ſunt, neqve ſi benè uſurpentur, reprehendi poſſunt, dum tamen ab aliis eſſentialibus officiis rectè diſtingvantur. Hæc enim qvia neceſſaria Eccleſiæ & â DEO ipſo inſtituta ſunt, multum diſtant ab utilibus, ac ab hominibus ad eſſentialium commoditatem & ſubſidium excogitatis. Et ſicut aliàs ex utilitate qvæ æſtimantur, multo inferiora ſunt illis, qvæ neceſſaria ſunt: ita etiam in Eccleſiaſticis officiis ſuperior eſt ille, qvi eſſentiale ejus officium ſuſtinet. Hâc ratione jam olim diſtincti fuerunt Clerici in

ſacerdotes, ſeu in ſacerdotio conſtitutos, qvi & primi dicuntur *l. 24. C. Th. de Epiſc.* & in miniſtros, qvi inferioris loci Chriſtianæ legis miniſtri dicuntur *l. 41. Cod. Th. de Epiſc.* Priores illi ἱερατικοὶ, poſteriores κληρικοὶ ſpeciali ſignificatu dicebantur. Inter priores referebantur Epiſcopi, Presbyteri & Diaconi. Poſteriorum claſſis ex cæteris inferioris ordinis & loci miniſtris conſtabat. Vid. Jacob. Gothofred. *ad l. 7. C. Theod. de Epiſc.* Et hæc diviſio Clericorum dilucida magis videtur, qvam illa Lancellotti ſuperius adducta, qvippe qvæ obſcurè admodum certam ſpeciem in ſacris conſtitutorum facit. Cur enim ordines alii ſacri, alii non ſacri dici debeant, cùm omnes ad cultum divinum & ſacramentorum adminiſtrationem ordinati ſint, nulla hactenus dari potuit ratio ſolida. Qvod enim aliqvi non ſacros ideò dici putant, qvia conſtitutis in illis ſacra vaſa tangere non liceat, id in ſubdiaconis nunqvam obtinuiſſe contendit Auguſtinus Barboſa *de jur. Eccleſ. lib. 1. cap. 37. n. 15.* ubi deinceps ſub *nu. 16.* mavult, ordinem ſacrum dici debere illum, qvi annexum habet votum caſtitatis, non ſacrum verò, qvi hujusmodi votum annexum non habet. Sed & ipſum hoc caſtitatis votum olim ſacris officiis annexum non fuiſſe, & interdictum conjugii Scripturæ Sacræ adverſari, alibi commodiùs dicetur.

IX. Occaſionem, qvam habuit Eccleſia, ut minores iſtiusmodi ordines inſtitueret, verbis Franciſci Duareni *ex lib. 1. de ſacr. Eccleſ. miniſt. cap. 14.* deſcribendam puto, qvæ hæc ſunt: *Ut ſeminarium qvoddam eſſet eorum, qvi Epiſcopis, presbyteris & Diaconis ſuccederent, alebatur ſumptu publico magnus juvenum numerus, Eccleſiæ miniſterio conſecratorum, qvi interim non ſolum inſtituebantur in ſtudio literarum, ſed portio aliqva etiam munerum Eccleſiaſticorum ipſis committebatur. Eorum nempe qvæ leviora minorisq́; momenti eſſent, qvæq́; antea â diaconis obiri ſolebant, ut his veluti rudimentis qvibusdam ad majora graviorａq́; obeunda præparentur. Ac ne qva confuſio perturbatioq́; eam functionem impediret, diſtincta ſunt diviſaq́; inter ipſos officia, ita ut unusqvisq́; ſuo muneri bonâ fide incumbens de alieno ſollicitus non eſſet. In qvâ diſtributione gradus qvidam ideo conſtituti ſunt, qvod eorum munerum alia aliis digniora videbantur, nec poterat qvisqvam ad majus promoveri, qvi in minore antea verſatus non fuiſſet, &c.* Si canonibus Concilii Niceni, qvos ex Codice Arabico Bibliothecæ Marcelli II Pontificis edidit Franciſcus Turrianus, fides haberi debet, haud obſcura ejus rei veſtigia *ex cap. 55.* colligere licebit, qvod ita ſe habet: *Chorepiſcopus, cùm viſitat Eccleſias & monaſteria, qvæ ſub poteſtate ſuâ habet, videat, an pauci ſint,* vel

vel deſint fratres & ſorores. Congreget Seniores caſtelli & prædicet atqve exponat eis ſcripturas ſacras, eosq; de omnibus ſanctis præceptis admoneat. Item interroget, an habeant filios aut filias, & faciat, ut adſe adducantur, ut ſignet eos, & oret ſuper eos, imponatq; manus, ac benedicat; & inſtituat miniſtros, ſicut prius eos admonuerat; debetq; diſtribuere eos per Eccleſias & monaſteria & providere ut diſcant, ut reddantur apti & idonei ad ædificationem monaſteriorum & Eccleſiarum, & aliorum locorum, qvæ horum opera indigebunt. Sed enim, qvia dubiæ adhuc fidei ſunt iſti Canones Arabici, & viginti tantùm Concilii Niceni canones ab antiqvis Scriptoribus numerantur, uti videre licet apud Theodoret. *lib. 1. hiſt. Eccleſ. cap. 8.* Ruffin. *lib. 1. hiſt. Eccl. cap. 6.* Gelaſ. Cyzinen. *l. 11. act. Conc. Nic.* & in *Cod. Can. Eccleſ. African. pag. 58.* it. in *Cod. Can. Eccl. univerſ. pag. 2.* & in verſione Dionyſii Exigui *pag. 40.* atqve Baronius ipſe de eorum fide adhuc valdè dubitat *tom. 3. ad ann. 357. ſect. 180.* qvi tamen ad ſcripta ὑποβολιμαῖα non unis vicibus provocat; validæ inde probationes adduci neqveunt.

X. Pluris faciendum eſt teſtimonium Euſebii, qvod de ſcholâ Alexandrinâ commemorat *lib. 5. hiſt. Eccl. c. 10.* dum ait: *Per idem tempus fidelium ſcholæ præerat Vir doctrinæ causâ celeberrimus, nomine Pantænus, qvippe jam inde à priſcis temporibus, ſacrarum literarum ſchola in eâ civitate fuerat inſtituta: qvæ qvidem noſtrâ adhuc ætate perſeverat, & ab hominibus tùm eloqventiâ, tùm divinarum literarum ſtudio inſtructiſſimis obtineri dicitur. Hic ergo Pantænus poſt multa præclarè geſta tandem Alexandrinæ præfuit ſcholæ: ubi partim vivâ voce, partim ſcriptis divinorum dogmatum theſauros expoſuit.* Idem Euſebius *lib. 7. cap. 29.* Antiochenæ meminit ſcholæ, ex qvâ prodierat Malchion, Pauli Samoſateni acerrimus oppugnator. *Præcipuè*, inquit, *illum coarguit & latere cupientem refutavit Malchion qvidam Vir diſertiſſimus, qvippe qvi Sophiſticæ apud Antiochiam ſcholæ præfuerat, & qvi ob fidei Chriſtianæ ſinceritatem in ejus loci Eccleſiâ presbyterii honorem erat conſecutus, &c.*

XI. Probabile igitur eſt, in majoribus Eccleſiis ſemper ejusmodi ſeminarium fuiſſe, in qvo erudirentur, qui Eccleſiaſticis officiis ſtudia ſua addixerant. Qvò referunt, qvod inter gradûs miniſterii Eccleſiaſtici Paulus Apoſtolus *1. Cor. XII, 28.* recenſeat Doctores, qui poſtea κατηχισταὶ fuerant dicti. Et ſicut Viri ſancti ſuos habuerunt diſcipulos domeſticos, familiares, clientes, ſectatores & auditores: ita credibile eſt apud Epiſcopos, qvi eruditione & vitæ ſanctitate ordinibus antecellere credebantur, plurimos tales Cleri-

Clericatûs rudimenta edoctos fuiſſe. *Apud inſignes Eccleſias*, inquit Albertus Cranzius *metropol. l.3.c.43. ab antiqvo docti Viri fovebantur, qui publicas ſcholas ſuſtinerent, priusqvam publica literarum gymnaſia, qvæ nunc multa florent, per Chriſtianismum erigerentur. Sed eâ tempeſtate, qvam nunc explicamus, valuit vetus Eccleſiarum conſvetudo ab usq; Origene & Clemente & primis Eccleſiæ Doctoribus traducta, qvi apud memorabiles Eccleſias Antiochiæ & Alexandriæ ſuis temporibus docuerunt.* Cumque ea collapſa aliquando fuiſſet diſciplina, ut ea reſtauraretur, & ſeminarium inter Clericos aliqvod conſervaretur, lege Eccleſiaſtica deinceps cavere oportuit. Sic enim conſtitutum legitur in Concilio Toletano IV. *can. 23. Omnis ætas ab adoleſcentiâ prona eſt in malum. Nihil enim incertius, qvàm vita adoleſcentium. Ob hoc conſtituere oportuit, ut ſi qvi in Clero impuberes aut adoleſcentes exiſtunt, omnes in uno conclavi commaneant, ut lubricæ ætatis annos, non in luxuriâ ſed in diſciplinis Eccleſiaſticis agant, deputati probatiſſimo ſeniori, quem & magiſtrum doctrinæ & teſtem vitæ habeant.* Triplices autem olim fuiſſe ſcholas notat Franciſcus Florens *ad c. 3. X. de vit. & honeſt. Cler.* qvippe presbyteris alias & Clericis, alias monachis, alias deniqve pueris deſtinatas. Qui in primâ ſcholâ erant, dicebantur juniores Eccleſiæ, & inter clericos jam referebantur, uti patet ex Concilio Turonenſi II. *c. 13. & 20.* Karoli M. *cap. lib. 5. tit. 121. & lib. 6. tit. 154.* Notabile de illis eſt decretum Concilii Vaſenſis II, qvod tertium nonnullis dicitur, *c. 1. Placuit, ut omnes presbyteri, qui ſunt in parochiis conſtituti, ſecundum conſvetudinem, qvam per totam Italiam ſatis ſalubriter teneri cognovimus, juniores Lectores qvantoscunqve ſine uxore ſecum habuerint in domo, ubi habitare videntur, recipiant, & eos qvomodo boni patres ſpiritualiter nutrientes, pſalmos parare, divinis lectionibus inſiſtere, & in lege domini erudire contendant, ut & ſibi dignos ſucceſſores provideant, & â domino præmia æterna recipiant. Cùm verò ad ætatem perfectam venerint, ſi aliqvis eorum pro carnis fragilitate uxorem habere voluerit, poteſtas ducendi conjugem non negetur.* Natum hinc eſt vocabulum *junioratus*, qvod de miniſterio explicat Petrus de Marca *ad can. 7. Concilii Claremontani*, de beneficio & præſtimonio, qvod junioribus Clericis in officii ſolatium datum fuit, Joh. Baptiſta Souchet. *ad Ivonis Carnotenſis epiſt. 286.*

XII. Qvandoqvidem igitur plerique iſti ordines ab Eccleſiâ inſtituti ſunt, Sacramenti autem tota actio ex DEI inſtitutione & diſpenſatione dependet, cujus ſolius eſt, media gratiæ homini præſcribere, facile hinc patet, ordines iſtos inter ſacra-

LYON

menta referri non poſſe. Fuerunt qvidem jam olim inter Scholaſticos, qvi putarunt, Sacramenta qvædam immediatè vel ab Eccleſiâ, vel ab Apoſtolis inſtituta fuiſſe, & inter recentiores Petrus de Ledesma, *de Sacram. in gen. cap. 1.* poſtqvam diſertè ſtatuiſſet, ſolum Deum poſſe determinare res ſenſibiles, ut habeant rationem ſacramenti & ſigna operativa gratiæ, addit mox ὕστερον istud: facere iſtud Deum vel immediatè & ſe ſolo, vel mediatè & commiſſione aliis datâ; iſta tamen ſententia omni deſtituitur fundamento. Qvemadmodum enim ſolius Dei eſt, bona cœleſtia dare & promittere, ac ſuam erga nos voluntatem declarare: ita ejusdem ſolius eſt, ſigilla ac certa ſuæ erga nos benevolentiæ pignora promiſſioni annectere. Qvod autem talia ſigilla non ipſe ſolus immediatè, ſed etiam per alios inſtituere velit, de eo altum in Scripturâ Sacrâ eſt ſilentium. Qvod ſi cauſæ illæ mediæ non poſſunt inſtituti ſui autoritatem divinam & mandatum oſtendere, nec Deo qvidem id erit tribuendum. Nec proinde Deus ſolus autor Sacramentorum dici poterit, qvod tamen, ut ſtatuatur, Chriſtiana nos jubet religio.

XIII. Qvapropter cùm ex Eccleſiaſticâ inſtitutione primam ſuam originem habeant ordines illi minores, uti vocantur, in Eccleſiæ utiqve arbitrio erit, augere eosdem pro re natâ, aut minuere, aut etiam prorſus tollere, prout Eccleſiæ ratio exegerit. Non omnibus placuit Decretum Concilii Tridentini, ut miniſteria ordinum à Diaconatu uſqve ad Oſtiariatum non exercerentur, niſi à promotis ad ordinem cujusque proprium. Sed ſatis difficile videbatur obſervatu, ut nullæ in Eccleſiâ pulſari poſſent campanæ, aut portæ obſerari vel aperiri, niſi ab ordinatis oſtiariis; ſed nec accendi Lampades & candelæ niſi ab acolythis, munera illa manuaria exercentibus, ut ad Sacerdotium pervenire poſſent. Et videbatur nonnihil contradictionis habere, qvod abſolutè decreviſſent, ut illa miniſteria non obirent, niſi ordinati, & poſtea Prælatis præcepiſſent, ut ea, qvantum commodè fieri poſſet, reſtituerent. Nam obſervato decreto abſoluto, ex neceſſitate fieri, ut ubi ad illarum functionum exercitium perſonæ ordinatæ haberi neqveant, iis exercendis ſuperſedeatur. qvod ſi exerceri poſſint ſine ordinibus, tametſi minùs commodè, rectius abſolutum illud Decretum omitti potuiſſe. Sunt verba Petri Svavis, *in hiſt. Concil. Trid. lib. 8.*

XIV. Fecit hoc concilii Tridentini decretum, ut Georgius Caſſander *in Conſultatione* ſuam, *ad art. 13.* de ordine Eccleſiaſtico ſententiam expoſiturus non improbaret omni-

nò reſtitutionem omnium iſtorum ordinum per deſvetudinem jam penè collapſorum; ſed eam tamen non tàm ex neceſſitate, quàm ex utilitate Eccleſiæ metitur, & pueris committi iſta officia debere arbitratur. *Conſtat*, inqvit, *ſacros ordines propriè dici Diaconatum & preſbyteratum, ut qvos ſolos primitivam Eccleſiam in uſu habuiſſe legatur, id quod teſtatur Urbanus Papa, & annotavit Chryſoſtomus & Ambroſius in epiſt. Pauli ad Timotheum priorem, ex eo, qvod Epiſcopi ordinationi ſtatim Diaconi ordinationem ſubjiciat; ad minores verò ordines qvod attinet, qvi olim quinque ſe ordine conſeqventes memorari conſveverunt, hi ſanè præſente tempeſtate, neglectâ omni diſciplina & politiâ Eccleſiaſticâ, prorſus confuſi ſunt, & eorum officia propemodum ceſſârunt, etſi veſtigia qvædam in freqventioribus Eccleſiis in pueris & adoleſcentibus, minora qvædam officia Eccleſiaſtica obeuntibus cernuntur. Subdiaconi verò & Diaconi officio plerumqve presbyteri funguntur. Utile tamen eſſet, pueros aliqvot communibus Eccleſiæ ſumptibus ali, ad miniſterium Eccleſiaſticum deſtinatos, qvi tanqvam tyrones ad graviora in Eccleſiâ officia inſtituantur & exerceantur*, &c. Si rectè percipio mentem Caſſandri, non videtur ille ſtatuiſſe, ad expedienda officia iſta Eccleſiaſtica minora ordinem neceſſarium eſſe,& ſuppuduit eum fortaſſe doctrinæ Canoniſtarum, qvam refert Johannes Andreæ & Cardinalis Zabarella, *in gloſſ. ad c. fin. de ætat. & qval. in Clement.* eandem ſeptennii ætatem & Clericali tonſuræ & reliqvis minoribus ordinibus ſuſcipiendis ſufficere, qvandoqvidem veſtigia tantùm aliqva primæ horum ordinum inſtitutionis in ejuſmodi pueris & adoleſcentibus ſupereſſe ait Caſſander.

XV. Qvod ſi ſolenniter olim in vetuſtiore Eccleſiâ ordinati fuerunt, qvi minoribus iſtis officiis obeundis adhibiti erant, haud immeritò dubitatur, num adhuc ordinari debeant, qvi idem qvidem nunc nomen geſtant, non tamen idem amplius ſuſtinent officium. Sic enim Oſtiarii, exemp. gratia, ſeu janitores, tempore myſteriorum, poſt denunciationem diaconi templo ejiciebant gentiles, catechumenos, pœnitentes, energumenos, hæreticos, & excommunicatos. Sed diſciplina hæc ejiciendi catechumenos, pœnitentes & energumenos jamdudum collapſa eſt. Ut autem fores templi occludantur, ut canes expellantur, ut pavimentum purgetur, ad illud non eſt opus peculiari ordinis Sacramento. Imò verò fores claudere ac aperire, cereos accendere, vaſa ſacra cuſtodire, mundare, & ad divinos uſûs præparare, menſam Domini veſtire, paſtori ad miniſtrandum adſtare, aqvam ad baptiſmum, panem & vinum ad Euchariſtiæ celebratio-

nem adferre, &c. talia ſunt miniſteria, qvæ à paucioribus & ut plurimum ab uno eodemqve homine facilè præſtari poſſunt. Et poterit igitur hinc unaqvæqve Eccleſia, prout ſibi commodum viſum fuerit, qvandoqve pluribus qvandoqve paucioribus miniſteria iſta committere, tantum abeſt, ut neceſſitas aliqva diſtinctionis hîc ſupponi debeat.

XVI. Optimè conſultationem ſupra adductam continuat Caſſander his verbis: *Illud autem ad omnem, qvæ de hoc articulo exiſtere poſſit, controverſiam præcidendam, inprimis conducturum puto, ſi multitudo illa & turba inutilium Sacerdotum minuatur, neque alii eligantur vel ordinentur, qvàm qvibus ad miniſterium Eccleſiaſticum opus eſt, hoc eſt, præter Epiſcopos per ſingulas civitates ampliores, territoria (qvæ diœceſes dicuntur) presbyteri, ſeu Paſtores, qvi ſingulis Eccleſiis, qvæ nunc parochiales vocantur, præſint, cum uno aut altero Coadjutore, qvi alibi Capellani, alibi Viſitatores dicuntur, qvi & in officiis Eccleſiaſticis Diaconorum vices obire poterunt, ut jam ferè receptum videmus, &c.* Viderat Caſſander, oneri magis eſſe Clericorum in unâ Eccleſiâ numerum exceſſivum, qvàm, adjumento, & reſtringi propterea eum cupit, ut officio Eccleſiaſtico, qvod præcipuum eſt, ſua conſtet dignitas, & qvorſum miniſterium ab initio conſtitutum ſit, eo magis eluceat. Viderat id etiam Juſtinianus Imperator, ſed qvi tamen numerum Clericorum non ex neceſſitate & indigentiâ populi, atqve totius cœtûs Eccleſiaſtici, ſed ex ſufficientiâ redituum, ne Eccleſia mutuum contrahere teneretur, definire maluit. *Qvapropter*, inqvit, *ſancimus, non ultra ſexaginta qvidem preſbyteros, in ſanctiſſimâ majore Eccleſiâ eſſe, diaconos autem maſculos centum, & qvadraginta fœminas, ſubdiaconos verò nonaginta, Lectores autem centum & decem, cantores viginti qvinqve, ut ſit omnis numerus reverendiſſimorum clericorum ſanctiſſimæ majoris Eccleſiæ in qvadringentis viginti qvinqve, & inſuper centum exiſtentibus iis, qvi vocantur oſtiarii, &c.* Et multo tamen plures antea fuiſſe, ſuoque tempore, dum ita conſtitueret, adhuc exiſtere ait idem. Vid. *Novell. 3. cap. 1.* De presbyteris enimverò & diaconis, nec non de ſubdiaconis nolo nunc diſqvirere, qvouſqve reſtringi eorum numerus debuerit, qvandoqvidem profitetur Juſtinianus, præter Eccleſiam majorem tres alias Eccleſias ei unitas illis curæ eſſe debuiſſe: *In ſanctiſſimâ*, inqvit, *majori Eccleſiâ hujus feliciſſimæ noſtræ civitatis, & per tres venerabiles domos unitas ei, tanta Clericorum ſit multitudo.* Qvo reſpectu numerum aliqvem & presbyterorum & diaconorum neceſſarium fuiſſe,

ſe, nec ab uno aut altero ſacra peragi potuiſſe, nemo ibit inficias. Reliqvorum autem ordinum, & præcipuè Oſtiariorum numerus qvin exuberans fuerit, & modum exceſſerit, dubium apud me nullum eſt. Ad qvid enim centum oſtiariis opus fuit? niſi qvis oſtia templi Conſtantinopolitani numerum dierum exæqvaſſe ſtatuere velit cum Bellonio, ſed qvæ vix capiet ambitus iſtius templi, qvem deſcribit Evagrius *lib. 4. cap. 30.* dum tamen ne major aut amplior fuerit olim, uti ſe perſvaſum ſcribit Augerius Busbeqvius *epiſt. 1.* Nobis verò Evagrii ab Juſtiniani ætate proximi autoritas major eſt.

XVII. Nos omiſſis cæteris omnibus de Diaconis nunc agemus, ut, qvalis eorum conditio ab Eccleſiæ Chriſtianæ primordiis fuerit, qvaliſve mutatio ſubinde contigerit, plenior & accuratior nobis comparetur notitia. Ne verò ἀμεθόδως & ſine omni prorſus ordine procedamus, poſt inſpectionem nominis ſeqventia potiſſimum nobis curæ erunt, ut, qvæ circa electionem & ordinationem Diaconorum obſervata olim fuerint, tùm de officio eorundem & qvaliter ſeſe tùm in ſacris peragendis, tùm in reverentiâ erga Epiſcopum, ſive in Eccleſiâ, ſive in Conciliis, ſive in communi vitâ gesſerint, aut gerere debuerint, tùm deniq; qvaliter ſe vita eorum privata & cum aliis conſvetudo aut converſatio habuerit, qvibuſqve vitiis inqvinati, qvibus pœnis affecti, & à qvibus judicibus condemnati fuerint, & ſi qvid porrò obſervandum venerit, ſub certis & ſpecialibus titulis exhibeamus.

Caput II.

De nomine Diaconi, & vocabuli ejus uſu.

I. *Latiſſimus Διακονίας ſignificatus.* II. *Apud ſcriptores ſacros de verbi miniſterio cumprimis accipitur.* III. *Epiſcopi qvoqve Diaconi dicuntur: eorum condiaconi.* IV. *Diaconi ſtrictius dicti qvinam?* V. *Diaconos Optatus inter Sacerdotes refert.* VI. *Duplex vocabuli Sacerdotis acceptio.* VII. *In Codice Juſtinianeo ſolis epiſcopis itemqve presbyteris tribuitur.* VIII. *Sacerdotes jam ſeculo IV miniſtris oppoſiti, & conjuncti.* IX. *Diaconi vocati Levitæ.* X. *Propter ſimilitudinem functionis Leviticæ in veteri teſtamento.* λειτουργός.

γὸς, ἱερουργεῖν, *vocabula ſacrificantibus propria.* XI. *Sacerdotum ac Levitarum in utroqve teſtamento comparatio.* XII. *Triplex miniſtrorum Eccleſiæ ordo ex Dionyſio Areopagita.* XIII. *Sacerdotium Noviqve teſtamenti ſacrificia qvænam de ſententia Joannis Chryſoſtomi?* XIV. Διάκονος, ὑπηρέτης. XV. Διακονικόν. XVI. *Qvalis fuerit locus, ex mente Jac. Gothofredi ſignatur.* XVII. *Non male Secretarium adpellatur.*

I. Diaconi & διακονίας vocabulum etiam apud profanos Scriptores de qvocunqve miniſterio & obſeqvio, generali ſignificatu uſurpatur. Sic enim πρὸς ὠνήν τε καὶ πρᾶσιν διακονεῖν dicuntur Platoni emendis & vendendis mercibus præpoſiti, *lib. 2. de Rep.* & Luciano amorum miniſtri οἱ τὰ ἐρωτικὰ διακονούμενοι. Qvâ ratione etiam Demoſtheni διακονίαι δημοσίαι dicuntur munera publica & adminiſtrationes publicæ. Qvalia apud bonos autores occurrunt plura. In Scripturâ divinâ & DEVS ſuos dicitur habere diaconos, *Rom. XIII, 4. Matth. IV, 11.* & Diabolus, *2. Cor. XI, 15.* certiſſimo argumento, qværcumqve miniſteria non ſacra tantùm, ſed profana etiam, & in his tàm ea, qvæ bona, qvam qvæ mala ſunt & damnabilia ſub latiſſimo διακονίας ſignificatu comprehendi.

II. In ſacris literis & ſignificatu Eccleſiaſtico iſtud vocabulum ut plurimum de miniſterio verbi accipitur, qvod Apoſtolos, Apoſtolicosqve viros ſuſtinuiſſe legimus *Act. I, 17, 25. c. VI, 1. 4. c. XI, 29. c. XII, 25. c. XX, 24. c. XXI, 19. Rom. XI, 13. c. XV, 31. 1. Cor. XII, 5. 2. Cor. III, 8. 9. c. IV, 1. c. V, 18. c. VI, 3. c. VIII, 4. c. IX, 1. 12. 13. c. XI, 8. Coloſſ. IV, 17. 1. Tim. I, 12. 2. Tim. IV, 5. 11. Apoc. II, 9.* qvi Diaconi proinde dicebantur, *1. Cor. III, 5. 2. Cor. III, 6. c. VI, 4. c. XI, 23. Epheſ. III, 7. c. VI, 21. Coloſſ. I, 7. 23. 25. c. IV, 7. 1. Theſſal. III, 2. 1. Tim. IV, 6.* & διακονεῖν ſive miniſtrare, *Act. XIX, 22. Rom. XV, 25. 2. Cor. III, 3. c. VIII, 19. 20. 1. Tim. III, 10. 13. 2. Tim. I, 18. Hebr. VI, 10. 1. Petr. I, 12. & c. IV, 10.* Sed tùm tamen vocabulum hoc adhuc latè ſumitur, in reſtrictione tamen ad miniſterium divinum, qvod & verbum complectitur & Sacramenta. Cumqve Paulus utrumqvè hoc officium per διακονίαν καινῆς διαθήκης intelligat *2. Cor. III, 6.* nolim ego eadem verba in precatione, qvæ habetur in liturgiâ Baſilii, ad Euchariſtiæ tantùm ſacramentum reſtringere, uti facit Caſaubonus, *exercitat. 16. n. 35.* Etſi enim Euchariſtiæ tantùm Sacramentum adminiſtrare intendat ſacerdos, dum iſta pronunciat verba, nihil tamen prohibet ex toto ſuo officio eum poteſtatem hanc admini-

miniſtrandi æſtimare, & idcircò ad totum iſtud habilitatem â Deo expetere, præſertim cùm Euchariſtia ſine verbo adminiſtrari nequeat.

III. Hâc ratione ipſi etiam Epiſcopi Diaconi non malè dicentur, qvi propterea miniſtros reliqvos condiaconos ſuos qvandoqve appellare conſueverunt, uti adverſus autorem quæſtionum in V. & N. T. exemplis oſtendit David Blondellus, *Apolog. de Epiſc. & presbyt. ſect. 2. ſub n. 22.* Etſi enim διαιρέσεις διακονιῶν ſive diſtinctiones miniſteriorum inter eos ſint, *1. Cor. XII, 5.* hoc eſt, etſi munia diverſa obeant, omnium tamen intentio ultimatò huc fertur, ut cultus divinus tùm per doctrinam verbi, tùm per adminiſtrationem Sacramentorum peragatur, & ad hunc ſcopum omnium διακονία concurrit. Idem autem eſt Dominus, inqvit Apoſtolus, hoc eſt, miniſteria qvidem diſtincta & diverſa ſunt, eidem tamen Domino univerſa & ſingula præſtantur, ita ut διακονία omnium non eadem qvidem ſit, ſed uni tamen eidemqve Domino debita. Miniſterium diſpenſationis myſteriorum Dei in genere vocat Epiſcopatum Auguſtinus *epiſt. 238.* Et hâc ratione Epiſcopi verè Diaconi ſunt & dicuntur, notante Chryſoſtomo, *in Epiſt. ad Phil. init.* qvomodo etiam Autori conſtitutionum Apoſtolicarum, *cap. 26.* λόγυ διάκονοι, ſive miniſtri verbi dicuntur; & adeò omnes illi, qvi ita in commune operantur & laborant, condiaconi non immeritò appellari poſſunt.

IV. In ſtrictiore autem ſignificatu Diaconi peculiariter appellati ſunt illi, qvi locum in Eccleſiaſticis gradibus ab Epiſcopis & Presbyteris proximum tenent. De qvorum officio perpetuum id reſponderi poteſt, eos eſſe Sacerdotum, ut Ambroſius ad literam Pauli loqvitur, miniſtros, in omnem Eccleſiaſtici muneris partem aſſumptos, ſed qvod tamen non iiſdem ſemper partibus conſtitit. Et in hoc ſtrictiore ſignificatu etiam miniſterii vocabulum, qvod aliqvando Epiſcoporum officio tributum diximus, ad ſolos Diaconos applicatum legitur. Ignatius Antiochenæ Eccleſiæ Paſtor ad Heronem Diaconum ſuum ſcribit ex itinere, qvo trahebatur ad martyrium: *Nihil ſine Epiſcopis agas. Sacerdotes enim ſunt, tu vero miniſter ſacerdotum. Illi enim baptizant,* ἱερυργῦσι, *ſacerdotium agunt, ordinant, manus imponunt, tu verò eis miniſtras, &c.* Inter canones Concilii Carthaginenſis IV, *num. 4.* hæc leguntur verba: *Diaconus dum ordinatur, ſolus Epiſcopus, qvi eum benedicit, manus ſuper caput ejus ponat, qvia non ad ſacerdotium, ſed ad miniſterium*

rium

rium conſecratur, apud Gratianum *can. diaconus diſt. 23.* Qvò & ſpectat Iſidorus apud eundem Gratianum, *diſt. 21. c. cleros*, dum ait: *Hi* (Levitæ) *græcè diaconi, latinè miniſtri dicuntur, qvia ſicut in ſacerdote conſecratio, ita in diacono miniſterii diſpenſatio habetur.* Speciale hoc eſſe miniſterium ab reliqvis ordinibus diſtinctum, nemo non intelligit; ſed qvâ ratione ab ſacerdotio diſtinctum ſit, videndum eſt.

V. Enim verò Optatus Milevitanus, *lib. 1. contra Parmen.* Diaconos inter Sacerdotes connumerat: *Qvid commemorem*, inquit, *Laicos, qvi tunc in Eccleſiâ nullâ fuerant dignitate ſuffulti? qvid miniſtros plurimos? qvid Diaconos in tertio? qvid presbyteros in ſecundo ſacerdotio conſtitutos? Ipſi apices & principes omnium, Epiſcopi, &c.* Diſtingvit Optatus diaconos â presbyteris & Epiſcopis, ſed ita ut nihilominus eos inter ſacerdotes referat. Id cùm concoqvere non poſſet Gabriel Albaſpinæus, Epiſcopus Aurelianenſis, *in not.* ex ſupra adducto Concilii Carthaginenſis canone Optato contradicit, dum ait: *Sacerdotii duo tantùm ſunt gradus, Epiſcopatus & presbyterium. Diaconi enim ſacerdotii vim & conſecrationem non conſeqvuntur, ut ajunt Patres Concilii Carthaginienſis, neqve illis manus ab omnibus clericis imponebatur in conſecratione, &c.* At noſſe debuerat Albaſpinæus, Concilii Carthaginenſis autoritatem opponi non debere Optato, qvippe qvod triginta annis poſterius atqve recentius fuit, & interea temporis valdè mutari potuit forma Eccleſiaſtica externa.

VI. Cæterùm jam diu obſervatum eſt ab Viris eruditis, in Novi Teſtamenti libris nuſpiam Sacerdotes vocari, qvi divino miniſterio addicti fuerunt. Obtinuit tamen deinceps & conſvetudine receptum fuit, ut miniſtri Eccleſiæ Chriſtianæ non ſolùm in generali illâ ſignificatione, ſecundum qvam omnes pii dicuntur Sacerdotes, *1. Petr. II, 5. & 9. Apocal. I, 6. c. V, 10.* ſed etiam ſpeciali qvodam ſignificatu & reſpectu Sacerdotes dicerentur, qvatenus ſcil. prædicatione Evangelii & doctrinâ verbi ſacrificant, & in eam rem peculiariter ſeſe Deo conſecrant. Optimè Gregorius Nyſſenus, *orat. de baptism. Verbum DEI*, inqvit, *ſacerdotem auguſtum & honorandum facit, novitate benedictionis à communitate vulgi ſegregatum. Qvum enim heri ac tempore ſuperiori unus è multitudine & plebe eſſet, repente redditur præceptor, præſes, doctor pietatis, myſteriorum latentium præſul, eaqve contingunt ei nihil corpore vel formâ mutatis, &c.* Uti verò Sacerdotes propriè dictos, ad ſacrificium propitiatorium Deo offerendum deſtinatos in Eccleſiâ Chriſtianâ non agnoſcimus, cùm Chriſtus ſit ſacerdos

dos æternus & abſque ſucceſſore: Ita Nyſſenum & cæteros Patres nomen Sacerdotis impropriè uſurpaſſe, & ſenſu eo, qvem explicavimus, dubium non eſt.

VII. Recepto ita ſub aliâ notatione in Eccleſiâ Chriſtianâ nomine Sacerdotis, parum abfuit, quin Epiſcopis ſolis id aliquando tribueretur. Et generalem proinde hanc de legibus Codicis Juſtinianei, qvæ extant ſub tit. *de Epiſcop. & Cler.* ad *l. 7.* adſcripſit notam Antonius Contius: *Obſerva*, inquit, *Sacerdotem ſemper in his legibus poni pro Epiſcopo.* Sic enim intelligi debent textus in *l. 10. l. 14. l. 18. l. 31. l. 33. l. 42. l. 43. l. 44. C. de Epiſc. & Cler. l. 13. l. 34. C. de Epiſc. aud.* & alii plures. Nihilominus tamen promiſcuè etiam presbyteri hoc nomine in eodem Codice inſigniuntur, uti patet ex *l. 16. l. 19. l. 44. l. 53. C. de Epiſc. & Cler. l. 8. §. 2. C. de hæret. l. 34. §. 4. C. de Epiſc. aud.* Vid. Cujac. *ad l. 14. C. de Epiſc. & Cler.* Qvâ ratione etiam antiqvi Canones presbyteros & Epiſcopos indiſtinctè ſacerdotes vocare ſolent.

VIII. Imò verò, ne qvid diſſimulem, ſeculo jam qvarto, anteqvam Optatus Milevitanus inclaruerat, ſæpè Sacerdotibus Miniſtros oppoſitos aut adjunctos, & per illos, Epiſcopos atq; presbyteros, per hos vero, Diaconos & cæteros Clericos denotatos fuiſſe, tùm in Canonibus Eccleſiaſticis, tum in Legibus civilibus obſervo. Concilii ex totâ Hiſpaniarum dioeceſi, Eliberi Bæticæ congregati vetus Epitome hunc facit canonis XVIII titulum: *De ſacerdotibus & miniſtris ſi moechaverint.* & can. XXXIII, *De Epiſcopis & miniſtris, ut ab Uxoribus ſe abſtineant.* Ita & conjunguntur deinceps in *can. 1.* Concilii Turonenſis I, Sacerdotes vel miniſtri Eccleſiæ, de qvibus dictum eſt, vos eſtis lux mundi, &c. it. in Concilio Toletano IX, *cap. 3. 4. 8. 10.* in concilio Toletano X, *cap. 4.* in Concilio Emeritenſi, *cap. 23.* in concilio Toletano XIII, *cap. 7. & cap. 11.* In qvibus locis omnibus per miniſtros tùm diaconi, tùm etiam cæteri clerici inferiores intelligendi ſunt. Eodem ſenſu in *l. 10. C. de Epiſc. & Cler.* edicit Honorius Imp. *Si qvis in hoc genus ſacrilegii proruperit, ut in eccleſias catholicas irruens ſacerdotibus & miniſtris vel in ipſo cultu locoq; aliqvid importet injuriæ &c.* Vocabulum autem miniſtri tùm temporis cæteros clericos omnes, qvi ſunt infra diaconos, comprehendiſſe, oſtendit ejuſdem Honorii conſtitutio in *l. 41. Cod. Theodoſ. de Epiſc.* ubi dicitur: *Si Epiſcopus vel presbyter, diaconus & qvicunq; inferioris loci Chriſtianæ legis miniſter &c.*

IX. Conſimiliter, ſicuti Epiſcopi & presbyteri Sacerdotes, ita diaconi aliqvando Levitæ dicebantur. Concilii Valentiæ Segovellaunorum in provinciâ Viennenſi ex totâ Gal-

licanâ dioeceſi congregati Epitome canonis qvarti hanc facit inſcriptionem: *Ut ſacerdos vel Levita, ſi de ſe crimen aliqvod confitetur, deponatur.* Canon autem ipſe non Levitæ meminit, ſed Diaconi. Atqve ita ſæpè in antiqvis canonibus vel Sacerdotes & miniſtri, vel ſacerdotes & Levitæ, vel deniqve Sacerdotes & Diaconi conjunguntur, ut ita miniſtrorum, Levitarum & diaconorum ἰσόῤῥοπος ἀξία, atqve idem planè officium, & eadem nominis ratio cenſeri debeat, qvod maximè patet ex Concilio Turonenſi I, *cap. 1. & 2.* Conferri in eandem rem poſſunt Concilium Agathenſe, *c. 16. 17.* Concilium Toletanum IV, *can. 39.* Concilium Toletanum X, *cap. 7.* Concilium Carthaginienſe III, *cap. 4.* Arelatenſe III, *cap. 1.* Wormatienſe *cap. 69.* Bracarenſe III, *cap. 5.* Ita & Apollinaris Sidonius, cùm Eccleſiæ ſuæ Diaconum Vindicium commendaret Petronio Arelatenſis fori togato, *lib. 5. epiſt. 1.* his utitur verbis. *Commendo Vindicium, neceſſarium meum, virum religioſum & Leviticæ dignitati, qvam nuper indeptus eſt, accommodatiſſimum.*

X. Hinc verò patet, ſacerdotum & Levitarum nomina apud Judæos uſitata miniſtris Eccleſiæ Novi Teſtamenti applicata fuiſſe, non ut eandem, ſed ut ſimilem functionem denotarent, qvatenus etiam in Novo Teſtamento victima aliqva, ſed Spiritualis, offerri debet. Leviticus enim Veteris Teſtamenti cultus externus, & typicus, in ſpiritualem converſus eſt, poſtqvam morte Chriſti omnibus ſacrificiis corporalibus & externis adeoqve toti cultui Levitico finis impoſitus fuit. Utitur de ſuo miniſterio talibus ex Scholâ Judæorum ſacrificali vocabulis ipſe Apoſtolus, & ſacrificium novi Teſtamenti ſpirituali deſcribit, qvando ait *XV, 16.* Εἰς τὸ εἶναί με λειτουργὸν Ἰησοῦ χριστοῦ εἰς τὰ ἔθνη, *ut ſim miniſter Jeſu Chriſti apud gentes,* ἱερουργοῦντα τὸ εὐαγγέλιον τοῦ θεοῦ, *operans Evangelio DEI,* ἵνα γένηται ἡ προσφορὰ τῶν ἐθνῶν *ut oblatio gentium fiat accepta, ſanctificata in Spiritu S.* Vocabula λειτουργὸς & ἱερουργεῖν ſunt vocabula ſacrificantibus propria, & ex Lege Moſaicâ petita, qvæ ita applicat miniſterio ſuo Apoſtolus, ut, cùm de nullo ſacrificio corporali mentionem faciat, ſed de Evangelio tantum, qvod ſe ἱερουργεῖν dicit, manifeſtè indicet, in ſenſu ſpirituali & myſtico iſta omnia accipienda eſſe. *Sacrificamus,* inqvit *lib. 10. contra Julian.* Cyrillus Epiſcopus Alexandrinus, *nunc multo meliùs, qvam illi olim. Deſcendit enim cœlitùs non ſenſibilis ignis, ſed ex patre per Filium Spiritus S. illuſtrans Eccleſiam. Adhibemus autem & ſacrificia, ſpiritualia ſcil. & mentalia. Nam illi qvidem offerebant DEO boves, oves, turtures, & columbas, & ex fructibus &*

& ſimilam oleo ſparſam, & lagana & thura. Nos autem tàm craſſo miniſterio relicto præceptum habemus, ut tenue ac ſpirituale & ſubtile perficiamus. Offerimus enim in odorem ſvavitatis DEO virtutes omnigenas, fidem, ſpem, charitatem, juſtitiam, continentiam, perpetuas laudes & alias virtutes &c.

XI. Qvale igitur eſt ſacrificium, tales etiam ſunt Sacerdotes, tales Levitæ. Uti apud Judæos Sacerdotum munus in univerſum hoc fuit, ut victimas in templo cæderent, vota pro populo offerent, Levitarum autem, ut ſacrificantibus Sacerdotibus miniſtrarent, arcam ferrent, & cætera id genus exeqverentur, qvæ libris ſacris prodita ſunt: ita presbyteris ex conſuetudine poſt Apoſtolorum tempora in Eccleſiâ receptâ Euchariſtiæ celebratio competebat, qvæ tùm temporis non competebat diaconis, qvippe qvi celebrantibus presbyteris aſſiſtebant tantùm & miniſtrabant. Similis igitur eſt aliqva ratio, & non niſi in remotiore aliqvâ habitudine, non eadem. Nec negari poteſt, regimen Eccleſiarum Chriſtianarum plurimùm conformatum fuiſſe ad exemplar Synagogarum Judaicarum aſſumptaqve ſæpè vocabula ex Judaicâ religione in Chriſtianam propter conformitatem aliqvam, licet valdè generalem & longiùs petitam. Qvandoqvidem enim veteris populi ceſſant ſacrificia & victimæ, fidelium oblationes & eleemoſynæ dici aliqvo modo hoſtiæ poſſunt; per manus presbyterorum & diaconorum diſpenſandæ, & veluti DEO in pauperibus offerendæ.

XII. Dionyſius Areopagita, doctus qvidem, non tamen ita vetus Scriptor, qvalem eum faciunt nonnulli, *hierarch. cap. 5.* tres facit ordines miniſtrorum Eccleſiæ, ἱεράρχου, ἱερέων & λειτουργῶν. Ex qvo non malè colligit Iſaacus Caſaubonus, *exercitat. 16. n. 41.* λειτουργῶν nomine ſignificari diaconos, ἱερῶν ſacerdotes, ἱεράρχων Epiſcopos, qvi aliàs ἀρχιερεῖς dici ſolent. Sed horum vocabulorum uſus Dionyſio planè ſingularis eſt, & præter receptam loqvendi conſuetudinem, qvem propterea perſtringit Johannes Dallæus, *de ſcript. Dionyſ. & Ignat. lib. 1. cap. 30.* Qvi λειτουργίας vocabulo ſacrificandi actum & ſacrificium verum intelligunt, evitare non poſſunt, qvin diaconos veros faciant Sacerdotes, qvos tamen ab invicem tàm curioſè ſeparare ſolent. Sed jam diu annotarunt Doctores, λειτουργίαν apud profanos Scriptores quodlibet munus publicum, apud Eccleſiaſticos autem laxè qvidem omne miniſterium, qvod ad ſacra pertinet; ſed propriè magis miniſterium cultûs divini, & qvidqvid circa ſacram menſam peragitur, denotare. Vid. Caſaub. *d. l.* Joh. Reinold. *in collòq.*

cum Hart. cap. 8. ſect. 4. Gisbert. Voet. *polit. Eccleſ. part. 1. lib. 2. tr. 1. cap. 1.*

XIII. Optimê, nî fallor, ſacerdotium & ſacrificia Novi Teſtamenti exponit, & ad verba Apoſtoli *Rom. XV, 16.* commendatur Johannes Chryſoſtomus, *homil. 29. in Epiſt. ad Rom. Poſt multam*, inqvit, *dictorum probationem, ad id qvod gravius eſt, ſermonem ducit, non ſimpliciter latriam i. e. ſervitutem ponens, qvemadmodum initio fecit, ſed λειτȣργίαν* & *ἱερȣργίαν h. e. ſacrorum adminiſtrationem. Ipſum enim mihi ſacerdotium eſt, prædicare & evangelizare. Hanc offero hoſtiam. Sacerdoti verò nemo vitio vertit, qvod immaculatam hoſtiam offerre ſatagit. Hæc autem dicens & ſimul illorum mentes erigit, qvod hoſtia ſint oſtendens, & qvæ ad ſe pertinent defendit, eò qvod iſta in mandatis divinitùs habeat. Machæm ſiqvidem mea, inquit, evangelium eſt, prædicationis videlicet ſermo. --- Neqve enim lignis, neqve igne, neqve altari, neqve gladio opus eſt, ſed ſpiritualia ſunt apud nos omnia. Propterea omnia facio, ne ignis iſte extingvatur, &c.* Spiritualia inquit eſſe omnia, ne quis putet, Apoſtolum talem fuiſſe ſacerdotem, qvales fuerunt olim in V. T. Unde, dum explicat ſuam iſtam *ἱερȣργίαν*, myſticam ubique facit interpretationem. Gladium docet eſſe Evangelium, actum ſacrificandi eſſe prædicationem, ignem eſſe Spiritum, gentes vero hoſtiam, ſacerdotem ſeu miniſtrum eſſe Paulum ratione Apoſtolatûs.

XIV. Diximus hactenus, variis nominibus inſignitos fuiſſe diaconos, & inter alia miniſtrorum qvoq; nomine veniſſe. Id vocabulum etſi & ipſum generale ſit & latiorem ſignificatum habeat, ſtrictiùs tamen qvandoqve ſumitur, & pro conditione materiæ, de qvâ agitur, explicari atqve accipi debet. Græci accuratiùs qvandoqve *διάκονον* & *ὑπηρέτην*, qvod utrumqve vocabulum miniſtrum ſignificat, diſtingvunt, ita ut *ὑπηρέται* dicantur illi, qvi diaconos ſeqvuntur, & illis inferiores ſunt. Sic enim legitur in decretis Concilii Laodiceni, *can. 20. ὁμοίως δὲ ἔχειν τιμὴν καὶ τȣ̀ς διακόνȣς ὑπὸ τῶν ὑπηρετῶν, καὶ πάντων τῶν κληρικῶν.* Similiter autem diaconis honorem haberi à miniſtris & omnibus Clericis oportet. Sed tùm nomen *ὑπηρέτȣ* non minùs ſtrictè accipitur, & ſtrictiùs adhuc qvam vocabulum *διακόνȣ*, qvippe qvod & ipſum latiorem pro ſubjectâ materiâ ſignificatum habere ſolet. Nec puduit Apoſtolum, ſemetipſum vocare *ὑπηρέτην*, *1. Cor. IV, 1.* qvem tamen nemo inter ſubdiaconos aut alios diaconis inferiores miniſtros poſuerit. Rectè proinde Balſamon ad dicti Concilii *can. 21.* commentatur: *ὑπηρέται λέγονται οἱ ὑποδιάκο-*

νοι, qvod per eos ſubdiaconi intelligantur.

XV. Sed qvid eſt, qvod in hoc *canone 21.* dicitur: ὅτι οὐ δεῖ ὑπηρέτας ἔχειν χώραν ἐν τῷ διακονικῷ, καὶ ἅπτεσθαι δεσποτικῶν σκευῶν. Qvid eſt hîc loci διακονικόν? Id enim ut explicemus, ipſa nos jubet vocabuli à διακόνου voce inflexio. Dionyſius Exiguus *in Codice ſuo pag. 80.* latinè ſic reddidit: *Qvod non oporteat ſubdiaconos habere locum in diaconico & dominica vaſa contingere.* Sententiâ parum Latinâ, & ſignificatum vocabuli neqvaqvam exprimente. Sed inter titulos, qvi apud eundem *pag. 13.* inveniuntur, inſcriptio hujus Canonis ita habet: *Qvod ſubdiaconi à diaconico, id eſt, à Secretario, ſint remoti.* Et ſic etiam explicatur in latinâ verſione, qvæ habetur in Codice canonum Eccleſiæ univerſæ *pag. 75. Qvod non oportet miniſtros locum habere in ſecretario & dominica vaſa contingere.* Id vocabulum etiam legitur apud Georgium Codinum Curopalat. *de officiis Conſtantinop. cap. 14. num. 24.* ubi refert, Imperatorem in Feſto Pentecoſtes circa veſpertinum tempus ſeſe conferre ad Eccleſiam S. Sophiæ, ſi Patriarcha præſens ſit, & ab illo audire magni Baſilii precationes prope diaconicum. Id verò Jacobus Goarus *ibid.* perperam explicat de ſede Diaconis datâ, ac ſi prope ſedem illam ſtetiſſet Imperator & precationes audiviſſet. Rectiùs Jacobus Gretſerus *lib. 3. obſervat. cap. 9.* dicit eſſe locum, ubi miniſtri ſacras veſtes ad divina officia peragenda induunt.

XVI. Locum fuiſſe Diaconicum iſtud, nemo dubitat, idqve apertè probat Arcadii conſtitutio in *l. 3. C. de hæret.* Et exploſa jamdiu eſt ſententia Balſamonis, qvi *d. l.* diaconicum de munere & officio Diaconi accepit. Scribit etiam Philoſtorgius Cappadox, *lib. 7. hiſt. Eccleſ. c. 3.* ſtatuam Salvatoris Paneade ab hæmorrhousâ Syro-Phœniſsâ poſitam ex publico in diaconicum Eccleſiæ tranſlatam fuiſſe. Ex qvo ſatis patet, & locum fuiſſe hoc diaconicum, & locum Eccleſiæ. Sed qvalis ille fuerit, diverſa eſt Doctorum ſententia. Gloſſa *in c. 1. X. de vit. & honeſt. Cler.* per diaconicum intelligit ſacrarium iſtud, qvod continet altare, & per cancellos alicubi ab reliqvo choro ſeparatum eſt, eò qvod diaconus ibi miniſtret altari. Hanc verò ſententiam dum perſtringit Franciſcus Florens, JCtus Aurelianenſis, *in diſſertat. ad d. c. 1.* ſtatuit ipſe Diaconium ideò appellari, qvia Diaconi cuſtodiæ illius loci deputati fuerint. Sed neqve hoc placet Jacobo Gothofredo *ad l. 30. C. Th. de hæret.* ubi Florentis opinionem ſuppreſſo nomine confodit. Ipſe igitur putat, Diaconicum non fuiſſe propriè partem Eccleſiæ, ſed locum ad Eccleſiam ſive propè Eccleſiam extructum, ubi

vaſa, veſtesqve, aliæqve res ſacris uſibus deſtinatæ, qvin & lipſana ſeu reliqviæ & fragmina aſſervata, & repoſita fuerint. Diaconicum autem ideò appellatum, qvod ſacro miniſterio deſtinata continuerit.

XVII. Nec malè igitur locus iſte ab Interpretibus Canonum Secretarium dictus fuit, qvod ſecretas & cultui divino dicatas contineat res. Ab aliis ſacrarium & hodiè Sacriſtia dicitur. Et ſic etiam explicatur in Concilio Agathenſi, *c. 66. Qvoniam non oportet inſacratos miniſtros licentiam habere in ſecretarium, qvod Græci diaconion appellant, ingredi & contingere vaſa Dominica.* Gratianus *c. 31. diſt. 23.* pro *ſecretarium* ponit *ſacrarium.* Guilielmus Somnerus, in *gloſſario,* qvod hiſtoriæ Anglicanæ Scriptoribus antiqvis junxit: *Secretarium. id eſt, ſacrarium, ſanctuarium, adytum, cimeliarchium ſacrum, locus ſcilicet in templo, ubi res ſacræ reponuntur, qvarum cuſtos Sacrarius dictus, item myſtagogus,* &c. Ab iſto loco per Canonem Laodicenum ſupra adductum prohibiti ſunt Subdiaconi & reliqvi Clerici, ne ibi conſiſterent, aut vaſa ſacra tractarent, aut inde depromerent, qvod id munus ad diaconos pertineret, qvibus honor iſte meritò relinqvendus eſt, ut ſuum qvisqve habeat officium, qvod gerat. Conf. Joh. Steph. Durant. *de ritib. Eccleſ. Cath. lib. 1. cap. 14.* Guilielm. Bevereg. *in can. 11. Concil. Nicen. I. n. 15.* ubi ſimul ichnographiam templorum veterum, & in eâ diaconici delineationem exhibet.

Caput III.

De Origine Diaconorum & primo eorum officio.

I. *Prima Diaconorum inſtitutio per qvos & qvo tempore facta.* II. *Tria circa hanc ex Actorum VI diſcutienda.* III. *Occaſio Diaconos inſtituendi. ἑλληνισαὶ qvinam?* IV. *Miniſterium menſarum.* V. *Cauſa γογγυσμοῦ τῶν ἑλληνιστῶν indicata.* VI. *Hinc ordinati, qvi menſis miniſtrarent communibus.* VII. *Sacræ & communes menſæ non eædem. Euchariſtia. Agapæ.* VIII. *Diaconorum munus, diſtribuere eleemoſynas, miniſtrare menſis communibus.* IX. *Menſa nummularia. Menſarii, Menſularii.* X. *Diaconi non fuerunt miniſtri altaris.* XI. *Idem præter alia demonſtratur ex Concilii CPni VI canone*

none XVI, XII. *Cujus autoritas contra Pontificios adſeritur.* XIII. *De Diaconorum munere Baronio reſponſum.* XIV. *Manuum impoſitio,ubi ſit adhibita, & qvare.* XV. *Stephanus Apologiam, non concionem ad populum habuit.* XVI. *Diaconos progreſſu temporis conciones habuiſſe, non negatur. Duplex inde Diaconorum genus.* XVII. *Ignatii Epiſtolæ ſuſpectæ.* XVIII. *Diaconi Myſteriorum qvinam?* XIX. *Λειτουργία qvibus conveniat?* XX. *Diaconus eſt miniſter Epiſcopi Presbyteriqve.* XXI. *Diaconorum inſtitutio diſtinctè propoſita.* XXII. *Tale miniſterium Diaconorum intenderunt Apoſtoli, ut cum verbi miniſterio aliqvando commutaretur.* XXIII. *Diaconorum munus circa pauperum & ærarii Eccleſiaſtici curam.* XXIV. *Diaconia, qvalis locus? Regionarii. Cardinales.*

I. Prima Diaconorum inſtitutio qvando & qvâ ratione facta ſit, acta Apoſtolorum nos docent, *cap. VI.* qvæ hîc recenſere operæ erit precium. *In diebus autem illis creſcente numero diſcipulorum, factum eſt murmur Græcorum adverſus Hebræos, eò, qvod deſpicerentur in miniſterio qvotidiano viduæ eorum. Convocantes autem duodecim multitudinem diſcipulorum, dixérunt: Non eſt æqvum, nos derelinqvere verbum & miniſtrare menſis. Conſiderate ergò, fratres, viros ex vobis boni teſtimonii ſeptem, plenos Spiritu S. & ſapientiâ, qvos conſtituamus ſuper hoc opus. Nos verò orationi & miniſterio verbi inſtantes erimus. Et placuit ſermo coram omni multitudine, & elegérunt Stephanum Virum plenum fide & Spiritu S. & Philippum & Prochorum & Nicanorem & Timonem & Parmenam & Nicolaum, advenam Antiochenum. Hos ſtatuérunt ante conſpectum Apoſtolorum: & omnes impoſuérunt eis manus, &c.* Ubi inprimis iſtud obſervandum, ordinem Diaconorum non à Salvatore Chriſto, miniſterii Eccleſiaſtici autore, inſtitutum eſſe, ſed ab Apoſtolis, poſt aſcenſionem Chriſti in cœlos, qvod etiam Cyprianus *lib. 3. Epiſt. 9.* notavit: *Meminiſſe autem Diaconi debent, qvoniam Apoſtolos, id eſt, Epiſcopos & præpoſitos Dominus elegit, Diaconos autem poſt aſcenſum Domini in cœlos Apoſtoli ſibi conſtituérunt, Epiſcopatûs ſui & Eccleſiæ miniſtros,* apud Gratianum *c. Dominus diſt. 93.* Ex qvo colligere licet, qvid ſentiendum ſit de opinione eorum, qvi ordinationem Diaconorum inter Sacramenta numerant, cùm utiqve in Apoſtolorum poteſtate non fuerit, nova Sacramenta condere, atqve illis efficaciam aliqvam divinam conferre, qvâ

qvâ de re jam diximus *cap. 1.* Nihilominus tamen præpoſterè ſtatuit Nicolaus Rodriguez Fermoſinus, *ad rubr. de offic. Archidiac. q. 1. n. 40.* à Chriſto inſtitutum eſſe diaconatum ideò, qvia inter Catholicos pro Sacramento habeatur. Ergò Eccleſia Catholica ſuâ conſtitutione & ſententiâ facere poteſt, ut aliqvid à Chriſto ſit inſtitutum. Id qvod ἄλογον planè eſt, & ordini naturæ adverſum.

II. Ut verò de diaconorum primitùs inſtitutorum officio exactiorem habeamus notitiam, tria potiſſimùm nobis ex dicto *cap. 6. actor. Apoſt.* diſcutienda ſunt 1. Qvæ occaſio & cauſa moverit Apoſtolos, ut diaconos ſibi facerent. 2. Qvid notet miniſterium menſarum, cui deſtinati illi fuérunt, & 3. Utrum præter menſam communem etiam ſacram curaverint, ſive utrum ſimul miniſtri altaris fuerint. In his tribus occupata eſt diſſertatio Cardinalis Baronii *tom. 1. annal. ad ann. 34. n. 281. ſeqq.* in qvâ hoc agit, ut diaconos, qvales nunc in Eccleſiâ Pontificiâ habentur, qvoad officium hoc ſuum, ab ipſis Apoſtolis, naſcentis Eccleſiæ tempore, inſtitutos doceat. Videamus de ſingulis.

III Occaſionem & cauſam impulſivam hanc refert Sacra Scriptura: *multiplicatis diſcipulis* γογγυσμὸν *ſive murmur exortum eſſe Græcorum adverſus Hebræos, eò qvod ipſorum viduæ in miniſterio qvotidiano deſpicerentur.* Hîc duplex occurrit dubium. Primò qvi fuerint Græci illi, ſive ἑλληνισταὶ, uti vocantur; & deinde, qvale id fuerit miniſterium, qvo τῶν ἑλληνιστῶν viduæ dicebantur excluſæ. De primo ſic cenſet Baronius, non ita accipiendos hoc loco Græcos, qvaſi gentiles, ad diſtinctionem Hebræorum, qvia tùm nondum gentilibus Eccleſiæ Chriſti patuerit oſtium, ſed qvod, ſicut in cæteris Orbis partibus, ita etiam in Græcorum regionibus Judæi agerent: Palæſtinæ verò indigenas proprio nomine appellatos fuiſſe Hebræos. Eandem ſententiam tenuit & Orbi literato perſvadere voluit Daniel Heinſius, Helleniſtas illos fuiſſe origine Judæos, hinc inde diſperſos, qvi Græcè loqverentur, & Græcâ Bibliorum translatione in Synagogis ſuis uterentur. Sed eruditè oſtendit Antagoniſta ejus Claudius Salmaſius, *in comment de Helleniſticâ*, item *in funere lingvæ Helleniſt.* τοὺς ἑλληνιστὰς, qvorum freqvens in actis mentio eſt, Græcos origine, ſermone & moribus fuiſſe, ſed Judæos religione, qvippe proſelytos, eorumqve filios ac nepotes omnes, incolatu ſaltem, Hieroſolymitanos, hoc eſt, de proſelytis Græcè loquentibus Chriſtianos, Hebræorum autem ſeu Judæorum nomen gentis eſſe, non lingvæ, non loci. Id qvod obiter & primis lineis adduxiſſe ſufficiat.

Argu-

Argumentorum enim momenta ab ipſo Salmaſio addiſcenda ſunt.

IV. Porrò de miniſterio qvotidiano, à qvo excluſæ dicebantur viduæ, hunc in modum diſſerit Baronius: *Duplex*, inqvit, *reperiur eâ de re fuiſſe ſententia. Exiſtimárunt alii, certas Hebræorum viduas menſarum ſervitio fuiſſe præfectas, nam & mulieres Domino miniſtraſſe, teſtantur Evangeliſtæ. Alii verò idem miniſterium qvotidianum eſſe putárunt ipſam eleemoſynarum qvotidiè fieri ſolitam diſtributionem, ac in ſingulos partitionem, de qvâ Lucas ſuperius: Dividebatur, inqvit, ſingulis, prout cuiqve opus erat. Cæterùm ſecundùm priorem ſententiam miniſterium illud eſſe potius accipiendum, ea, qvæ inferiùs Lucas ſcribit, de electione ſeptem diaconorum, facilè perſvadent*, &c. Miniſterium ita vel activum ſtatui poteſt, qvo viduæ miniſtrabant aliis, vel paſſivum, qvo viduis miniſtrabatur. Et de priori illo textum Apoſtolicum accipiendum eſſe ſtatuit Baronius. Rectiùs tamen, niſi fallor, Gaſpar Sanctius, *ad Act. cap. 6.* poſterius iſtud ſubinnui contendit. *Dum enim*, inqvit, *Apoſtoli probatæ fidei ac vitæ diaconos, id eſt, miniſtros eligunt, qvi menſis miniſtrent, id agunt planè, ut collectas in unum communes jam facultates bonâ fide pro cujuſqve neceſſitate diſtribuant. Qvod antea commodè, dum minor eſſet fidelium numerus, fieri poterat; creſcente verò non poterat non eſſe opus & impeditum & difficile, &c.*

V. Optimè in hunc ſenſum murmurationis cauſam exponit Lucas Oſiander, *in gloſſâ interlineari: Cùm magnus eſſet jam Chriſtianorum numerus, cœpit adminiſtratio Oeconomiæ in Eccleſiâ fieri difficilior: præſertim cùm Apoſtolis præter eam inprimis incumberet miniſterium prædicandi Evangelii. Itaq; in tantâ hominum multitudine fieri non potuit, ut Apoſtoli omnibus ſufficerent, & cuiqve neceſſaria porrigerent: qvippe qvorum indigentiam ſcire non poterant. Factum itaqve eſt, ut viduæ eorum, qvi ex gentiliſmo ad veram religionem converſi erant, negligi viderentur, nec tantum acciperent, qvantum ipſorum inopia reqvireret. Itaqve murmurabant & ipſæ, & proſelyti ad Chriſtum converſi. Suſpicionem enim falſam conceperant, ſuas viduas propterea negligi, qvia non eſſent de populo Iſraelitico oriundæ:* Sie meynten/es gienge parteyiſch zu/ *& ſermonibus amarulentis obliqvè traducebant Apoſtolos, qvaſi non ex æqvo & bono, ſed cum reſpectu perſonarum facultates communes adminiſtrarent, &c.*

VI. Γογγυσμὸν hunc & muſſitationem τῶν ἑλληνιστῶν ut ſupprimerent & coërcerent Apoſtoli convocatis diſcipulis propoſuérunt, non poſſe ſe ſimul prædicare verbum ampliùs & miniſtrare menſis, conſtituendos igitur eſſe alios, qvi hoc

ultimum ſuſcipiant, ſe autem velle prædicationi inſiſtere, qvod ſuum officium propter miniſterium menſarum derelinqvere non poſſent. Videndum igitur nunc, qvid notet miniſterium iſtud menſarum, cui ſe impares dicunt Apoſtoli, & cui ſuſtinendo eligere voluérunt alios probatæ & perſpectæ fidei Viros. Baronius his verbis pergit: *Si qvis primitivæ illius naſcentis Eccleſiæ principia reperat, & diſcat conſvetudinem, qvænam fuerint illæ menſæ, cognoſcet: nimirum eaſdem fuiſſe ſacras æqvè atqve communes. Sicut enim Dominus ac Redemptor noſter in ultimâ illâ memorabili cœnâ utràmqve menſam unà conjunxit, communem & ſacram, in qvarum priori agnum ex more comederent, in alterâ verò mox conſecutâ ſacratiſſimum ſuum corpus & ſangvinem propinavit: ita etiam temporibus Apoſtolorum eadem in Eccleſiâ conſvetudo noſcitur conſervata, ut ſimul utramqve menſam conjungerent, &c.*

VII. Qvod dicit Baronius, eaſdem fuiſſe ſacras & communes menſas, nunqvam nobis perſvadebit. Neqve id credet Gabriel Albaſpinæus, Epiſcopus Aurelianenſis, qvippe qvi *lib. 1. Obſerv. c. 18.* firmiſſimè perſvaſum habet, non niſi manè ſumtam fuiſſe Euchariſtiam, agapas autem Chriſtianorum non niſi veſperi celebratas. Faciamus verò, conjunctas fuiſſe menſas & ſive anteceſſiſſe agapas, qvod receptum aliqvando fuiſſe, colligunt nonnulli ex *1. Cor. XI, 20. 21.* vel ſecutas fuiſſe Euchariſtiæ ſumtionem, nunqvam tamen ita confuſim utraqve illa cœna peracta fuit, ut pro eâdem haberi debuerit. Diſtinctè de utrâqve loqvitur Chryſoſtomus, *homil. 27. in epiſt. 1. ad Cor.* dum ait: *Statis diebus menſas faciebant communes: & peractâ ſynaxi, poſt myſteriorum communionem commune inibant convivium, divitibus qvidem cibos afferentibus, pauperibus autem, qvi nihil habebant, etiam vocatis, & omnibus communiter veſcentibus.* Dum ergò non ſimul Euchariſtiâ, ſed poſt eandem convivium iſtud Chriſtianorum habitum fuit, nulla nos cogit ratio, ut eoſdem utriuſqve menſæ ſtatuamus miniſtros, præſertim ſi intervallum aliqvod inter utramqve ſtatuamus, qvantumcumqve id fuerit. Tale enim interceſſiſſe colligitur ex verbis Plinii junioris, agapas Chriſtianorum, *lib. 10. epiſt. 97.* ita deſcribentis: *Affirmabant hanc fuiſſe ſummam vel culpæ ſuæ vel erroris, qvod eſſent ſoliti ſtato die ante lucem convenire, carmenqve Chriſto qvaſi DEO dicere ſecum invicem: ſeqve ſacramento non in ſcelus aliqvod obſtringere, ſed ne furta, ne latrocinia, ne adulteria committerent, ne fidem fallerent, ne depoſitum appellati abnegarent, qvibus peractis morem diſcedendi ſibi fuiſſe, rurſusqve coëundi ad capiendum cibum, promiſcuum tamen & innoxium.* Et

Chry-

Chryſoſtomus *homil. in 1. Cor. XI, 19.* ſcribit, poſt preces, poſt Sacramentorum communionem ſolutâ concione non mox domum conceſſiſſe, ſed divites & abundantiores alimenta & edulia à domibus ſuis auferentes pauperes vocaſſe, communeſqve feciſſe menſas, communiaqve prandia, communia convivia in Eccleſiâ.

VIII. Nec patitur textus in actis Apoſtolicis, ut menſæ ſacræ ſive Euchariſtiæ celebrandæ adhibitos dicamus primos Diaconos. Illi enim negocio deſtinandi & præficiendi fuérunt Diaconi, propter qvod murmuratio extitit, & qvod aucto Chriſtianorum cœtu impedimento fuit miniſterio verbi. At propter menſam ſacram aut Euchariſtiæ celebrationem non fuit exorta murmuratio τῶν ἑλληνιςῶν, neqve Euchariſtiæ celebratio impedimento fuit miniſterio verbi, neqve eam deprecabantur Apoſtoli, cùm optimè ſcirent, Apoſtolatûs ſui miniſterium & verbum complecti & Sacramenta. Inſtituti igitur diaconatûs cauſa non fuit alia, niſi onus illud Apoſtolorum miniſterio ſuperadditum, qvod ſalvo Apoſtolatûs miniſterio ab aliis probatæ fidei Viris expediri poterat, diſtributio ſcilicet eleemoſynarum & miniſterium menſæ communis. Probabile enim eſt, inter agapas & convivia illa Chriſtianorum Eccleſiaſtica, etiam ex eleemoſynis partem cuiqve pro conditione ſuâ datam fuiſſe. Siqvidem non ea tantùm, qvæ eſui erant, ſed plura etiam alia, & ſtipes qvoqve à fidelibus conferebantur, qvibus ſuſtentari poſſent egeni & pauperes: Sic namqve legimus, *Act. IV, 34. 35.* ad pedes Apoſtolorum depoſita fuiſſe pretia venditorum agrorum & domorum, & diſtributum fuiſſe hoc ſingulis, prout cuiqve opus erat.

IX. Nec tamen neceſſe eſt, ut ad agapas & convivia Chriſtianorum veterum hîc recurramus, etſi id valdè placeat Theodoro Bezæ, *adverſus Hadr. Saraviam de diverſ. gradib. miniſtr. Evang. cap. 7.* qvandoqvidem vocabulum menſæ non ſemper locum, ubi fercula adponuntur, denotat, ſed ſæpè menſam nummulariam, apud qvam ſcilicet recipiuntur pecuniæ, & viciſſim erogantur. Unde menſarii & menſularii dicti, ſæpè & nummularii, qvi pecunias cuſtodiunt, eaſqve recipiunt & perſolvunt, & earum rationes tractant. Marcell. Donat. *ad Sveton. Auguſt. c. 4.* qvia & accipiunt pecuniam & erogant per partes, qvarum probatio ſcriptura codicibusqve eorum maximè continetur, & freqventiſſimè ad fidem eorum decurritur, *l. 9. §. 2. ff. de edend.* Nec verò menſariis ideò ſemper dabantur pecuniæ, ut fœnus exercerent, ſed qvandoqve ſolius cuſtodiæ causâ *l. 7. §. 2. ff. depoſ.* Et ut vel deponenti vel ejus man-

dato alii ſolverent, qvas acceperant. Qvemadmodum igitur, qvi menſis ejuſmodi præfecti erant, pecunias accipiebant, poſtea iterum erogabant, emebant, vendebant, auctionem & omnia negocia exercebant, deqve his omnibus rationes conficiebant: ita etiam Diaconi menſis inſervire dicebantur, qvi bona Eccleſiæ communia adminiſtrabant, & inter egenos atqve pauperes diſpenſabant. Qvo in ſignificatu ſi accipiatur vocabulum τραπέζης aut menſæ, uti accipi commodè poteſt, corruit argumentum, qvod ex conjunctione menſæ communis & ſacræ circa officium diaconorum fecit Baronius.

X. Et ex his facilè nunc reſponderi poteſt ad qvæſtionem, utrum primi diaconi, ab Apoſtolis conſtituti, miniſtri altaris ſimul fuerint? Id enim negandum eſſe, ipſa textûs Apoſtolici συνέχεια oſtendit. Nec aliter eum interpretatus eſt Oecumenius, *incollectaneis ad acta: Apoſtoli electos crearunt diaconos, non juxta gradum, qvi nunc eſt in Eccleſiâ, ſed διακόνους, id eſt, miniſtros, ut omni cum diligentiâ & non neglectim diſtribuerent viduis ſimul & orphanis ea, qvæ ad alimentum repoſita erant, idqve potiſſimùm viduis & orphanis, propter qvas maximè exortum erat murmur. Vocat autem miniſterium qvotidianum, eleemoſynam, ut qvæ & facientibus medicinæ loco ſit, & beneficio affectos honoret. Non erat autem malitiæ, qvod viduæ contemnerentur, ſed ignaviæ multorum. ideò qvoqve ubi dignum viſum eſt, ut cum adhiberetur, ſedatus eſt animi dolor. Vel etiam publicam dicunt adminiſtrationem. nam hoc ſignificare vult nomen διακονία. ſiqvidem Græci publicum penu λήιτον appellant, qvod qvisqve magno ſtudio contendit liberaliter in illud inferre ad communem impenſam, qvæ ſibi abundant.*

XI. Eandem ſententiam tenet Thomas de Vio Cardinalis Cajetanus, cui propterea inſultat non Baronius tantùm, ſed etiam Ambroſius Catharinus Archiepiſcopus Compſæ. Sed Cajetanum non ſine ſuffragatore ita ſtatuiſſe, laudans eam in rem Oecumenii verba modo adducta, oſtendit Sixtus Senenſis, *bibliotb. lib. 6. annot. 225.* qvi ipſe litem eam componere non audet, ſed Lectorem dubium, & cauſam in ſuſpenſo relinqvit, adductis in utramqve ſententiam teſtimoniis non contemnendis. Nec omitti tamen ab eo debuiſſet canon XVI Concilii Conſtantinopolitani VI, in Trullo habiti, qvi talis eſt: *Qvoniam actuum liber ſeptem diaconos ab Apoſtolis conſtitutos eſſe tradit, Neocæſareenſis autem ſynodus ſic in â ſe editis canonibus apertè diſſeruit: qvod ſeptem debent eſſe diaconi ex canone, etiamſi ſit magna civitas, ex libro autem Actuum perſvadeberis: nos cùm dicto Apoſtoli-*

co

copatrum mentem adaptaſſemus, invenimus, eos eſſe locutos non de Viris, qvi miniſtrant myſteriis, ſed de miniſterio, qvo in uſu menſarum adhibebatur, cum liber actuum ſic habeat: In diebus illis cum diſcipulorum multitudo creſceret &c. --- Hæc interpretans Eccleſiæ Doctor Johannes Chryſoſtomus ſic proſeqvitur: Eſt operæ precium admirari, qvomodo non eſt ſciſſa multitudo in Virorum electione, qvomodo non ſunt ab ipſis rejecti ac reprobati Apoſtoli. Qvamnam autem habebant hi autoritatem & qvam acceperunt ordinationem, ſcire eſt neceſſarium. Nunqvid diaconorum? atqvi hoc non eſt in Eccleſiis, ſed eſt presbyterorum diſpenſatio: Atqvi nullus adhuc erat Epiſcopus, ſed ſoli Apoſtoli. --- Poſt hæc ergò nos qvoqve prædicamus, ut prædicti ſeptem diaconi non de iis accipiantur, qvi miniſteriis ſerviunt, ut eſt prius expoſita doctrina, ſed eos eſſe, qvibus fuit concredita ac tradita diſpenſatio eorum, qvæ tunc collecta fuerant, &c.

XII. Nihilominus tamen Pontificii hodiè plerumqve omnes diverſum ſentiunt, & primos illos Diaconos miniſtros etiam altaris fuiſſe, & præter menſam communem, etiam ſacram, hoc eſt, euchariſticam curaſſe contendunt. Eamqve ſententiam acerrimè propugnant Alphonſus Salmeron, Gaſpar Sanctius, Cornelius à Lapide, & alii in Acta apoſtolica commentatores, qvibus addi poteſt Jacobus Pamelius, *ad Cypriani epiſt. 65.* Et ne adducti modo Concilii Qvinifexti, in Trullo habiti, autoritate premantur, iſtud totum rejiciunt, nec canones ejus ab Eccleſiâ Romanâ unqvam receptos fuiſſe aſſerunt. Ad canonem memoratum, *erroneum eſt*, inquit Severinus Binius, *Diaconos non ſacris, ſed profanis tantùm menſis miniſtraſſe.* Et Franciſcus Silvius: *Qvod dicitur de diaconis, nec verum eſt, nec receptum ab Eccleſiâ.* Baronius Spurium eum canonem vocat, *num. 286.* Sed & ipſam totam Synodum Pontificii plerumqve peſſimis elogiis excipiunt, eum ſcilicet in finem, ut canones de æqvalitate Epiſcopi Romani & Conſtantinopolitani, de miniſtrorum Eccleſiæ cœlibatu & ſimiles alios, ſuſpectos faciant, & teſtimoniis inde prolatis omnem probandi vim adimant. Longè alia fuit mens & ſententia Hadriano Papæ, *c. ſextam diſt. 16.* alia etiam Nicephoro Epiſcopo Conſtantinopolitano, *in capitibus contra Iconoclaſtas*, alia Laurentio Surio Carthuſienſi, *in admonitione ad Lectorem Tom. 2. Concil. pag. 1036.* Sed iſta ut prolixiùs hîc diſcutiantur, noſtrum non patitur inſtitutum.

XIII. Totum igitur munus Diaconorum ab initio conſtitit in eo, ut illa bonorum communione, qvæ in Eccleſiâ Hieroſolymitanâ vigebat, providerent fidelibus de neceſ-

ſariâ ſuſtentatione, utqve bona illa pro cujusqve indigentiâ diſtribuerent. Putat tamen Baronius, ex ipſo textu diverſum pateſcere. *Faceſſat*, inqvit, *ſententia affirmantium, diaconos menſis tantùm communibus fuiſſe præfectos: Qvos, rogo, dicant qvid tantum oportuit Apoſtolos adhibuiſſe ſtudium in deligendis, qvi prandia cœnasqve pararent, miniſtris, ut non ex trivio qvosqve petitos Viros, ſed boni teſtimonii, plenos inſuper Spiritu Sancto, & ſapientiâ, eosdemqve ut tradit Epiphanius, ex numero LXXII diſcipulorum accerſitos eligerent: cùm alioqvi ad id, qvod majoris eſſet operis nempe judiciorum præfecturæ, qvi eſſent contemptibiles, ſi fortè ſapientes deeſſent in Eccleſiâ, Paulus præficiendos eſſe mandârit.* Reſpondeo, Menſarum nomine cætera etiam munera intelliguntur, qvæ cum illo conjuncta ſunt, qvæ ſcil. ad curam pauperum, & ægrotorum, & viduarum, & orphanorum pertinent, ita ut non diſtribuendi tantùm, ſed conſolandi etiam facultate præditos eſſe oportuerit Diaconos. Et qvis verò ærario Eccleſiaſtico hodiè præficere vellet homines ex trivio? Spiritus S. dona varia ſunt & diverſa, *1. Cor. XII, 4. ſeq.* Talia igitur in diaconis reqviruntur, quæ colligendis & diſtribuendis eleemoſynis ſufficiant, ut diligentes ſint in colligendo, bonæ fidei & prudentes in diſpenſando, ut afflictis auxilientur, ut viſitent viduas & orphanos, ut beneficentiam erga omnes homines, maximè erga domeſticos fidei exerceant. Quæ ſanè non vulgaria ſunt, aut cuivis promiſcuè contingentia Spiritûs S. dona. Qvod de judiciis conſilium dat Paulus *1. Cor. VI, 4.* id comparatè intelligendum eſt, nimirum de rebus βιωτικαῖς potiùs viliſſimis & contemptibilibus in Eccleſiâ committendam eſſe judicandi poteſtatem, qvàm admittendum, ut fideles coram magiſtratu infideli de talibus rebus litigent.

XIV. Pergit Baronius: *Qvid inſuper ad communium menſarum miniſtros inſtituendos tantis opus fuiſſet religioſis ritibus, ut non niſi præviâ cum communi omnium oratione ac manûs impoſitione ad tale munus obeundum idonei cenſerentur? Tanti enim ponderis erat manus impoſitio, ut eodem fermè miniſterio Paulus & Barnabas initiati fuerint ad Apoſtolatum.* Reſpondeo, etiam victimis immolandis apud Judæos, aliisqve actibus ſolennibus tùm apud ipſos, tùm apud Chriſtianos impoſitio manuum adhiberi ſolebat, ut inter benedictiones & preces ipſa res ſeu perſona, de qvâ agebatur, palàm certiusqve deſignaretur. Sic apud JCtos Theophilo traditio eſt translatio rei de manu in manum, ut per eam transferri dominium rerum corporalium intelligatur. Qvemadmodum verò ex cauſâ conjunctâ ſive

ve titulo, non ex ſimplici traditione dominium in alterum translatum dicitur, & nuda traditio nunqvam transfert dominium, ſed ita demum, ſi venditio aut alia juſta cauſa præceſſerit, propter qvam traditio ſecuta ſit, *l. 31. ff. de A.R.D.* ita etiam preces ſive invocatio nominis divini ſuper perſonam, per manuum impoſitionem deſignatam, plus facit in ordinatione, qvam ipſa manûs impoſitio. Unde & Auguſtinus manuum impoſitionem per orationem definit, qvando ait: *Manus impoſitio, qvid eſt aliud, niſi oratio ſuper hominem?* apud Gratianum *c. manus 1. q. 1.* Et qvia ritus ille non in ordinationibus tantùm, ſed etiam in ægris curandis, in benedictionibus, aliisqve negociis non paucis adhibebatur, uti oſtendit Hugo Grotius, in *Hebr. VI, 2.* non video, qvantum inde momentum accedere poſſit ſententiæ Baronianæ, etiamſi demus, eodem modo & Paulum & Barnabam initiatos fuiſſe Apoſtolatui. Manet enim adhuc, diverſa conferri Spiritûs S. dona, neqve externo ritui & ceremoniæ eſſe alligata.

XV. Sed inſtat Baronius: *Qvod ſi communium tantùm menſarum miniſtri erant*, (diaconi) *qvomodo & aliqvando Evangelii prædicatio illis eſt credita, cujus cauſâ Apoſtoli â cæteris vacare muneribus cupiêrunt? certè Stephanum & Philippum, qvi Evangelicæ prædicationis cauſâ Evangeliſta dici meruit, eo munere functos eſſe, nullus ignorat. Tantine etiam meriti, qvi curarent cibaria, diaconi exqvirendi eſſent, ut iisdem moribus, qvibus Epiſcopi, abſolutiſſimi eſſe deberent? nam Apoſtolus Paulus eandem fere conſummatam perfectamqve morum integritatem â diacono æqvè exigit, atq; ab Epiſcopo, ſicut & Ignatius & Polycarpus tradunt.* Reſpondet ad hæc Gisbertus Voetius, *polit. Eccleſ. part. 2. lib. 2. tract. 3. cap. 8.* ex actis Apoſtolicis non probari, Stephanum prædicaſſe, ſed apologeticâ oratione eſſe uſum apud populum, & cauſam apud judices dixiſſe, Philippum vero *Act. XXI, 8.* vocari Evangeliſtam, qvod ex diacono Evangeliſta factus eſſet, & ab Apoſtolis ad hunc gradum promotus, anteqvam Hieroſolyma diſcederet, aut extraordinariè â Deo per angelum vocatum fuiſſe.

XVI. Cæterùm negari fortè neqvit, non adeò diu in miniſterio hoc ſuo perſtitiſſe diaconos primos, ſed progreſſu temporis aliis officiis Eccleſiaſticis & inprimis habendis ad populum concionibus præfectos fuiſſe. Et hoc exemplo diaconi etiam in aliis Ecleſiis ad majores ordines promovebantur. Ita enim intelligo verba Apoſtoli *1. Tim. III, 13.* qvando de diaconis ait, eos, qvi benè miniſtraverint, gradum ſibi bonum acqvirere, hoc eſt, qvi religioſè in inferiori ordine miniſtraverint, bonum

num ſui experimentum dederint, & ſolerter fuerint verſati, in altiorem & ſuperiorem promovebuntur, ſacerdotio digni fient, fient, inqvam, presbyteri Epiſcopi, &c. uti commentatur Claudius Eſpencæus *ad iſtum textum.* Atqve illis tùm vel ſufficiebantur alii qvi τὰ βιωλικὰ curarent, vel iidem ipſi ſi ſupereſſe ei labori poſſent officium diaconatûs proprium ſimul retinebant. Et hinc duo non malè â qvibusdam ſtatuuntur diaconorum genera, alterum primæ inſtitutionis ad curam menſarum communium & pecuniarum ac eleemoſynarum; alterum verò altaris variisqve ſacrarum rerum miniſteriis ſucceſſu temporis ab Eccleſia deputatum. B. Gerhard. *Loc. de Miniſterio n. 233.* Marc. Anton. de Dominis *de Rep. Eccleſ. lib. 2. c. 4. n. 54.* ubi addit: *Primum, qvod eſt proprium & verum Diaconorum genus jamdiu in Eccleſiâ ceſſavit: ex qvo pecuniarum & redituum tota maſſa ad Epiſcopos & beneficiarios ſolos tranſiit: alterum verò vix ad ſpeciem aliqva tantùm adhuc ſervat veſtigia.*

XVII. Ne autem ſine ſuffragatore ſententiam ſuam tàm prolixè propoſuiſſe dicatur Baronius, Ignatium in partes vocat, cum hâc præfatione: *Sed etſi ex his ſatis oſtenſum ſit, hos erraſſe, adhuc tamen, ad eos penitùs confutandos non alium, qvàm qvi diaconorum miniſterium qvodnam eſſet, oculis ſpectavit, adhibeamus teſtem, Ignatium inqvam, qvi iiſdem temporibus vixit, exiſtimantes, neminem fore adeò refractarium & impudentem, qvi tanto teſtimonio obniti audeat, &c.* Anteqvam audiamus Ignatii verba, prima nobis diſqviſitio erit de ipſo autore & epiſtolarum, qvæ nunc proſtant autoritate. Hìc verò non omnibus idem perſvaſum eſt, qvod Baronio. Obſervárunt jam diu eruditi orationis inconditæ ac involutæ, multumqve ab Apoſtolici ſeculi ſimplicitate abhorrentis perplexitatem, laciniosſam inſcriptionum περιέργειαν, barbarè nonnulla & præter idioma ſeculi, nonnulla etiam incommodè & abſurdè, haud pauca anxiè & cum qvâdam ſollicitudine dicta. De qvibus videri poſſunt Robertus Cocus *in cenſur. verb. Ignat.* David Blondell. *in præfat. apol. de Epiſc. & preſbyt. p. 40. ſeqq.* Joh. Dallæus *de jejun. lib. 3. cap. 4.* Andr. Rivet. *Critic. ſacr. lib. 2. c. 1. & 2.* qvi pleraſqve omnes Epiſtolas Ignatii haud vanis argumentis pro ſuppoſititiis habent.

XVIII. Sed audiamus ipſa teſtimonia. Primum petitur ex epiſtolâ *ad Trallianos*, qvod his verbis recenſet ipſe: *Oportet & diaconos myſteriorum Chriſti miniſtros per omnia placere, nec enim ciborum & potuum miniſtri ſunt, ſed Eccleſiæ DEI adminiſtratores.* Duo hinc exſculpere videtur Baronius, 1. Qvod diaconi miniſtri myſteriorum Chriſti dicantur,

tur. 2. Qvod negentur eſſe ciborum & potuum miniſtri. Qvod primum attinet, Græcus textus ita habet: δεῖ δὲ καὶ τοὺς διακόνους ὄντας μυστηρίων Ἰησοῦ χριστοῦ, &c. Jacobus Uſſerius ArchiEpiſcopus Armachanus, *in append. Ignat. in margine*, ad hæc verba ſcribi vult: μυστήριον, hoc ſenſu, qvod diaconi ſint myſterium Jeſu Chriſti, qvia ſcil. repræſentant per διακονίαν ſuam Jeſum Chriſtum, qvi & ipſe venit, ut miniſtret, *Matth. XX, 28.* & exemplum διακονίας præbuit, *Johann. XIII, 4. ſeqq.* qviqve propterea ſervus dictus fuit, *Eſ. LIII, 1. Philipp. II, 7.* Sed etſi retineamus vulgarem lectionem, nihil tamen inde conficietur, cùm myſterii vocabulum non ſemper de ſacramentis, ſed ſæpè de aliis rebus ad religionem facientibus uſurpetur, uti talia exempla collegit Caſaubonus *exercitat. 16. n. 43.* Significat enim myſterium, vel rem ipſam ſpiritualem & arcanam, vel externum ſymbolum ſignificans aliqvid arcani. Poſſunt igitur etiam diſpenſatores bonorum Eccleſiaſticorum eſſe miniſtri myſteriorum, qvatenus per ejusmodi diſpenſationem, alia bonorum ſpiritualium diſpenſatio ſubintelligenda eſt. Qvod verò deinceps diaconi negantur eſſe ciborum & potuum miniſtri, id ipſum pertinet ad myſterium & arcanum illud velatum, ne qvis putet, nullam eſſe inter communes diſpenſatores ſive Oeconomos, & diaconos differentiam. Hoc enim maximè intereſt, qvod illi ea tantùm, qvæ eſui ſunt, diſtribuant, hi verò Eccleſiæ & corpori myſtico inſerviant, & diſtributione ſuâ opus Chriſtianum exerceant.

XIX. Secundus Ignatii locus ex eâdem *ad Trallianos* epiſtolâ petitus eſt: *Qvid verò diaconi? qvàm imitatores angelicarum virtutum, qvi purum & inculpatum miniſterium illis* (ſacerdotibus) *exhibent, ut S. Stephanus B. Jacobo, Timotheus & Linus Paulo, Anacletus & Clemens Petro.* Hæc verò verba parum faciunt ad Baronii ſententiam. Non enim ideò, qvia qvis alterius miniſter eſt, etiam ejus in labore ſocius eſt. In græco textu λειτουργίας vocabulum extat: λειτουργοῦντες αὐτοῖς λειτουργίαν καθαρὰν καὶ ἄμωμον, operantes illi operationem mundam & immaculatam. At ſi propriè pro ſacrificandi actu ſumendum eſt vocabulum λειτουργίας, presbyteris id conveniet magis, qvàm diaconis. Ut taceam jam, verba iſta Ignatii non in omnibus exemplaribus inveniri, qvæ propterea minio ſignavit Jacobus Uſſerius. Et ſi vel maximè in hoc ſenſu ea accipienda eſſent, qvem ſibi fingit Baronius, nihil tamen adhuc facerent, qvandoqvidem nobis propoſitum fuit diſpicere, non qvid tempore Ignatii obtinuerit, ſed qvod primum diacono-

rum officium fuerit, cùm primitùs inſtituti eſſent.

XX. Ultimum Ignatii teſtimonium ex epiſtolâ *ad Heronem* Diaconum petitum eſt, idque ita ſe habet: *Nihil ſine Epiſcopis facito. Sacerdotes enim ſunt, tu verò Sacerdotum miniſter: baptizant, ſacrificant, eligunt, manus imponunt; tu verò illis miniſtras, ut S. Stephanus Jacobo, & presbyteris, qvi erant Hieroſolymis.* Si Baronius ex his verbis ſententiam ſuam more ſcholaſtico probare debeat, vereor ego, ne plus ſit in concluſione, qvàm fuit in præmiſſis. Qvæ enim conſeqventia eſt: Tu miniſtras Epiſcopis, ergò miniſtras in altari? Illi baptizant, ſacrificant &c. & tu illis miniſtras: Ergò miniſtras inter baptizandum, inter ſacrificandum, &c. Nihil ſine Epiſcopis facito: Ergo baptiza, ſacrifica, ſi Epiſcopi conſenſerint, cùm præſertim nec eleemoſynas dare licuerit, niſi conſcio & autore Epiſcopo, ſi vera ſunt, quæ refert autor Conſtitutionum Apoſtolicarum, *lib. 2. cap. 31.* Nullibi hîc exprimit Ignatius, in qvo miniſterium diaconi conſiſtat, hoc tantùm innuere voluit, plura poſſe Epiſcopum & presbyterum, qvàm diaconum, & hunc propterea, ut διάκονον ſive miniſtrum, reverentiam illis debere. Sed neqve hoc omittendum eſt, plura de hâc ad Heronem Epiſtolâ ſuppetere νοθείας argumenta, qvam de reliqvis qvibusdam Ignatii Epiſtolis. Videri poteſt Jacobus Uſſerius *in annotat. cap. 5. ſeqq.*

XXI. Sed enim nulla planè nobis pugna eſt, ſi οἱ ἐξ ἐναντίας diſtingvere velint tempora. Prima enim Apoſtolorum intentio in conſtituendis diaconis hæc fuit, ut curam menſarum haberent, & ut ipſi hoc onere liberarentur, qvippe qvod extrinſecus adveniebat, & annexum erat Apoſtolatui. Ipſi igitur, qvæ eſſentialia erant, retinebant, miniſterium ſcil. verbi & ſacramentorum. Reliqvum officium in alios transferri volebant. Et ſic igitur, qvæ circa τὰ βιωτικὰ verſabatur, cura in diaconos devolvebatur, qvam illi ita gerebant, ut nihilominus ſucceſſu temporis ad majores gradûs promoverentur, ſi habiles eſſent. Nec repugno, ſi qvis dîcat, ipſos etiam Apoſtolos mox ab initio in animo habuiſſe, eligendi viros tales, qvi aliqvando in doctrinâ verbi ſubſidiariam præſtare poſſent operam. Sed qvod illicò ipſo actu admoti ejusmodi miniſterio fuerint, id vereor, ne ſtatuatur refragante textu.

XXII. Nec ergò diſplicet, qvod adverſus Theodorum Bezam, *de diverſis gradibus miniſtrorum Evangelii cap. 7.* ſcribit Hadrianus Saravia: *Non enim diaconiæ officium ita cum docendi munere pugnat, ut nullo modo conſiſtere ſimul qveant. Utriusq; curam aliqvandiu Apoſtoli habuerunt, diu-*

tius.

tius in eâ perſeveraturi, ſi nulla diſſenſio inter Græcos & Hebræos intervenisset. Qvæ res cum novam & ſolito majorem exhibituri fuerit moleſtiam, eo labore levari poſtularunt, & transferri ad eos, qvi commodiùs illi miniſterio vacare poterant. Qvod cùm ita accipiendum non ſit, tanqvam pauperum & viduarum omnem curam abjecturi fuerint Apoſtoli; ita non eos cenſuêre eligendos, qvi docendi prorſus eſſent rudes, ut nihil eâ in parte auxilii paſtoribus præſtare poſſent. Partiri operæ poſſunt, ut qvantum paſtores ſollicitudinis, curæq́; pauperum, viduarum & pupillorum retinent, tantum diaconi de miniſterio paſtoris ferant: ſin minus, ſaltem alter alterum, qvoad poſſet, juvaret, &c. Faciamus enim verò, Apoſtolos ab initio intendiſſe tale diaconorum miniſterium, qvod aliqvando cum miniſterio verbi commutari, aut ei jungi poſſet, non tamen, uti dixi, primum hoc fuit eorûm officium, ſed tùm temporis, cum conſtituebantur, pauperum tantùm & viduarum atqve orphanorum cura eis fuit commiſſa. Et hoc inter Canoniſtas noviſſimè agnoſcit atqve fatetur Nicolaus Rodriguez Fermoſinus, *ad rubr. de officio Archidiac. qvæſt. 1. num. 42.* haud veritus judicium Baronii, neminem adeò refractarium & impudentem fore exiſtimantis, qvi Ignatii teſtimonio obniti audeat.

XXIII. Cæterùm non adeò leve eſt officium eorum, qvi curam pauperum & ærarii Eccleſiaſtici gerunt, ne qvis putet, cauſas non ſatis prægnantes fuiſſe Apoſtolis, cur id deprecarentur. Qui in freqventi populo, ubi plurimi ſine dubio pauperes, egeni, viduæ, pupilli, orphani &c. inveniuntur, id muneris ſuſcipiunt, illi qvotidiè experiuntur, admodum grave id eſſe onus, & qvandoqve totum hominem reqvirere. Inviſendi ſunt ſæpenumerò miſeri & afflicti, ſtatûs eorum explorandi, juvandi conſiliis, conſolationibus variisqve ſubſidiis, & omni contentione agendum, ut melior eorum exiſtat conditio. Qvod ſi porrò â talibus Curatoribus rationem exigas acceptorum & expenſorum, ad qvam reddendam illi, ut alii pleriqve adminiſtratores obligati ſunt, multum temporis in illis conſignandis inſumi experieris, & diligentiam ſæpè labori imparem eſſe, ut difficile ſit, omnia ex voto expedire. Maluêrunt igitur Apoſtoli officium hoc, qvod hactenus ſuſtinuerant, cedere aliis, & in miniſterio ſuo, qvod præcipuum & ſummum erat retinere, qvàm retento illo hoc negligere.

XXIV. Ab hoc diaconorum officio locus ipſe, ubi id expediebatur, ſeqvioribus temporibus *diaconia* dicebatur. Sic enim vocabulum hoc explicat Card. Baronius, *in martyrol. ad d. 8. Auguſti. Erant diaconiæ loca*

 ſacra,

ſacra, ubi diaconi regionarii per ſingulas Urbis regiones reſidentes ſtipem miniſtrabant egentibus, viduarumqve, pupillorum aliarumq; miſerabilium perſonarum neceſſitatibus conſulebant: erant etenim veluti qvædam eleemoſynarum promptuaria. Tenebantur hujusmodi diaconiarum miniſtri rationem reddere de ſuâ adminiſtratione ſummo Pontifici, niſi ab eodem eximerentur. Dicebantur hi exhibere diaconiam, idemqve erat, qvod pauperibus, erogando eleemoſynas miniſtrare, &c. In ſeqventibus Baronius adhuc alias hujus vocis addit ſignificationes, qvas hîc prætermittimus. Dicebantur autem diaconi Urbis Romæ *Regionarii* â qvatuordecim regionibus, in qvas diviſiſſe Urbem Romam, & ſingulis diaconis binas aſſignaſſe creditur Fabianus Pontifex. Dicebantur etiam *Cardinales*, qvod, licet diverſis in locis aut regionibus agerent, unius tamen Eccleſiæ ejuſqve primariæ cardine continerentur. Vid. Severin. Binium *ad vit. Fabiani & ad Concil. Romanum ſub Sylveſtro, tom. 1. Concil. p. 147. & 304.*

CAPUT IV.

Qvi, & â qvibus electi fuerint Diaconi.

I. *Ratio creandi Diaconos â prima inſtitutione petenda.* II. *Septem illi primi non fuerunt è numero* LXXII *diſcipulorum.* μαθηταὶ, *novi Chriſtiani.* III. *An Diaconi ex Græcis tantum lecti?* IV. *Qvænam ſint in his eligendis obſervanda?* V. *Eorum electio â tota Eccleſia præſenti facta.* VI. *Confirmatio vero per manus impoſitionem ab Apoſtolis.* VII. *De præſule per plebem eligendo teſtimonium Conſtitutionum Apoſtolicarum. earum autoritas.* VIII. *Origenis teſtimonium.* IX. *Cypriani.* X. *Ex eo duplex obſervatio.* XI. *Athanaſii.* XII. *Ejusdem in Epiſtola ad Orthodoxos.* XIII. *Epiſtolæ Synodicæ è Concilio CPno 1.* XIV. *Concilii Carthaginienſis IV.* XV. *Siricii Papæ.* XVI. *Hieronymi Presbyteri.* XVII. *In contrariam partem Gratianus adfert ex hiſtoria tripartita teſtimonium.* XVIII. *Qvod expenditur, Imperatoriqve jus electionis adſeritur.* XIX. *Theodoretus explicatus.* XX. *Itemqve ex Concilii Laodiceni*

XIII *Canone. Κυρωθέντοι.* XXI. *Probatur etiam conſenſus populi, auctoritate Cæleſtini,* XXII. *Leonis I, Pontificum.* XXIII. *Concilii Chalcedonenſis.* XXIV. *Apollinaris Sidonii.* XXV. *Gelaſii Papæ.* XXVI. *Concilii Pariſienſis.* XXVII. *Aurelianenſis.* XXVIII. *Pelagii,* XXIX. *Gregoriiqve I, Pontificum.* XXX. *Exemplorum in Gregorianis epiſtolis obviorum.* XXXI. *Martinus Bracarenſis cum Martino Papa confunditur à Gratiano.* XXXII. *Textus Martini Bracarenſis illuſtratus.* XXXIII. *Plebis in electione conſenſus ulterius probatus teſtibus ſeculi VII, Iſidori Hiſpalenſis.* XXXIV. *Concili Toletani IV.* XXXV. *Principis aſſenſus eſt neceſſarius, non tamen ſolus.* XXXVI. *Propter officia aulica, qvibus illa ætate ſacerdotes honeſtabantur.* XXXVII. *Non tamen unus hic procedendi modus.* XXXVIII. *Canon VI Concilii Toletani* XII. XXXIX. *Eidem lux.* XL. *Regis Galliarum jus in electione ac inveſtitura Epiſcoporum.* XLI. *Nec adſenſus modo, ſed ſuffragia qvoqve plebis in epiſcopi electione concurrebant.* XLII. *Qvod contra Gratianum oſtenditur.* XLIII. *Ordinatio, electio ad qvos pertineat.* XLIV. *Conceſſio Pontificis circa electionem nulla.* XLV. *Rectè unicuiqve de plebe votum relinqvitur, ſaltem negativum, ſi non ſemper affirmativum.* XLVI. *Differentia electionis primitivæ & hodiernæ oſtenſa ex diplomate Cathedralis Eccleſiæ Magdeburgenſis de Præbenda Diaconali.* XLVII. *Canonici titulares nullum habent votum.* XLVIII. *Aliud dictæ Eccleſiæ diploma, unde diaconorum exiſtimatio munerisqve in Eccleſiis collegiatis ratio cognoſcitur.*

I. Cum pleraqve Apoſtolorum facta non nuda exempla ſint, ſed exemplaria ſacra, divino conſilio ad imitandum propoſita, divinaſqve normas, ad qvas poſterorum omnium facta & conſilia univerſa dirigenda ſint, contineant, non malè rationem creandi diaconos ab Apoſtolorum primâ inſtitutione petimus, qvam proinde ulteriori diſcuſſione illuſtrare operæ erit precium. Nec profectò errabit, qvi in Eccleſiâ jam conſtitutâ obſervat & facit id, qvod fecérunt Apoſtoli in conſtituendâ. Et electionum formæ non poſſunt habere præſtantius archetypon, qvàm iſtud, qvod ab ipſis Apoſtolis relictum fuit. Videamus igitur, qvid porrò ex praxi Apoſtolicâ obſervari oporteat.

II. Poſtqvam multitudinem diſcipulorum convocaſſent Apoſtoli, *Actor. VI. deligite,* inqviunt, *ô fratres,*

ex vobis viros ſeptem, idoneo teſtimonio ornatos, plenos Spiritu S. & ſapientiâ, qvos huic uſui præficiamus. Qvia hîc diſcipulorum fit mentio, putavit Epiphanius, *lib. 1. cap. 21.* ex numero ſeptuaginta duorū diſcipulorum diaconos iſtos cooptatos fuiſſe. Sed eam ſententiam prolixè refutat David Blondellus, *in apol. de Epiſc. & presb. ſect. 3. n. 8. ſeq.* & oſtendit, diaconatum in nullum ex primis illis Evangelii præconibus cadere potuiſſe, qvod ita gradu deturbati & ex ſublimiore loco in inferiorem detruſi fuiſſent. Qvæ ratio utrum ſatis commoda ſit, videant alii, qvibus plus otii eſt, cum præſertim nullibi nominatim ſcriptura doceat, qvo loco ac numero ſeptuaginta illi diſcipuli fuerint. Sentio tamen cum Blondello, diaconos ex iſtis ſeptuaginta non fuiſſe ſelectos, qvippe qvi jam ab olim ipſo Salvatore Chriſto deſignati fuerunt, *Lucæ X, 1.* At diſcipuli illi, ex qvibus diaconi ſelecti fuerunt, noviter, Chriſto jam in Cœlos ſublato, coiiſſe & numerum feciſſe dicuntur *Act. VI, 1.* ut ita τῶν μαθητῶν vocabulum generaliter de novis Chriſtianis, & de totâ Eccleſiâ tum temporis præſente, accipi debeat. Idqve confirmatur ex verſu *ſeq. 7.* ubi dicitur, verbum Domini creviſſe & valdè multiplicatum fuiſſe numerum diſcipulorum Hieroſolymis, qvod utiqve de ſeptuaginta diſcipulis accipi neqvit.

III. Gaſpar Sanctius, *ad iſtum locum actorum,* diaconos iſtos ex Græcis electos fuiſſe putat, & prudenter qvidem, uti ait, ut Græcorum offenſioni ac ſeditioni obviam iretur. Docere id nomina ipſorum, qvæ Græca ſunt, & de Nicolao dubium non eſſe, cùm & Antiochenus & proſelytus dicatur. Neqve de Stephano levem eſſe conjecturam, qvod cognatus Pauli, qvi è Tharſo Ciliciæ fuerit, communiter exiſtimetur. Conjecturis nititur hæc ſententia, qvæ ſæpè fallunt, qvæqve ſvadent, non perſvadent. Nobis ſufficit id, qvod certum eſt, noſſe, ſumptos iſtos diaconos fuiſſe ex toto corpore Eccleſiaſtico tùm præſente; idqve corpus non ex Græcis tantùm conſtabat, ſed etiam ex Hebræis. Nec profectò, ſi conjecturis locus dari debet, ſatis prudenter egiſſe videntur Apoſtoli, ſi dicamus, eos non alios feciſſe diaconos, niſi Græcos; cùm hâc ratione, dum Græcis conſulebatur, Hebræis occaſio murmurandi dari potuiſſet. Satiùs tùm fuiſſet, ex utriſqve Collegium ejuſmodi conſtituere, omnemqve ulterioris contentionis occaſionem amputare, ne alteri favendo nimis, alter deſpectui haberi videretur.

IV. Deſcribunt autem Apoſtoli, qvales eligere oporteat, qvibus adminiſtratio bonorum Eccleſiaſticorum committi debuerit, *μαρτυρουμένους* ſcilicet, *πλήρεις πνεύματος ἁγίου*,

ἁγίου, καὶ σοφίας, Viros bono teſtimonio ornatos, plenos Spiritu S. & ſapientiâ. Eleganter ibi Lucas Oſiander, ut doceat, qvid nos in ejuſmodi perſonis eligendis obſervare debeamus: *Habeant*, inqvit, *bonum teſtimonium integritatis, ne periculum ſit, qvod defraudent Eccleſiam. Sint pii & Chriſtiano Zelo ardentes, ut animadverti poſſit, eos Spiritu S. gubernari. Sint prudentes & ſapientes, ut ſciant, qvomodo officium ſuum rectè adminiſtrare debeant, ne qvid negligatur, aut perperam fiat, unde poſtmodum juſtæ qverelæ oriri poſſint, &c.* Præeat igitur neceſſe eſt examen aliqvod, tùm doctrinæ, tùm morum, cùm ſpecialis aliqva prudentia ad officium boni Oeconomi reqviratur.

V. Videamus porrò, à qvibus electi fuerint iſti diaconi. Dicit textus: *Deligite ergò, ô fratres, ex vobis viros ſeptem, --- qvos huic uſui præficiamus. --- Et placuit hic ſermo toti præſenti multitudini, & elegérunt Stephanum, & Philippum, &c.* Apertè dicitur, totam præſentem multitudinem elegiſſe, qvæ multitudo non ex Clericis tantùm conſtabat, ſed ex omnibus illis, qvi Chriſto nomen dederant, qviqve præſentes tùm erant. Eos jubent Apoſtoli ἐπισκέψασθε ἄνδρας hoc eſt, recenſere, & luſtrare qvaſi, viros inter ſe, atq; diſpicere, utrum ſint, qvi muneri huic præfici poſſint. Atqve iſta ἐπισκεψις talem inſpectionem denotat, qvæ fit cum curâ & ſollicitudine aliqvâ, ne animus fallatur, & ne pro digno habeatur, qvi talis non eſt. Hâc ἐπισκέψει præviâ elegérunt deinceps Stephanum & reliqvos; ἐξελέξαντο, inqvit Apoſtolus, hoc eſt, ex pluribus optimos deſignárunt, eoſqve ab reliqvis ſeparârunt, qvippe qvos maximè idoneos huic officio habuérunt, qvoſqve propterea in conſpectum Apoſtolorum ſtatuérunt, ut ei muneri præficerentur.

VI. Sic igitur tota & univerſa Eccleſia, qvæ tùm præſens erat, inqviſivit primum in cœtu ſuo, utrum tales invenirentur, qvales deſcripſerant Apoſtoli, eoſqve repertos deinceps elegit, & Apoſtolis, ut per manûs impoſitionem confirmarent, exhibuit. Atqve iſte modus procedendi normam præſcripſit, qvam ſeqvi deinceps poſſet unaqvæqve Eccleſia particularis in eligendis perſonis, qvi miniſterium Eccleſiaſticum conſtituerent. Et hanc normam obſervavit diu Eccleſia in eligendis non tantùm Diaconis, ſed etiam presbyteris & Epiſcopis, donec exſurgerent, qvi indignum id eſſe rati, ut perſonæ Eccleſiaſticæ ab ſecularibus officio ſacro deputarentur, Laicos promiſcuè omnes jure iſto privarent, eoſqve à ſuffragiis ferendis prorſus excluderent. Nec longiùs petenda ſunt exempla, qvod ea Gra-

Gratianus, Decreti compilator, *ſub diſtinctione 62. & 63.* plenâ manu exhibeat, qvibus ipſe ſuam deinde addit interpretationem, ſed ad ſeculi ſui mores adaptatam, & praxi prioris Eccleſiæ minùs conformem. Redigamus eadem in meliorem ordinem, qvandoqvidem hâc ratione, qvid qvovis tempore obtinuerit, & qvando mutatum qvid fuerit, optimè cognoſcemus. Neqve alienum hoc erit ab inſtituto noſtro, cùm omninò neceſſarium ſit, ſcire, qvid Eccleſia poſt Apoſtolorum tempora obſervaverit, & utrum Apoſtolorum inſtituta pro lege habuerit. Attexemus autem ſubinde aliorum teſtimonia, qvæ ad præſentem rem faciunt, qvæqve Gratiani farraginem auctiorem reddere poterunt.

VII. Initium faciemus à Conſtitutionibus Apoſtolicis, uti vulgò dici ſolent, ſi qvis fortè ſit, qvi fidem earum ſuſpectam habere nolit. Etſi enim autoritas earum hodiè à qvamplurimis rejiciatur, nec de ætate ejus farraginis, & qvo tempore compilata ſit, qvidqvam certi conſtet, qvia tamen ſemper reperti fuerunt alii, qvi earum teſtimonio uti haud verentur, & negari neqvit, inveniri ſubinde in illis, qvæ veteres ritûs & praxin in Eccleſiâ receptam comprobant, non pigebit, *ex lib. 8. cap. 4.* hæc verba annotare: *Ego igitur primus Petrus dico, ordinandum eſſe Epiſcopum, ut omnes pariter ante conſtituimus, ſcilicet de qvo in nullâ re ſit qverela, & qvi ſit à cuncto populo ex optimis qvibuſqve electus. Qvo nominato & placente populus in unum congregatus unâ cum presbyteris atqve Epiſcopis præſentibus die Dominico conſentiat. Qvi verò inter reliqvos princeps Epiſcopus eſt, percontetur presbyteros & populum, an ipſe ſit, qvem præeſſe petunt: & illis annuentibus rurſus percontetur, an tribuant ei omnes teſtimonium, qvod dignus ſit hoc magno & illuſtri munere præſidendi, &c.*

VIII. Seculo tertio vixit Origenes ab ingenio laborioſiſſimo Adamantinus dictus, cujus verba refert Gratianus, *c. licet 8. q. 1.* ſub nomine tamen Hieronymi, ideò qvod Hieronymus homilias iſtas Origenis in Leviticum latinas fecerit, licet de earum autoritate ipſe adhuc dubitet Bellarminus Cardinalis, *de verbo DEI lib. 4. cap. 11.* qvod aliis diſcutiendum relinqvo. Verba ita recenſuit Gratianus: *Licet ergò Dominus de conſtituendo principe præcepiſſet & elegiſſet, tamen convocatur etiam Synagoga. Reqviritur ergò in ordinando ſacerdote etiam populi præſentia: ut ſciant omnes & certi ſint, qvod qvi præſtantior eſt ex omni populo, qvi doctior, qvi ſanctior, qvi in omni virtute eminentior, ille eligitur ad ſacerdotium, & hoc atteſtante populo, ne qva poſtmodum retractatio cuiqvam, ne qvis ſcrupulus reſideret. Hoc eſt autem,*

qvod

qvod & Apoſtolus præcipit in ordinatione Sacerdotis dicens: Oportet autem illum & teſtimonium habere bonum ab his, qvi foris ſunt, &c.

IX. Eodem ſeculo in Eccleſiâ Carthaginienſi maximè celebris fuit Cyprianus, cujus verba, *ex epiſt. 68.* digna ſunt, qvæ adſcribantur: *Plebs obſeqvens præceptis dominicis -- -- maximè habeat poteſtatem vel eligendi dignos ſacerdotes, vel indignos recuſandi. Qvod & ipſum videmus de divinâ auctoritate deſcendere, ut ſacerdos plebe præſente, ſub omnium oculis deligatur & dignus atqve idoneus publico judicio ac teſtimonio comprobetur. -- -- Qvod poſtea ſecundum divina magiſteria obſervatur in Actis Apoſtolorum, qvando de ordinando in locum Judæ Epiſcopo Petrus ad plebem loqvitur. -- Nec hoc in Epiſcoporum tantùm & ſacerdotum, ſed & in diaconorum ordinationibus obſervaſſe Apoſtolos animadvertimus, de qvo & ipſo in actis eorum ſcriptum eſt. -- Qvod utiqve idcircò tàm diligenter & cautè convocatâ plebe totâ gerebatur, ne qvis ad altius miniſterium vel ad ſacerdotalem locum indignus obreperet. -- Propter qvod diligenter de traditione divinâ & Apoſtolicâ obſervatione obſervandum eſt, & tenendum, qvod apud nos qvoqve & ferè per provincias univerſas tenetur, ut ad ordinationes ritè celebrandas, ad eam plebem, cui præpoſitus ordinatur, Epiſcopi ejuſdem provinciæ proximi qviqve conveniant, & Epiſcopus deligatur plebe præſente, quæ ſingulorum vitam pleniſſimè novit, & uniuscujuſqve actum de ejus converſatione perſpexit, &c.*

X. Locus hic Cypriani valdè inſignis eſt, & ab omnibus laudatus, tantæqve perſpicuitatis, ut ſine cavillatione in alium ſenſum torqveri nullo modo qveat. Ex eo autem duo inprimis notanda veniunt, 1. Qvod modum procedendi in electionibus miniſtrorum Eccleſiæ ex Scripturâ & ex ipſo hoc Actorum Apoſtolicorum exemplo petat. 2. Quod eandem in eligendis Epiſcopis & diaconis formam præſcriptam putet, ne qvis dicat, facilius ad electionem diaconorum admitti populum, quàm ad electionem Epiſcoporum. Quâ ratione de Clericis in genere mentem ſuam exponit idem Cyprianus, *lib. 5. epiſt. 5.* dum presbyteros, diaconos & plebem univerſam his alloqvitur verbis: *In ordinandis Clericis, fratres chariſſimi, ſolemus vos ante conſulere & mores ac merita ſingulorum communi conſilio ponderare.* Generaliter enim Clerici dicuntur omnes, qvi in Eccleſiâ Chriſti deſerviunt. Alphonſ. Alvarez Guerrer. *de jur. Pontif. Imp. &c. cap. 66. n. 1.* Et ſic de Cornelio Papa idem refert Cyprianus, *lib. 4. epiſt. 2.* electum eum fuiſſe à plurimis Epiſcopis de teſtimonio & ſuffragiis totius Cleri & populi. *Factus*, inqvit,

eſt Cornelius Epiſcopus de DEI & Chriſti ejus judicio, de clericorum penè omnium teſtimonio, de plebis, qvæ tunc affuit ſuffragio, & de Sacerdotum antiqvorum & Virorum bonorum Collegio. Sic etiam de ipſo Cypriano in ejus vitâ narrat Pontius,ſive ut ab aliis vocatur,Pontianus,Eccleſiæ Carthaginienſis Diaconus,electum eum fuiſſe ad officium Sacerdotii, & Epiſcopatûs gradum, judicio Dei & plebis favore.

XI. In ſeculo qvarto celebris eſt epiſcopatus Athanaſii, quem criminabantur Euſebius Epiſcopus Nicomedienſis,& qvi cum eo ſentiebant, quod à ſex aut ſeptē Epiſcopis clanculū & in loco obſcuro in præſulem electus fuiſſet, qvodq; adeò defuiſſet plebis conſenſus. Sed reſpondet Synodus Alexandriæ congregata: *Nos autem contra cum totâ civitate & universâ provinciâ teſtamur, omnem multitudinem populumq;Catholicæ Eccleſiæ in unum coactū, qvaſi in ſpeciem unius corporis & animæ, clamoribus, vociferationibuſq; poſtulaſſe, Athanaſium Eccleſiæ Epiſcopum dari, idq; publicis votis à Chriſto expetiſſe, noſq; uti faceremus per multos dies ac noctes jurejurando obteſtatos fuiſſe,cùm interea nec ipſe ab Eccleſiâ diſcederent, neqve nobis diſcedendi facultatem permitterent, hoc noſtrum totiuſq; civitatis & universæ provinciæ teſtimonium, nec mali qvicqvam de eo, qvod ab ipſis ſit pronunciamus, &c.* Epiſtola hæc Synodica habetur apud ipſum Athanaſ. *apol. 2.*

XII. Idem Athanaſius, cùm ex Cathedrâ Alexandrinâ nullo ſuo merito dejectus fuiſſet, & Georgium Cappadocem ſuffectum ſibi audiviſſet, *in epiſt. ad Orthodoxos*, hanc Georgii ordinationem inter alia his perſtrinxit verbis: *Sed ut demus, querelam aliqvam adverſum me ſuſceptam eſſe, meumq; nomen inter reos receptam eſſe, non tamen oportuit in mei locum Arianum, aut qvi Ariana ſaperet, ſurrogari, ſed ſecundum Eccleſiaſticos Canones, prout Apoſtolus præcepit, congregatis populis unâ cum Spiritu S. qvi Epiſcopum conſtituant, publicè & in præſentiâ Clericorum Epiſcopum poſtulantium, inqviſitionem fieri, atq; ita omnia canonice peragi: non autem ad præſentiam, poſtulationemq; Arianorum, qvi ab Eccleſiâ alieni ſunt, qviq; Epiſcopale nomen non vereantur emere, ſucceſſorem mihi dari, nundinatoremqve Epiſcopalis tituli præter conſenſum eorum,qvi Epiſcopum poſtulare debebant, præterqve voluntatem, conſcientiamqve omnium, qvi actis adhibiti non fuére, per vim opeſqve judicum extraneorum in hanc dignitatem immittere, &c.* Populi conſenſum deſiderat Athanaſius in electione Georgii, qvem ex Apoſtoli præcepto neceſſarium eſſe dicit, & ſic Apoſtolicum iſtum proceſſum pro normâ haberi voluit.

XIII.

XIII. Hoc eodem ſeculo, ex Concilio Conſtantinopolitano I, exarata eſt ad Concilium Romæ convocatum Epiſtola Synodica, in qvâ Patres abſentiam ſuam, & quod Romæ comparere non poſſint, excuſant, electionesque Epiſcoporum Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ & Antiochenæ canonicè à ſe factas ſignificant, his verbis: *Unde Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ recens, ut ita dicam, ædificatæ, qvamqve ex hæreticorum blaſphemiâ, tanqvam ex ore Leonis per miſericordiam DEI nuper eripuimus, reverendiſſimum ſanctiſſimumq; Nectarium in Concilio generali, communi omnium conſenſu, præſente Theodoſio Imperatore religioſiſſimo, totius deniqve cleri, totiusq; civitatis ſuffragiis Epiſcopum conſtituimus. Eccleſiæ autem vetuſtiſſimæ & verè Apoſtolicæ Antiochiæ Urbis Syriæ, in qvâ primum venerandum Chriſtianorum nomen auditum eſt, reverendiſſimum & ſanctiſſimum Flavianum Epiſcopi illius provinciæ & diœceſeos orientalis in unum convenientes, tota illa Eccleſia, uti canon poſtulat, ſuffragante & velut uno ore virum illum honorificè collaudante, Epiſcopum ordinârunt. Qvæ qvidem ordinatio uti legitima, communi Concilii conſenſu approbata eſt.* Epiſtolam hanc recenſet Severinus Binius *tom. 1. Concil. pag. 528.*

XIV. Circa finem hujus ſeculi habitum fuit Concilium Carthaginienſe IV, in qvo *canone 22.* ſtatutum eſt, *ut Epiſcopus ſine conſilio Clericorum ſuorum, clericos non ordinet, ita ut civium conniventiam & teſtimonium qværat*. Habetur apud Gratianum *c. Epiſcopus 7. diſt. 24.* & apud Binium hic legitur titulus: *Ut Epiſcopus ſine teſtimonio Clericorum & plebis clericos non inſtituat.* De Clericis in genere loqvitur, & in eorum electione cives audiri vult, qvorum proinde ſuffragia concurrere oportet, ne invitis illis Clerici obtrudantur, de qvibus parum honeſtè ſentiunt. Sed qvid eſt, qvod jubetur Epiſcopus civium conniventiam qværere? Explicatiùs canonem iſtum exhibet editio Franciſci Longi à Coriolano hoc modo: *Ut Epiſcopus ſine conſilio Clericorum ſuorum Clericos non ordinet, ita ut civium aſſenſum convenientiam & teſtimonium qværat.* Convenientiam, hoc eſt, ut conveniant ſuffragia civium cum conſilio Clericorum, & ut populus aſſenſum ſuum præſtet. Aliàs enim conniventia non tàm qværenda, qvàm ſperanda eſt.

XV. Non minùs etiam Siricius Papa ſub finem ſeculi qvarti, *in epiſt. ad Himerium Tarraconenſem, n. 10.* exponit modum, qvo ad ſacram militiam ſive ſacros ordines adſpirare poſſit Laicus. Et primùm qvidem, ait, Lectorum aut exorciſtarum numero jungendum eſſe. *Qvi*, inqvit, *dum initiatus fuerit, expleto biennio per qvinqvennium aliud acoly-*

 thus

thus & ſubdiaconus fiat, & ſic ad diaconatum (ſi per hæc tempora dignus judicatus fuerit,) provehatur. Exinde jam acceſſu temporum presbyterium vel Epiſcopatum, ſi eum clerici ac plebis evocarit electio, non immeritò ſortietur. Ultima hæc verba non eò pertinent, qvod ad presbyteratum tantùm & Epiſcopatum conferendum plebis electio accedere debet, ſic enim eodem negocio etiam ad iſtos tantùm ordines conferendos Cleri electionem neceſſariam dixero, ſed qvod majus dubium eſſet de presbyteratu & Epiſcopatu, qvorum ſuffragiis promotio in his ordinibus fieri deberet, qvàm de diaconatu & reliqvis.

XVI. Claruit in eodem ſeculo Hieronymus Presbyter & Eccleſiæ Doctor etiamnum notiſſimus, qvi hanc Eccleſiæ praxin ſuo tempore uſitatam non uno loco confirmat. *In libro 1. adverſus Jovinianum* dum matrimonio paulo iniqvior eſt, & virginitatem ita commendat, ut nuptias penè univerſas damnet, inter alia qværit, *cur cælibes non ſemper ad ſacerdotium ſumantur?* & poſt unam atqve alteram rationem adductam hanc addit: *Nonnunqvam erat plebis vulgiq; judicium, & in Sacerdotibus comprobandis unuſqviſqve ſuis moribus favet, ut non tàm bonum qvàm ſui ſimilem qværat præpoſitum. Evenit aliqvoties, ut mariti, qvæ pars major in populo eſt, maritis qvaſi ſibi applaudant, & in eo ſe arbitrentur minores non eſſe virginibus, ſi maritum virgini præferant, &c.* Populus ergò habuit ſua ſuffragia in eligendis ſacerdotibus, qvi ex affectu ſæpè procedebant, & eos eligebant, qvi ſibi ſimiles erant. Pari modo, *in comment. ad Ezechiel. cap. 33.* ad populum refert electionem Epiſcopi, dum ait: *Speculator terræ Judææ vel Rex poteſt intelligi, vel Propheta. Speculator autem Eccleſiæ vel Epiſcopus, vel presbyter, qvi à populo electus eſt. — — Unde magnoperè formidandum eſt, ne ad hoc officium accedamus indigni, & aſſumpti à populo, negligentiæ nos demus atq; deſidiæ, & qvod his pejus eſt, deliciiſqve ventriqve & otio ſervientes, honorem nos accepiſſe putemus, non miniſterium.*

XVII. Sunt tamen, qvæ ex hoc ſeculo pro contrariâ ſententiâ adducit Gratianus, *c. Valentinianus 3. & c. non eſt permittendum 6. diſt. 63.* Primum petit ex hiſtoriâ tripertitâ, & Imperatoris jus, qvod in eligendis Epiſcopis tribui ſolet, impugnare videtur, his verbis: *Valentinianus Imperator veniens ab Oriente ad Heſperias partes, (ut refert Hiſtoria Eccleſiaſtica) mortuo Auxentio, Arrianæ perfidiæ magiſtro, qvi Mediolanenſem Eccleſiam ut lupus dilaniaverat, cùm vellet Imperator catholicum DEO ordinare, ibi conſecrari epiſcopum, evocans Epiſcopos, hæc eis locutus eſt:*

Noſtis

Noſtis apertè, eruditi, divinis eloqviis qvalem oporteat eſſe pontificem: & qvia non decet eum verbo ſolo, ſed etiam converſatione gubernare ſubjectos, & totius ſemetipſum imitatorem virtutis oſtendere, teſtemqve doctrinæ converſationem habere bonam. talem itaqve in pontificali conſtituite ſede, cui & nos qvi gubernamus imperium, ſincerè noſtra capita ſubmittamus & ejus monita dum tanqvam homines delinqvimus, neceſſariò veluti curantis medicamina ſuſcipiamus. Hæc autem cùm dixiſſet Imperator, petiit Synodus, ut magis ipſe decerneret, ſapiens & pius exiſtens: atqve ille ait: Super vos eſt talis electio. Vos enim gratiâ divinâ potiti, & illo ſplendore fulgentes melius poteſtis eligere. Tunc Sacerdotes egreſſi de epiſcopali ſede tractabant. Cùm autem ordinatione divinâ Ambroſius nondum baptizatus electus fuiſſet, exultans Imperator ait: Gratias ago tibi domine omnipotens, & Salvator noſter: qvoniam huic Viro egò qvidem commiſeram corpora, tu autem animos. & meam ſententiam oſtendiſti juſtitiæ tuæ convenire. Cumqve Sanctus Ambroſius contriſtaretur de hoc qvod acciderat (ut idem ipſe in ſuis Epiſtolis ſcribit) confortavit eum Imperator, & ait: Noli timere, qvia DEUS, qvi te elegit, ſemper te adjuvabit, & ego adjutor tuus (ut meum ordinem decet,) ſemper exiſtam.

XVIII. Nolim ego ex his verbis inferre, vel prorſus nullum jus competere Imperatori in electione Epiſcoporum, vel ſi competierit, eo ſe abdicaſſe, aut abdicare potuiſſe. Agnoverant Epiſcopi ſacrum hoc Imperatoris jus, & ab eo ſolo electionem novi Epiſcopi celebrari volebant. An putabimus, etiam Epiſcopos ſuâ hâc petitione juri ſuo renunciaſſe? Delatam hanc provinciam refert Imperator Epiſcopis, & ab illis potiùs expeditam vult. Qvid inde conficiemus? confiteri ſcil. eundem, nullam ſibi hîc competere poteſtatem? At hanc Epiſcopi potiùs negare debuiſſent; ſed qvi ultrò eam agnoſcunt, & electionem ab eo expetunt. Ultro citroqve dum modeſtiæ aliqva ratio habetur, neutra pars hoc agit, ut ſibi jus eligendi competere neget, qvod ſanè reſignare prorſus neqvit, non magis, qvàm diſcretio doctrinæ in univerſum, qvæ vera, qvæ noxia ſit, reſignari poteſt, vel â magiſtratu in judicium Paſtoris ſui, vel â Paſtore aut plebe in judicium magiſtratûs. Valdè tamen eo tempore attendendum erat judicium Epiſcoporum propter Arianos, qvorum in Occidente antesignanus fuerat Epiſcopus defunctus Auxentius, atqve idcircò eorum ſuffragia præcedere voluit Imperator, præſertim cùm non ſatis cognitos haberet mores ſingulorum, qvi ei munere præfici potuiſſent. Simili modeſtiâ uſus eſt idem Imperator Valentinianus circa ini-

tium imperii ſui, cùm Epiſcopi Helleſponti & Bithyniæ & alii omnes, qvi Filium Patri conſubſtantialem aſſerendum putabant, ab eo peterent, ut ſibi de doctrinâ fidei ritè conſtituenda in unum conveniendi poteſtas permitteretur. Reſpondit enim illis: *Sibi qvi unus è Laicorum numero erat, non licere ſe ejusmodi negociis interponere*, referente Sozomeno, *lib. 6. cap. 7.* Poteſtas ſcil. ordinaria indicendi, & convocandi concilia, & definiendi concilio locum, eſt penes eum, qvi τὸ κῦρος tenet in Rep. Et hanc poteſtatem Imperatori competere noverant Epiſcopi. Ille autem per modeſtiam eis liberum relinqvebat, qvo loci convenire vellent. Delegare ſcil. & communicare poteſtatem convocandi Epiſcopis voluit, alienare autem eandem in perpetuum non potuit.

XIX. Cæterùm omittere neqveo, qvod ex adducto Ambroſii exemplo valdè confirmetur jus populi circa electionem Epiſcoporum. Refert enim Theodoretus, *lib. 4. cap. 5. & 6.* qvid acciderit, poſtqvam Imperator provinciam hanc ſibi ab Epiſcopis impoſitam declinaſſet atqve eis retuliſſet. *Illi*, inqvit, *egreſſi ſeparatim per ſe de eo deliberare cœperunt. Civitatis autem habitatores inter ſe ipſos diſſidere, qvorum alii hunc, illum alii deligere contendebant. Nam qvi errore Auxentii erant imbuti, hi ſuæ opinionis fautoribus ſuffragati ſunt; qvi verò à partibus ſanæ ſinceræqve doctrinæ ſtabant, illi rurſus Epiſcopum ſecum de fide conſentientem habere laborárunt, &c.* Partium ſtudia refert Theodoretus, & qvidem ex civitatis habitatoribus, hoc eſt, ex populo Mediolanenſi, qvem tantum abeſt excluſum fuiſſe ab electione novi Epiſcopi, ut potiùs deinde maxima ejus habenda fuerit ratio, etſi ſeparatim Epiſcopos deliberaſſe referat Theodoretus.

XX. Alterum teſtimonium petit Gratianus ex Concilio Laodiceno, cujus canon decimus tertius, qvi in codice Canonum Eccleſiæ univerſæ eſt centeſimus decimus ſeptimus, hunc in modum conceptus legitur: Περὶ τοῦ, μὴ τοῖς ὄχλοις ἐπιτρέπειν τὰς ἐκλογὰς ποιεῖσθαι τῶν μελλόντων καθίστασθαι εἰς ἱερατεῖον *Qvod non ſit permittendum turbis, electiones eorum facere, qvi in ſacerdotio conſtituendi ſunt.* Verum enim verò non hæc fuit Patrum in Concilio Laodicenſi congregatorum intentio, ut populum prorſus excluderent ab electionibus miniſtrorum Eccleſiæ, ſed ut turbulentos motûs compeſcerent, qvibus illi prævertere Epiſcoporum judicia ſolebant, nec expectabant, qvid ab reliqvis ordinibus decretum fuiſſet. Senſus igitur hic eſt, non debere plebi ſoli permitti, ut ſine Clero & magiſtratu electionem Epiſcopi aut alterius miniſtri Eccle-

ſiæ

ſiæ faciat, non ut prorſus non eligat, ſed ut nunqvam excluſo vel poſthabito clero univerſam electionis poteſtatem ad ſe trahat, atqve ita Cleri ſuffragia eludat. Fidem hujus interpretationis facit ejusdem Concilii canon qvintus, qvi eſt inter Canones Eccleſiæ univerſæ centeſimus nonus, ubi prohibentur electiones fieri in præſentiâ ἀκροωμένων ſive audientium. Sive enim per ἀκροωμένους catechumenos intelligas, qvorum duos facit gradûs Chriſtophorus Juſtellus, *ad can. 14. Eccleſ. univ.* qvatuor Gabriel Albaſpinæus *lib. 2. obſ. 2.* ſive certum ordinem poenitentium, de qvibus idem videri poterit Juſtellus, *ad can. 25.* dum ſoli excluduntur audientes, reliqvos omnes admiſſos dicemus. Et ſic ſalva res eſt, nihil obſtare aſſertioni noſtræ dictum canonem Concilii Laodiceni. Vide Dav. Blondell. *apol. de Epiſc. & presbyt. ſect. 3. pag. 482.*

XXI. Pergimus ad ſeculum V, in qvo apud Gratianum primo occurrit autoritas Coeleſtini I, *c. cleri 26. diſt. 63.* qvi ad Epiſcopos Galliæ *epiſt. 2. ſub num. 5.* hunc in modum reſcripſit: *Nullus invitis detur Epiſcopus. Cleri, plebis & ordinis conſenſus ac deſiderium reqviratur.* Si non deſideria tantùm populi audienda ſunt, ſed conſenſus etiam ejus reqviri debet, & ſi non invitis dandus eſt Epiſcopus, ſuffragia ejus ut accedant, neceſſe eſt. Ille tamen ita ſe gerere & ſuffragia ſua temperare debet, ne in veteres canones impingat, & præcipiti deſiderio eligat, qvem non admiſiſſet Eccleſia anterior. Tùm enim licitum eſt Clero interloqvi & populum ad ſaniora conſilia reducere. Sic enim idem loqvitur Coeleſtinus *in epiſt. 3.* quæ eſt ad Epiſcopos Apuliæ & Calabriæ, apud Gratianum *c. docendus 2. diſt. 62. Docendus eſt populus, non ſeqvendus. Nosqve, ſi neſciunt, eos, qvid liceat, qvidve non liceat, commonere, non his conſenſum præbere debemus, &c.* Elegerant ſcil. civitates nonnullæ epiſcopos ſibi ex Laicis, qvod genus electionis admittere noluit Eccleſia, uti qvamplurimis teſtimoniis id adſtruit Marcus Antonius de Dominis, *de Rep. Eccleſ. lib. 3. cap. 4. num. 8. ſeqq.*

XXII. Poſt Coeleſtinum Leo I, idem populo jus tribuit multis in locis, ex qvibus tria recenſet Gratianus. Primum extat *cap. 1. diſt. 62.* & eſt deſumptum ex epiſtolâ Leonis ad Ruſticum, Narbonenſem Epiſcopum, qvæ eſt nonageſima ſecunda: *Nulla ratio ſinit, ut inter Epiſcopos habeantur, qvi nec à clericis ſunt electi, nec à plebibus expetiti, nec à provincialibus Epiſcopis cum metropolitani judicio conſecrati, &c.* Alterum refert Gratianus *c. metropolitano 19. diſt. 63.* deſumptum *ex epiſt. 84. ad Anaſtaſium Theſſalonicenſem Epiſcopum,* his verbis: *Metropolitano defuncto,*

functo, cùm in locum ejus alius fuerit ſubrogandus, provinciales Epiſcopi ad civitatem Metropolitanam convenire debebunt, ut omnium clericorum atq; omnium civium voluntate diſcuſſâ ex presbyteris ejusdem Eccleſiæ, vel ex diaconibus optimus eligatur, &c. Tertium habet Gratianus *in c. vota 27. 63. diſt. ex epiſt. 89.* qvæ eſt ad Epiſcopos per Viennenſem provinciam, ubi reprehendit Leo Hilarium Arelatenſem ArchiEpiſcopum, qvod jus Metropolitani ſibi ſumſiſſet, & in locum Projecti Epiſcopi ægrotantis alium ſubſtituiſſet: *Expectarentur,* inqvit, *vota civium, teſtimonia populorum, qværeretur honoratorum arbitrium, electio Clericorum, qvæ in ſacerdotum ſolent ordinationibus ab his, qvi norunt patrum regulas, cuſtodiri, ut Apoſtolicæ autoritatis norma in omnibus ſervaretur, qvâ præcipitur ut ſacerdos Eccleſiæ præfuturus, non ſolùm atteſtatione fidelium, ſed etiam eorum, qvi foris ſunt, teſtimonio muniatur. --- Teneatur ſubſcriptio Clericorum, honoratorum teſtimonium, ordinis conſenſus & plebis. Qvi præfuturus eſt omnibus, ab omnibus eligatur, &c.*

XXIII. Leonis hujus temporibus, anno nimirum CCCCLI, habitum fuit Concilium Chalcedonenſe, in qvo *actione 11* diſputatum fuit inter Baſſianum & Stephanum de Epiſcopatu Epheſino, qvis eorum canonicè electus dici debuerit. Neuter probare poterat, electionem de ſe factam omni labe carere, uterqve tamen provocabat ad conſenſum Cleri & populi. Stephanus dicebat: *Qvadraginta Epiſcoporum Aſianorum decreto & nobilium & plebis & totius reverendi Cleri & omnis civitatis me ordinaverunt.* Eodem modo & Baſſianus: *Me cum multâ neceſſitate & vi inthronizaverunt in eâdem civitate. Epheſi populus & Clerus & Epiſcopi, qvorum unus Epiſcopus Olympius hic eſt.* Non alia ab utroqve potuit commodior Epiſcopatûs hactenus geſti ratio dari, qvàm qvod ab initio intervenerit auctoritas totius civitatis; alter etiam coactum ſe cathedram adſcendiſſe profitebatur, qvod ipſum olim valdè ornabat, & inſigni titulo condecorabat ſacri præſulatûs initia.

XXIV. Eodem ſeculo vixit Apollinaris Sidonius, qvi *lib. 4. epiſt. 25.* Domnulum ſuum certiorem reddit, qvot in partes ſciſſus fuerit populus Cabillonenſis, cùm de eligendo novo Epiſcopo deliberatum eſſet. *Neqveo differre,* inqvit, *qvin grandis communione te gaudii feſtinus impertiam: nimirum noſſe cupientem, qvid pater noſter in Chriſto pariter & Pontifex Patiens, Cabillonum profectus, more religionis, more conſtantiæ ſua fecerit. Cùm veniſſet in oppidum ſupra ſcriptum, provincialium ſacerdotum prævio partim, partim comitante collegio, ſcil. ut municipio ſummus aliqvis anti-*

antiſtes ordinaretur ; cujus Eccleſiæ diſciplina nutabat, poſtqvam junior Epiſcopus Paulus diſceſſerat, deceſſeratqve. Exceperunt Pontificale concilium variæ voluntates oppidanorum, nec non & illa, qvæ bonum publicum ſemper evertunt, ſtudia privata; qvæ qvidem Triumviratus accenderat competitorum : qvorum hic antiqvam natalium prærogativam reliqva deſtitutus morum dote ructabat : hic per fragores paraſiticos, culinarum ſuffragio comparatos, Apicianis plauſibus ingerebatur : hic apice votivo ſi potiretur, tacitâ pactione promiſerat Eccleſiaſtica plauſoribus ſuis prædæ prædia fore, &c. Non debuiſſent attendi hæc plebis ſtudia, nec â Patiente Metropolitano Lugdunenſi & Euphronio Epiſcopo Auguſtodunenſi ſecreta agitari conſilia, qvæ deinceps memorat Sidonius, niſi populi ſuffragia exqvirere tùm oportuiſſet.

XXV. Circa finem ſeculi V Romæ ſedit Gelaſius Pontifex, cujus ex epiſtolâ ad Philippum & Gerontium Epiſcopos tale nobis exhibet fragmentum Gratianus, *c. 11. diſt. 63. Plebs Diotrenſis datâ nobis petitione deflevit diu, ſe ſine rectoris proprii gubernatione diſpergi : ac, ſicut aſſeritur, is qvi â vobis jam probatus dicitur, â paucis & tenuibus putatur electus, cum ad vos pertineat univerſos adſiduâ admonitione compellere, ut omnes in unum, qvem dignum ſacerdotio viderint, & ſine aliqvâ reprehenſione conſentiant. Et ideò, fratres chariſſimi, diverſos ex omnibus ſæpe dicti loci paroeciis & presbyteros & diaconos & univerſam turbam vos oportet ſæpiùs convocare : qvatenus non prout cuilibet libuerit, ſed concordantibus animis talem vobis admonentibus ſibi qværant ſola divinitatis attentione perſonam, qvam nulla contrarietas â conſtitutis poſſit revocare reſcriptis.*

XXVI. Non alia fuit mens & ſententia patrum, nec alia Eccleſiæ praxis in ſeculo ſexto. Qvi Pariſiis congregati fuerunt, anno Chriſti DLII, *canone 6.* principaliter qvidem hoc egerunt, ut electionibus regiis fibulam imponerent, qvippe per qvas canones Eccleſiaſtici prorſus evertebantur, eamqve partem canonis refert Gratianus, *d. diſt. 63. c. 5.* ſed in principio tamen ejusdem qvid obſervari in electionibus debeat, ſollicitè præmittunt: *Qvia*, inqviunt, *in aliqvibus rebus conſuetudo priſca negligitur, ac decreta canonum violantur, placuit, ut juxta antiqvam conſuetudinem canonum decreta ſerventur. Nullus civibus invitis ordinetur Epiſcopus, niſi qvem populi & Clericorum electio pleniſſimâ qvæſierit voluntate, non principis imperio, neqve per qvamlibet conditionem contra Metropolis voluntatem vel Epiſcoporum comprovincialium ingeratur, &c.* Seqvuntur nunc verba, qvæ leguntur

tur apud Gratianum *d. l.* Dixi autem concilium hoc anno Domini DLII, habitum fuiſſe, & conſtitutum ita inveniri *canone ſexto*, ſecutus Bartholomæum Caranzam, *in ſumm. Concil.* â qvo tamen diſcedunt Severinus Binius & Franciſcus Longus â Coriolano, qvi in annum DLIX, aut DLX, iſtud conjiciunt, & verba adducta in canone ejus concilii *octavo* recenſent. Qvicqvid ſit, ſufficit nunc nobis, ad ſeculum ſextum id referri.

XXVII. De Concilio Aurelianenſi V, minus dubium eſt, celebratum id fuiſſe anno DLII. In ejus *canone 10.* ſtatutum eſt: *Ut nullum Epiſcopatum præmiis aut comparatione liceat adipiſci, ſed cum voluntate Regis juxta electionem Cleri ac plebis, ſicut in antiqvis canonibus continetur ſcriptum, conſenſu Cleri ac plebis, â metropolitano, vel qvem vice ſuâ miſerit, cum comprovincialibus Pontifex conſecretur, &c.* Et porrò *can. 11. Item (ſicut antiqvi canones decrevêrunt) nullus invitus ordinetur Epiſcopus*, ita legitur apud Coriolanum; rectius, nî fallor, apud Binium: *nullus invitis detur Epiſcopus*, prior enim lectio pugnat cum *l. 31. C. de Epiſc. & Cler.* qvæ anterior eſt & octoginta abhinc annis lata fuit. *Sed nec per oppreſſionem potentium perſonarum ad conſenſum faciendum civis, aut Clerici (qvod dici nefas eſt) inclinentur. Qvod ſi factum fuerit, ipſi Epiſcopus, qvi magis per violentiam, qvàm per decretum legitimum ordinatur, ab indepto Pontificatûs honore in perpetuum deponatur.* In priore canone conſenſus plebis reqviritur, ut electio ſit canonica: In poſteriore exponitur, qvalis eſſe debeat ille conſenſus, nimirum ab omni coactione liber. Et qvid opus igitur tùm fuiſſet leges præſcribere, niſi populi conſenſum neceſſarium arbitrati fuiſſent Patres?

XXVIII. Gratianus in *c. literas. 14. diſt. 63.* refert ex eodem ſeculo VI teſtimonium Pelagii Papæ, qvod ita ſe habet: *Literas charitatis tuæ ſuſcepimus, qvibus ſignificas, Latinum Diaconum tuum ad Epiſcopatum Eccleſiæ Marcellianenſis à Clero & omnibus, qvi illic conveniunt, poſtulari, hoc itaqve dicimus, ut ſi omnes eum eligunt, & vis eum concedere, gratum nobis eſſe cognoſce: & ſi poteſt, ante diem ſanctum feſtinet occurrere, ut vel Sabbatho ipſo noctis magnæ poſt baptiſmum cum DEI gratiâ valeat ordinari.* Ab omnibus electionem fieri vult, non omnibus tantùm Clericis, ſed omnibus ejusdem civitatis civibus. Diſtinctè enim loqvitur tùm de clero, tùm de omnibus, qvi illic conveniunt, qvos utiqve præter Clerum oportet eſſe alios.

XXIX. Succeſſit Gregorius I Pontifex, cujus hanc epiſtolam *30. ex lib. 2.* refert Gratianus, *c. qvanto 10. diſt. eâd.* --- *Defuncto igitur Antiſtite Lauren-*

Laurentio Eccleſiæ Mediolanenſis ArchiEpiſcopo ſua nobis relatione Clerus innotuit, in electione ſe filii noſtri Conſtantii diaconi ſui unanimiter conſenſiſſe. Sed qvoniam eadem non fuit ſubſcripta relatio : ne aliqvid, qvod ad cautelam pertinet, omittamus, idcircò hujus præcepti autoritate ſuffultum Genuam te proficiſci neceſſe eſt : & qvia illic multi Mediolanenſium coacti barbaricâ feritate conſiſtunt eorum te voluntates oportet, convocatis eis, (In antiqvis qvibusdam exemplaribus legitur : *convocatis clericis.* malè. cùm intelligantur hîc cives & Laici barbaricam feritatem fugientes & Genuæ conſiſtentes, uti optimè notat Carolus Molinæus *ad Concil. Trident. num. 35.*) *in commune perſcrutari : & ſi nulla eos diverſitas ab electionis unitate diſterminat, ſiqvidem in prædicto filio noſtro Conſtantino omnium voluntates atqve conſenſum perdurare cognoſcis, tunc eum â propriis Epiſcopis (ſicut antiqvitatis mos exigit) cum noſtræ auctoritatis aſſenſu ſolatiante & auxiliante Domino facias conſecrari, &c.* Tàm ſollicitus eſt Gregorius, ut electio omni vitio careat, ut etiam cives Mediolanenſes alibi degentes interrogari velit, qvid ſentiant.

XXX. Plenæ ſunt ejusmodi exemplis Gregorii hujus epiſtolæ, ſingula ſi qvis colligere velit, integrum facilè conficiet commentarium. Ne longiùs ab hâc epiſtola, qvam modo adduximus, recedamus, invenimus *in eod. lib. 2. epiſt. 14.* ſcripſiſſe Gregorium Clero, ordini, & plebi conſiſtenti in Terracinâ, & laudaſſe, qvod Agnellum Eccleſiæ ſuæ Epiſcopum elegerint. In *epiſt. 15.* ad Scholaſticum Ducem Campaniæ his verbis ſcribit : *Atqve ideò ſalutantes hortamur magnitudinem veſtram, ut convocantes priores vel populum civitatis, de electione alterius cogitatis, qvi dignus poſſit cum Chriſti ſolatio ad ſacerdotium promoveri.* Non potuiſſet Gregorius clariùs exponere jus plebis, qvàm his ipſis verbis, dum magiſtratum admonet, ut cives ad electionem faciendam convocet. Eodem ferè modo ſcribit, *in epiſt. 22.* Antonio ſubdiacono, rectori patrimonii in Dalmatiâ : *Qvod ſi verum eſt, experientia tua omni inſtantia omniqve ſollicitudine clerum & populum ejusdem civitatis admonere feſtinet, qvatenus uno conſenſu ordinandum ſibi debeant eligere ſacerdotem, factoqve in perſonam, qvæ fuerit electa, decreto, ad nos transmittere ſtudebis, ut cum noſtro conſenſu, ſicut priſcis fuit temporibus, ordinetur.* Et in *epiſt. 26.* qvæ ad Magnum presbyterum Eccleſiæ Mediolanenſis exarata eſt; *Admone clerum & populum, ut ad eligendum nullatenus diſſentiant ſacerdotem : ſed uno conſenſu talem ſibi eligant conſecrandum epiſcopum, cujus*

& actus laudabiles & grata DEO & hominibus poſſit eſſe perſona. Sed nolo hîc congerere plura, qvandoqvidem ex paucis his ſufficienter colligere licet, qvis fuerit Gregorii ævo Eccleſiæ uſus, & qvæ plebi competierint jura.

XXXI. Unicum eſt, qvod in hoc ſeculo aſſertioni noſtræ obſtare videtur, teſtimonium ex Concilio Martini Papæ, qvod compilationi ſuæ inſeruit Gratianus, *c. 8. diſt. 63. Non licet populo electionem facere eorum, qvi ad ſacerdotium promoventur, ſed in judicio Epiſcoporum ſit, ut Epiſcopi eum probent, ſi in ſermone & fide & ſpirituali vitâ edoctus ſit.* At verò animadvertendum hîc eſt, nullum eſſe concilium Martini Papæ, ex cujus decretis tale aliqvod oſtendi poſſit, ſed â Gratiano Martinum Papam perpetuò confundi cum Martino Bracarenſi Epiſcopo, qvi diem ſuum obiit, anteqvam Martinus Papa naſceretur. Idqve cum obſervaſſet Antonius Contius, in Decreto Gratiani, qvod edidit, omnibus ferè capitibus, qvæ Martini Papæ inſcriptionem habent, in margine addidit nomen Martini Bracarenſis, & qvod ex capitulis Græcarum ſynodorum id ſumſerit. Conf. Antonius Auguſtinus *de emendat. Gratiani lib. 1. dial. 10. & 11.* Martinus hic collectionem canonum circa annum Chriſti DLXX ex Græcis Synodis compoſuit, & ad Eccleſias Hiſpanicas accomōdavit. In eâ autem non integra verba canonum, ſed vel breviata vel interpolata refert, non adſcripto unde, nec ex qvo concilio deſumta ſint. Et putat tamen ille, plus cæteris ſe præſtitiſſe, & perſpicuè magis canones expoſuiſſe. *Et qvia difficile eſt,* inqvit, *ut ſimplicius aliqvid ex aliâ lingvâ transferatur in aliam, ſimulq; & illud accidit, ut in tantis temporibus ſcriptores aut non intelligentes, aut dormitantes multa prætermittant, & propterea in ipſis canonibus aliqva ſimplicioribus videantur obſcura, ideò viſum eſt, ut cum omni diligentiâ, & ea qvæ per translatores obſcuriùs dicta ſunt, & ea, qvæ per Scriptores ſunt immutata, ſimpliciùs & emendatiùs reſtaurarem, &c.*

XXXII. Confuſionem talem etiam in textu allegato contigiſſe, eruditè oſtendit David Blondellus, *apol. de Epiſc. & presbyt. ſect. 3 pag. 487.* Compactum eum ait ex ſupra adducto canone decimo tertio, & duodecimo Concilii Laodiceni. Duodecimi verba hæc ſunt: *Qvod oportet Epiſcopos judicio metropolitanorum & finitimorum Epiſcoporum ad Eccleſiaſticum magiſtratum conſtitui, plurimo tempore probatos & in verbo fidei & in recti verbi diſpenſatione.* In his nihil eſt, qvod juri plebis derogare poſſit. Tota igitur vis contraria ex prioribus Martini verbis reſultat, adeoqve ex canone decimo tertio Concilii Laodiceni, cujus verum ſenſum jam ſupra expoſuimus, qvemqve nihil omninò, qvod obverti poſſit, con-

continere probavimus. Potuiſſet igitur ab iſto Martini teſtimonio, qvod cum Laodiceno canone à ſe paulo ante adducto coincidit, abſtinere Gratianus niſi numerum diſſentientium augere voluiſſet.

XXXIII. Ex ſeculo VII Iſidori Hiſpalenſis teſtimonium proſtat apud Gratianum, *d. diſt. 63. c. Si in 20. Si in plebibus archipresbyteri obierint, aut pro aliqvo reatu exinde ejecti fuerint, archidiaconus qvàm citius proficiſcatur illuc, & cum clericis & populis ipſius plebis electionem faciat, qvatenus dignus paſtor domui DEI conſtituatur: & dum ordinatur, ejus providentiâ ipſa plebs cuſtodiatur.* Hæc ſcilicet Archidiaconi erat cura; electionem tamen deinde ab Epiſcopo confirmari oportuit. Et hoc jure uſos Archidiaconos Eccleſiæ Pictavienſis teſtatur Arnulphus Lexovienſis, *epiſt. 27. ad Alexandrum III.* Nec tamen Archidiacono ſoli eam poteſtatem tribuit Iſidorus, ſed vult, ut electionem faciat unà cum clericis & populis ipſius plebis. Non poterant igitur populi ſuffragia omitti aut præteriri, ne civibus invitis obtruderetur vel Epiſcopus, vel alius aliqvis Eccleſiæ miniſter, qvod prudenter hactenus in Eccleſiâ ubivis terrarum cautum fuerat.

XXXIV. Ne autem Iſidori hoc teſtimonium merè privatum & ſolitarium qvis dicat, addam aliud publicum ex concilio Toletano IV, *cap. 19.* in qvo ſeptuaginta Epiſcopi, anno DC XXXIII, hunc in modum decrevérunt: *Pernitioſa conſvetudo neqvaqvam eſt reticenda, qvæ majorum ſtatuta præteriens omnem Eccleſiæ ordinem perturbavit; dum alii per ambitum ſacerdotium appetunt, alii oblatis muneribus pontificatum aſſumunt, nonnulli etiam ſceleribus implicati vel ſeculari militiæ dediti indigni ad honorem ſummum ac ſacri ordinis pervenérunt. De qvorum ſcilicet caſu atq; remotione oportuerat qvidem ſtatuendum; ſed ne perturbatio qvam plurima Eccleſiæ oriretur, præteritis omiſſis, deinceps, qvi non promoveantur ad ſacerdotium ex regulis canonum neceſſariò credimus inſerendum. Id eſt, qvi in aliqvo crimine detecti ſunt, qvi infamiæ notâ adſperſi ſunt. --- Sed nec ille deinceps Sacerdos erit, qvem nec clerus nec populus propriæ civitatis elegerit, vel auctoritas Metropolitani vel comprovincialium Sacerdotum aſſenſio exqviſivit. Qvicunque igitur deinceps ad ordinem Sacerdotii poſtulatus, & in his, quæ prædicta ſunt, exquiſitus in nullo horum deprehenſus fuerit atq; examinatus probabilis vitæ atq; doctrinæ extiterit, tunc ſecundum Synodalia vel decretalia conſtituta, cum omni clericorum vel civium voluntate ab univerſis comprovincialibus Epiſcopis, aut certè à tribus in ſacerdotium die Dominicâ conſecrabitur, &c.* Eodem modo in Synodo Cabilonenſi ſub Clodoveo Re-

ge *can. 10.* ſtatutum fuit: *Si quis E-piſcopus de quacunque civitate fuerit defunctus non ab alio, niſi à comprovincialibus, clero, & civibus ſuis alterius habeatur electio; ſin aliter hujusmodi ordinatio irrita habeatur.*

XXXV. Fatendum verò eſt, multum ſæpenumerò valuiſſe in electionibus Epiſcoporum autoritatem Principum, imò ſolam ſæpè & unicam electionis cauſam fuiſſe. Qvod ultimum tamen vix eſt, ut excuſari qveat in benè conſtitutâ Rep. Aliqvando enim, ubi ſeditioſæ in populo voces excitatæ, aut præſumptuoſa Cleri ſuffragia diſſenſionibus & periculoſis motibus cauſam dedérunt, qvin ex deciſione Principis unica ſalutis & Eccleſiaſticæ & politicæ ratio ſalubriter petita fuerit, negari neqvit. Sanè intereſt Principis noſſe, qvi & quales Eccleſiis præficiantur miniſtri. Omnibus ordinibus, non clero tantùm, ſed & populo & magiſtratui poteſtatem eligendi competere hactenus diximus. At princeps caput eſt populi, apex magiſtratuum, & cleri ipſius in externo regimine Epiſcopus. Imò verò, quia ſacrorum antiſtites auditorum animos flexibiles occupare, & quandocunque libitum fuerit, δημαγωγίαι prehendere poſſunt, etiam ſub ſpeciali hâc ratione aſſenſus Principis erit neceſſarius, ut ſcilicet pacis & concordiæ amantes conſtituantur, ut legibus Reip. adſveti, ut illi, qui boni cives ſunt, quique ſtatu in quo degunt contenti, præſentia ſeqvuntur, futura meliora expectant. Didac. Covarruv. *ad c. poſſeſſor de R. J. in 6. part. 2. §. 10. n. 5.*

XXXVI. Accedebat aliquando ex ſtatu Reip. ratio alia ſpecialior, eaque valdè prægnans, & qvæ vel ſola ſufficere poterat ad conſenſum Principis exquirendum. Sic enim invaluerat in quibuſdam regnis, ut in Regum conſilia & Regni adminiſtrationem adhiberentur Sacerdotes, potioremque officialium numerum conſtituerent, ex qvibus quidam Cancellarii, quidam juſtitiarii, quidam theſaurarii Regni erant, alii alia Regis munera atque negocia procurabant. Æqvum igitur & juſtum erat, ut invito & repugnante Principe non aſſumerentur ad eam dignitatem, qui vel ignoti prorſus ei erant, vel ſuſpecti, ſed potiùs, qui eſſent illi & vitæ meritis, & prudentiâ ac fide undecunque probati. Utrum committi hæc Reip. cura Clericis debuerit, jam non diſputo. Ubi tamen ſemel admoti illi fuérunt, difficulter & non niſi cum damno Reip. eos removeri, ſuo ſeculo didicit Henricus III, Rex Angliæ. Vid. Collectas *antiqv. Britann.* quas evulgandas curavit Matthæus Parkerus, Archiepiſcopus Cantuarienſis, *in vit. Huberti, & in vitâ Simonis Sudburg.*

XXXVII. Quandoquidem igitur maxima Principis in electionibus mini-

miniſtrorum Eccleſiæ haberi debuit ratio, non potuit ejus conſenſus negligi aut omitti. Sed in ipſo tamen negocio non unus ſemper & ubique obſervatus fuit procedendi modus. Aliqvando enim Principes ipſi eorum, quos promoveri vellent, nomina populo proponebant; aliquãdo poſt cleri ac populi decretum, eorum voluntas expectabatur, aliqvando conjungebantur duo illi actus, & eodem tempore deſiderium Principis & Eccleſiæ ad electionem peragendam concurrebat; aliquando verò electionum ſummam ad ſe revocabant; quod quidem, ſi ad vitandam tumultuum occaſionem, intentionem haberent, improbari non poterat, cùm in ejuſmodi diſſenſionibus ſæpè nullus ſperandus erat exitus. Sed quia intra modum illum Principes ſeſe non ſemper continebant, nec pro innatâ rerum humanarum conditione ſupremum iſtud arbitrium contineri facilè poterat, ſæpè illud, nullo exiſtente diſcrimine, in ſimplex & abſolutum vertebatur imperium, Regesque adeò ſublatâ à Clero & à populo electionum libertate, reſcriptis ſuis Epiſcopatus concedebant etiam invitis & repugnantibus populis. Id quod plurimis exemplis probatum dedit Petrus de Marca, *de concord. ſacerdot. & imp. lib. 8. cap. 9. & 10.*

XXXVIII. Intelligi hinc facilè poteſt, quid ſibi velit canon ſextus Concilii Toletani XII, hoc ipſo ſeculo ſeptimo anno ſcil. DC LXXXI habiti, quem refert Gratianus *diſt. 63. c. 25. Cum longè lateq; diffuſo tractu terrarum commeantium impeditur celeritas nunciorum, quo aut nequeat regibus audientibus decedentis præſulis tranſitus notificari, aut de ſucceſſore morientis Epiſcopi libera Principis electio expectari: naſcitur ſæpè aut noſtro Ordini de relatione talium difficultas, aut regiæ poteſtati, dum conſultum veſtrum (noſtrum) ſubrogandis Pontificibus ſuſtinet numeroſa neceſſitas. Unde placuit omnibus pontificibus Hiſpaniæ atq; Galliciæ, ut ſalvo privilegio uniuscujuſq; provinciæ licitum maneat, deinceps Toletano Pontifici quoscunq; regalis poteſtas elegerit, & jam dicti Toletani Epiſcopi judicium dignos eſſe probaverit, in quibuslibet provinciis & in præcedentium ſedibus præficere præſules, & decedentibus Epiſcopis eligere ſucceſſores: ita tamen, ut quiſquis ille fuerit ordinatus, poſt ordinationis ſuæ tempus intra trium menſium ſpatium Metropolitani proprii præſentiam viſurus accedat.*

XXXIX. Confirmatur hîc uſus ille electionum à Regibus uſurpatus, & ſingulare inſuper additur πρεσβεῖον, Epiſcopo Toletano tributum. Is enim antea ordo ſervabatur, uti optimè commentatur Petrus de Marca *d. c. 10. n. 4.* ut Rex non priùs ſucceſſorem deligeret, quàm de obitu deceſſoris certior factus eſſet, & conſultus de perſonâ præficiendi, conſultus ſcilicet à Clero & plebe & à Metro-

Metropolitano & Coëpiſcopis, qui conſenſionem ſuam mittentes regium decretum pro electo ſuis ſuffragiis, aut pro alio ex Regis arbitrio, expectabant. Hæc omnia non poterant brevi temporis ſpacio expediri: moleſtiam creabant Epiſcopis provincialibus, quorum vota vel admittere vel ſpernere penes Regem erat, ideoque ferè inutilis erat eorum æquè ac Cleri plebisque conſenſio. Regis dignitas & poteſtas erat in ſuſpenſo, Eccleſiarum interim vacatio contra canones protrahebatur. Ideò maluerunt Epiſcopi omnia permittere Regis electioni, & judicio Toletani Epiſcopi. Conf. Didacus Covarruvias *ad c. poſſeſſor de R. J. in 6. part. 2. §. 10. n. 5. 6.*

XL. Nec verò in Hiſpaniâ tantùm Reges ſibi hoc jus vindicabant; Sed etiam in Galliis idem iſtud uſu invaluerat, cujus rei aliquot exempla recenſet Hieronymus Bignonius *ad Marculfi form. pag. 451. ſeq.* item Franciſcus Juretus, *ad Ivon. epiſt. 104.* Atque id per aliquot ſecula deinceps continuatum ex hiſtoriâ Eccleſiaſticâ obſervare licet, ringentibus quamvis, & pro re natâ contradicentibus Epiſcopis, qui cùm ad primitiva Eccleſiæ inſtituta reſpicerent, graves ſæpè admonitiones ingerebant, & Principes in ordinem redigere nō verebantur, ſed conatu ut plurimùm irrito. *Vid. c. porrò 4. & c. ſi per ordinationem 5. diſt. 63.* Inter epiſtolas Hincmari, Archiepiſcopi Remenſis, duodecima in editione Jacobi Sirmondi, ſcripta eſt ad Ludovicum III Regem, eo argumento, ut liberam Epiſcopi electionem in Bellovacenſi Eccleſiâ fieri permitteret. Initio refert ſententiam literarum, quas ad eundem Imperatorem Epiſcopi apud Martyrium S. Macræ congregati ſcripſerant, quibusq; formam electionis canonicam expoſuerant. In illis, ait, nihil contineri, quod autoritati regiæ injuriam inferre poſſit. Deinde pergit: *Nam ſi qvod à quibuſdam dicitur, ut audivi, quando petitam apud vos electionem conceditis, illum debent Epiſcopi & Clerus ac plebs eligere, quem vos vultis, & qvem jubetis, (qvæ non eſt divinæ legis electio, ſed humanæ poteſtatis extorſio) ſi ita eſt, ut dici à quibuſdam audivi, ille malignus ſpiritus, qui per ſerpentem primos parentes noſtros in paradiſo decepit, & inde illos ejecit, per tales adulatores in aures veſtras hæc ſibilat; qvia hoc in ſcripturis tàm veteris qvàm novi teſtamenti non continetur, neque in Catholicorum dictis vel ſacris canonibus, nec etiam in legibus à Chriſtianis Imperatoribus & Regibus promulgatis hoc ſcriptum vel decretum invenitur, ſed talia dicta infernus evomuit, &c.* Aliter jus Regum circa inveſtituras & electiones Epiſcoporum explicat Ivo Carnotenſis, *epiſt. 60.* his verbis: *Qvod autem ſcripſiſti, prædictum electum*

ctum inveſtituram Epiſcopatus de manu Regis accepiſſe, nec relatum nobis ab aliquo, qui viderit, nec cognitum. Quòd tamen ſi factum eſſet, cùm hoc nullam vim ſacramenti gerat in conſtituendo Epiſcopo, vel admiſſum vel omiſſum, quid fidei, quid ſacræ religioni officiat, ignoramus: cùm poſt canonicam electionem Reges ipſos Apoſtolicâ autoritate à conceſſione Epiſcopatuum prohibitos minimè videamus. Legimus enim ſanctæ recordationis ſummos Pontifices aliquando apud Reges pro electis Eccleſiarum, ut eis ab ipſis Regibus concederentur Epiſcopatus ad quos electi erant, interceſſiſſe; aliquorum quia conceſſiones Regum nondum conſecuti fuerant, conſecrationes diſtuliſſe. Quorum exempla ſuppoſuiſſemus, niſi prolixitatem epiſtolæ vitaſſemus. Dominus quoq; Papa Urbanus Reges tantùm à corporali inveſtiturâ excludit, quantum intelleximus, non ab electione, in quantum ſunt caput populi, vel conceſſione, quamvis octava ſynodus ſolùm prohibeat eos intereſſe electioni, non conceſſioni. Quæ conceſſio, ſive fiat manu, ſive nutu, ſive linguâ, ſive virgâ, quid refert? cum Reges nihil ſpirituale ſe dare intendant, ſed tantùm aut votis petentium annuere, aut villas Eccleſiaſticas & alia bona exteriora, quæ de munificentiâ Regum obtinent Eccleſiæ, ipſis electis concedere, &c. Conſ. Fr. Juretus *ibid.*

XLI. Sed nolo ulteriùs excurrere, & ex ſeqventium ſeculorum hiſtoriâ, quàm variè ſe jus eligendi epiſcopos habuerit, prolixiùs recenſere, qvandoqvidem, qvæ de inveſtituris Epiſcoporum deinceps inter Imperatores & Pontifices acerrimè & multâ cum effuſione ſangvinis agitata fuit controverſia, plus temporis requirit, quàm ut hîc commodè, & pro ratione inſtituti noſtri exponi queat. Ex dictis autem abunde liquet, per integra ſex ſecula populi ſuffragia requiſita fuiſſe in electionibus Epiſcoporum. Suffragia, inquam, ne quis putet, aut dicat, non alias plebis fuiſſe partes, niſi ut teſtimonium redderet de vitâ & moribus promovendi, utve digni atqve idonei ſub oculis omnium publico judicio comprobarentur, ne ulla poſt ordinationem retractandi occaſio remaneret, uti loqvitur Sixtus Senenſis, *lib.5. Biblioth. annot. 118.* Paul. Laymann. *in quæſt. canon. q. 20.* Nic. Rodriguez Fermoſin. *de offic. & ſacr. Eccl. ad rubr. de electione q. 6.* Ex adductis enim teſtimoniis accuratè penſitatis facilè conſtabit, non nudum populi aſſenſum, ſed ſuffragia etiam ad ipſum electionis actum concurrere debuiſſe. Id qvod pleniùs oſtendit Marcus Anton. de Dominis, *de Rep. Eccleſ. lib. 3. cap. 3. n. 42.*

XLII. Et ex hoc judicium fieri poterit de gloſsâ Gratiani, qvam ſubjunxit *c. cum longè diſt. 63.* his verbis: *Quod populus aut princeps jubetur electioni intereſſe, non præcipitur advo-*

cari ad electionem faciendam, ſed ad conſenſum electioni adhibendum. Sacerdotum enim eſt electio, & fidelis populi eſt, humiliter conſentire. Deſiderium ergò plebis requiritur, ut Clericorum lectioni concordet. Tunc enim in Eccleſiâ DEI ritè præficietur antiſtes, cùm populus pariter in eum acclamaverit, quem Clerus communi voto elegerit. Sanè, qvorum votum, voluntas, conſenſus, σύνευσις, ſuffragium, ψῆφος, arbitrium, judicium, electio, &c. reqviritur, uti talibus vocabulis populi & plebis jura promiſcuè explicant Patres, ab illis plus reqviritur qvàm nudus aſſenſus & nuda acclamatio, aut nudum deſiderium. Et ſecundum Cœleſtini Pontificis aſſertum, qvod illicò ſubjungit & in teſtimonium producit Gratianus; & Clero & plebi conjunctim conſenſus & deſiderium tribuitur. Meritò igitur hanc Gratiani gloſſam exagitat David Blondellus, *in ſæpè laudatâ apolog. ſect. 3. pag. 471.*

XLIII. Illud planè indignum eſt operâ noſtrâ, ut refutetur, qvod notatur apud Barthol. Caranzam, *in ſumm. Concil. ad can. 3. Concilii Niceni II,* de Epiſcopo electionem propriè dici, de presbytero autem & diacono abuſivè pro ordinatione. Etenim aliud longè eſt ordinatio, aliud electio. Ordinatio fit à presbyterio per externas quaſdam ceremonias, ſed electio ac vocatio miniſtrorum pertinet ad omnes Eccleſiæ ordines. Neqve ex eo, qvod aliud hodiè obtineat in Eccleſiâ Romanâ, in abuſivos ſignificatûs trahendi ſunt canones antiqvi, præſertim cum eis aſſiſtat praxis Apoſtolica ſupra ex Actor. *cap. 6.* expoſita. Atqve hanc pro normâ habemus multo rectiùs, qvam ſeqvioris Eccleſiæ inſtituta ab illâ recedentia, & ex typho clericali orta. Eamqve propterea ut exemplum poſterioribus ſeculis obſervandum rectè tuentur celeberrimi hujus temporis Canoniſtæ, Antonius Bengeus & Franciſcus Pinſonius *de beneſic. ad verb. inſtitutione §. 1. n. 3.* nec diffiteri poteſt Antonius Dadinus Alteſerra, *ad c. 18. X. de elect.* diu eandem in Eccleſiâ obſervatam fuiſſe, qvod & ipſum non negat Cardinalis Bellarminus, notante Johanne Gerhardo, *Loc. de miniſter. Eccleſ. n. 97. in fin.*

XLIV. In concilio Tridentino cùm de hoc articulo controverſia mota fuiſſet, Thomas Paſſius Canonicus Valentinus prolixè diſſeruit, ex ſacrorum Canonum lectione manifeſtè conſtare, in Epiſcoporum electione & presbyterorum ac diaconorum deputationem ſummos & infimos è populo fuiſſe præſentes & ſuffragium tuliſſe, aut ſaltem præbuiſſe aſſenſum; hoc tamen de Papæ conceſſione tacitâ vel expreſsâ, neqve eim cuiqvam Laico in rebus Eccleſiaſticis ullam autoritatem com-

competere, niſi privilegio Pontificio, &c. uti refert Petrus Svavis *in hiſt. Concil. Trid. lib. 7.* Qværſo ego, cùm de conceſſione tali nihil omnino legatur in primâ Diaconorum eligendorum formâ, *Act. VI*, unde mihi perſvadere velint οἱ ἐξ ἐναντίας, inter qvos ipſe etiam eſt Bellarminus, conceſſionem ita à Papâ factam fuiſſe. Et qvem mihi tùm Papam fingent? Nec enim ſolus Petrus, qvem aliàs Paparum omnium faciunt primipilum, ſed totum Collegium Apoſtolorum dicitur eſſe autor iſtius Conſilii, ut Diaconi eligantur. Electionem non permittunt aut concedunt per modum privilegii, ſed ut ſuſcipiatur, jubent. Neqve ſtatuere privilegium licebit, niſi à priori probetur, nullam talem antea competiiſſe poteſtate, id qvod nudè & crudè aſſerere non ſufficit. Sed hoc uſitatum eſt hominibus illis κενοσφύγων, ut, ubi ex praxi Eccleſiaſticâ convincuntur, ſpeciale fingant privilegium ex aulâ Romanâ conceſſum, de qvo ne ſomniare qvidem potuérunt majores noſtri.

XLV. Ut igitur concludamus, competit hoc jus ſuffragii univerſæ Eccleſiæ, & ſingulis in eâ membris jure divino, ita ut nulli ſtatui abdicare illud prorſus liceat. Neceſſe tamen non eſt, ut ſinguli de plebe interrogentur & ſuffragia colligantur, niſi id uſu receptum fuerit. Poterit enim populus Magiſtratui aut miniſterio aut etiam honoratioribus qvibuſdam ex corpore ſuo vices ſuas committere, & in eorum voluntate atqve delectu acqvieſcere. Idqve dum facit, jus vocandi miniſtros ad totam Eccleſiam pertinere non deſinit, neqve populus id amittit, ſed retinet adhuc ſuffragium ſuum ſaltem negativum, ſi diſſentiendi cauſam habeat. Conſenſus ipſe eſt ſaltem interpretativus ex generali mandato proveniens, citra teſtificationem vel præſumtionem rationabilis diſſensûs, qvi non obſtante mandato aut commiſſione, aut etiam conſvetudine, exerere ſeſe qvandocunque poteſt. Ergo, ut bono ordine fiant omnia, & vitentur confuſiones, rectè qvidem unicuiqve de plebe votum relinqvitur ſuum, ſi non ſemper affirmativum, qvod non neceſſe eſt ſemper, nec utile, ſaltem negativum, ſi juſtas habeat diſſentiendi cauſas.

XLVI. Cæterùm ut conſtet, qvantum in Eccleſiis Cathedralibus & collegiatis diſceſſum fuerit à primævo & Apoſtolico Diaconos eligendi modo, lubet adponere Diploma, qvo & præbenda, uti vocatur, Diaconalis inſtituitur, & officium tale illicò certæ perſonæ committitur. Id ita ſe habet: *Fridericus DEI gratiâ Decanus, to-*

tumqve Eccleſiæ S. Nicolai Magdeb. Capitulum univerſis tàm præſentibus, qvàm futuris, qvorum intereſt, vel intereſſe poterit, notitiam ſubſcriptorum tenore præſentium facimus manifeſtum: Qvod Veſcko & Johannes de Burch Cives Magdeburgenſes DEO devoti pro reverentiâ S. Nicolai & ſuarum remedio animarum reditûs perpetuos de tribus marcis argenti & duobus choris tritici compararunt humiliter ſupplicationes, qvod reditûs eoſdem ad præbendam de novo in noſtrâ Eccleſiâ inſtaurandam deputare & aſſignare efficaciter curaremus, ad præbendam taliter inſtauratam perſonam idoneam in Canonicum recepturi. Nos igitur in præmiſſis divini cultûs augmentum & dictorum civium pium propoſitum & devotionis affectum favorabiliter attendentes præbendam canonicalem de communi conſenſu reverendi Domini noſtri, Domini Borchardi Archiepiſcopi Magdeburgenſis & noſtri Capituli ac omnium noſtrum de novo in Eccleſiâ noſtrâ creavimus & inſtituimus in eâdem ad eam reditûs prædictos, prout petitum eſt, deputando volentes ad eam perſonam aliqvam idoneam eligere recipere in Canonicum & in fratrem adjectis tamen pactis & conditionibus infra ſcriptis, qvod videlicet is, qvemcumqve ad præbendam memoratam recipi continget, in Canonicum & in fratrem, debebit in ipsâ in diaconatûs officio & ordine Eccleſiæ deſervire, & qvod in præbendâ illâ debeat qvouſqve juxta receptionis ſuæ ordinem præbendam majorem aſſecutus fuerit, incommutabiliter permanere, & qvod etiam in nullo tractatu Capituli idem Canonicus vocem litigioſam ſeu contradictionis habere debeat. Et ſi vota Canonicorum in electionis ſeu qvovis negocio alio diviſa fuerint, vox ejus nulli partium debebit aut poterit ſuffragium impertiri. Inſuper etiam præbenda jam dicta cedendo vel decedendo, aut per modum alium qvemcunqve vacante, ad ipſam de novo Canonicus per Capitulum eligetur, nec alicui Canonico vacaturam expectandi præbendam poterit aſſignari. His omnibus ſic peractis Cyriacum fratrem Germanum civium prædictorum juxta devotam ipſorum ſupplicationem ad præbendam memoratam conditionibus præmiſſis ſubjectam recepimus in noſtrum & Eccleſiæ noſtræ Canonicum & confratrem præbendam ſæpè dictam eidem cum omnibus ſuis juribus de conſenſu unanimi aſſignantes. Noſqve Burchardus Dei gratiâ Magdeburgenſis Eccleſiæ Archiepiſcopus ordinationem de Canonicatu & præbendâ præmiſſis gratam & ratam habentes ipſam autoritate Ordinariâ confirmamus. In qvorum omnium teſtimonium & con-

conſenſum nos Archiepiſcopus & Decanus ac Capitulum ante dictum præſens ſcriptum fecimus ſigillis noſtris adpenſis fideliter communiri. Datum anno Domino M CCCXII.

XLVII. Hoc modo, qvi in Diaconum eligebatur, Canonicus ſimul fiebat, ſed in ſpeciem tantùm, & ut talis videretur. Negativum enim, qvia ei non conceditur aut permittitur votum, qvaliter ejus ſuffragium comparatum ſit, nemo non videt, præſertim, cùm nec attendi qvidem aut computari id debeat, ſi inter ſe diſſentientes fuerint Canonici reliqvi. Qvâ qvidem in re multo deterioris ſunt conditionis titulares illi Canonici, qvàm apud nos qvivis ex plebe tenuiſſimus, cui, ſi juſtas habeat diſſentiendi cauſas, votum negativum in electionibus miniſtrorum Eccleſiæ nunqvam adimimus, tantum abeſt, ut eum coeco aſſenſui in reliqvorum ſuffragia adſtringamus. Audiamus ex alio ejusdem Eccleſiæ Magdeburgenſis Diplomate ſimilem promiſſionem â Diacono factam: *In nomine Domini, Amen. Conſtitutus in præſentiâ noſtrâ videlicet Brunonis Decani, Guncelini Scholaſtici ac Capituli Eccleſiæ noſtræ S. Nicolai civitatis Magdeburgenſis Johannes dictus de Daslè Eccleſiæ noſtræ jam dictæ Canonicus recognovit ac fideliter promiſit conditiones præbendæ ſuæ Diaconalis, qvam in Eccleſiâ noſtra obtinet, annexas ſe deinceps firmiter ſervaturum, ut videlicet habens ſtallum in choro & vocem in capitulo, qvod voce hâc non ad contradicendum, ſed ad conſentiendum uti poſſit & debeat, qvousqve præbendam majorem fuerit aſſecutus. Inſuper, qvod ſi rogatus ab aliqvo Dominorum Canonicorum noſtrorum fuerit, ut vices ejus die noctuqve legendo gerere debeat pro eodem, qvod id non debeat denegare, ſalvâ remuneratione laboris ſui ſibi pro hoc ſolitâ & conſvetâ. Unde ad ſupplicationem Johannis præfati fecimus præſentes literas ſigillo capituli noſtri muniri ad memoriam futurorum. Actum & Datum Magdeb. in capitulo noſtro anno Domini M CCC XXXI, 18. Kal. Decembr.*

XLVIII. Addam adhuc aliud ex ſeculi proximè antecedentis hiſtoriâ ejusdem Eccleſiâ diploma, qvo ſub iisdem conditionibus inſtituta fuit præbenda diaconalis, ut eo clariùs conſtet, qvæ tùm temporis diaconorũ fuerit in Eccleſiis Collegiatis exiſtimatio & muneris atqve officii ratio: *Anno Domini M CC LXXVII, 15. Kal. Martii Nos Henricus DEI gratiâ Decanus totumqve capitulum Eccleſiæ S. Nicolai Magdeb. Canonicorum numerum augmentare volentes reditus & proventûs bonæ memoriæ qvondam Friderici de Tortim de communi conſenſu omnium unam ſtatuimus eſſe præbendam & ad illam conſtituimus Sacerdotem & non alium inferioris ordinis in Canonicum eligen-*

dum, qvi vices ſuas tanqvam Canonicus faciet & pleno Canonici jure gaudebit, eo duntaxat excepto, qvod vocem contentioſam in Capitulo non habebit, hoc eſt, ut ſi in electionibus vel aſſignationibus inter partes fuerit exorta contentio, vox ejus non computabitur, & alicui parti adjicere non valeat. Officiari nihilominus idem Canonicus altare bonæ memoriæ qvondam Johannis de Hildenſem alternis hebdomadibus procumbit. Stabit etiam in eâ præbendâ, ita ut nec ipſe nec qvicunqve alii eligendi poſt ipſum pueris nunc electis in mediis præbendis præferri debeant ſive poſſint, licet id fieri poſſit in majoribus præbendis, ſi Capitulo placuerit juxta conſuetudinem hactenus approbatam. Adjectum eſt etiam, ut ſi ſubdiaconorum penuriam fieri caſu qvocunqve contingat, hoc eſt, ſi pauciores minus qvinqve fuerint, unus vel duo pueri medias præbendas adepti in ſeptimanâ ipſis pertinente juxta arbitrium capituli legi epiſtolam procurabunt. In cujus rei teſtimonium ſigillum noſtrum his literis duximus adponendum.

XLIX. Sanè proprius Canonici character ex ſententiâ Canoniſtarum in his duobus conſiſtit, ut habeat ſtallum in choro, & vocem in capitulo, eaqve vox libera eſſe debet, ne veluti νευροσπαστον ἄγαλμα adſideat, & alieno judicio ſuum corrumpat. Vocem hanc ſi tollas, maxima pars charecteris perit, & vix eſt ut pro genuino Canonico, qvalis nunc deſcribitur habeatur. In corpore & capitulo eſſe dicetur, ſed non de corpore aut de capitulo. perinde ut aliqva in territorio ſed non de territorio dicitur provincia. Joh. Petr. Surdus, *deciſ. 129. n. 17.* Carpzov. *in proceſſ. tit. 2. art. 2. n. 17. 18.* Et hoc eſt, qvod alibi dixi, beneficium â beneficio non Eccleſiaſtico ordine aut munere & officio diſcerni, ſed temporali qvæſtu, copiâ aut inopiâ, & Canonicum non amplius dici propter officium, ſed propter præbendam, qvatenus hæc vocem liberam confert, aut adſtrictam.

Caput V.

De numero Diaconorum.

I. *Qvare ſeptem electi fuerint Diaconi.* II. *Septenarius plenitudinis & perfectionis numerus.* III. *Septenarii Diaconorum perfectio conſiſtit in ſufficientia.* IV. *Juſtiniani de Clericorum numero conſtitutio.* V. *Qva*

V. *Qua conditione facta ſit.* VI. *Septenarium Diaconorum numerum nec augendum eſſe nec minuendum, ſuperſtitioſe creditur à Concilio Neocæſareenſi.* VII. *De hoc Euariſti Papæ teſtimonium rejectum.* VIII. *A Neocæſareenſi mox diſceſſit Concilium Nicænum.* IX. *Et aperte magis Qvinum Sextum Trullenſe.* X. *Septem Eccleſiæ Romanæ Diaconi. Cornelii Romanorum Epiſcopi ad Fabium Antiochenſem epiſtola interpolata.* XI. *Numerus Diaconorum in qvavis Eccleſia ſit conveniens.* XII. *Fabiani Rom. Pontificis epiſtola ſpuria.*

I. IN ſæpè allegato *capite ſexto* Actorum Apoſtolicorum Apoſtoli jubent, ut eligantur viri ſeptem, qvi deinceps menſis miniſtrent. Paruit Eccleſia ibi congregata, & elegit, tot numero diaconos, qvorum omnium nomina ſpecialiter recenſentur. Cur verò ſeptem præciſè eligi debuerint, non alia mihi videtur commodior dari poſſe ratio, qvàm qvod numerus iſte ſufficere creditus fuerit ad illam adminiſtrationem Oeconomicam. Conjecturis hîc indulgere qvi velit, in incerto vagabitur, nec qvicqvam proficiet, niſi qvod in ſuavia ſæpè excidet ſomnia, & inanes ſpeculationes.

II. Immane aliàs ſibi qvam plurimi in numero ſeptenario fingunt myſterium, & non ex Gentilium tantum ſed ſacrâ etiam hiſtoriâ curioſè exempla colligunt, ut divinitatis qvandam opinionem ei comparent. Videri inprimis poſſunt Ludovicus Coelius Rhodiginus *lect. antiq. lib. 12. c. 12.* Henr. Corn. Agrippa, *de occult. philoſ. lib. 2. c. 10.* Barth. Chaſſanæus *in catal. glor. mund. part. 12. conſid. 37.* Joh. Steph. Durantus *de ritib. Eccleſ. lib. 3. c. 3. n. 3.* qvibus lucem præferunt Agellius *lib. 3. noct. Attic. cap. 10.* & alii, qvos refert Joh. Selden. *de jur. nat. & civ. ſecundum doctr. Ebræor. lib. 3. cap. 17.* Et verò negari non poteſt, pro numero plenitudinis & perfectionis ſemper habitum fuiſſe in ſacris numerum ſeptenarium, unde plurima ejusmodi exempla, qvæ numero ſeptenario in Sacrâ Scripturâ deſignantur, â veteribus ad vitam æternam adplicantur, ob ſummam ſcil. perfectionem ſtatus, & perpetuam ſatietatem gaudiorum, qvæ in illâ habebitur. Vid. Gerhard. *Loc. de vit. ætern. n. 25.*

III. Ut verò in ſeptenario Diaconorum numero myſterium aliqvod qværamus, neceſſe non eſt, qvanqvam ab illis, qvi dignitatem iſtius numeri commendant, inter exempla Scripturæ S. etiam diaconi referantur, & ſpecialia in eam rem multa collegerit Rodericus â Cunha, qvem refert & ſeqvitur Auguſtinus Barboſa

boſa *ad c. 1. X. de celebrat. miſſ. n. 17.* Septem eos, uti dixi, ideò voluérunt Apoſtoli, qvia totidem ſufficere videbantur officio, cui deſtinabantur. Qvod ſi ſeptenarius numerus perfectionis nota eſt, perfectio illa in ſufficientiâ conſiſtet, ut ſcil. cuiqve coetui ſacro tot numero præſto ſint, qvot officio illi expediendo neceſſarii fuerint, adeò, ut ſi Eccleſia nimis ampla fuerit, diaconorum numerus ultra ſeptenarium, intra tamen limites ſufficientiæ, excurrere, ſi minor, infra eundem ſubſidere debeat. Hunc modum ut teneret in Eccleſiâ Conſtantipolitanâ Juſtinianus, utqve exuperantem Clericorum numerum temperaret, qvi oneri magis erat Eccleſiæ, qvàm miniſterio & adjumento, ſpecialem in hanc rem edidit Conſtitutionem, novellam ſcil. tertiam, in qvâ præmittit, fundatores Eccleſiarum non pro ædificio ſolùm cogitaſſe, ſed etiam ut expenſas ſufficientes darent â ſe factis venerabilibus domibus, & determinarent, qvantos qvidem competens eſſet presbyteros per unamqvamqve Eccleſiam, qvantosqve diaconos, maſculos & foeminas & qvantos ſubdiaconos & rurſus Cantores atqve Lectores & oſtiarios conſtitui, &c. Deinde ait, numerum horum miniſtrorum in Eccleſiâ Conſtantinopolitanâ antiqvitùs definitum non ſufficere amplius, qvod majora indies ceperit incrementa, & majore hinc apparatu opus haberet; conſtringendum tamen eſſe numerum, qvi hactenus fuerat, & pauciores poſthac in omnibus ordinibus admittendos, ne propter defectum redituum Eccleſia ære alieno gravetur.

IV. Verba ita habent: *Qvoniam pridem etiam reverendiſſimorum Clericorum ſanctiſſimæ majoris Eccleſiæ Regiæ noſtræ civitatis determinatus eſt numerus, & valdè brevis erat, utpote unâ exiſtente Sanctiſſimâ Eccleſiâ: poſtea verò & venerabilis domus ſanctæ glorioſæqve Virginis & DEI genitricis Mariæ juxta ſanctiſſimæ majoris Eccleſiæ vicinitatem poſita, ædificata eſt â piæ memoriæ Verina, & veneranda domus ſancti Martyris Theodori à Speratio glorioſæ memoriæ dedicata eſt: ſunt autem etiam venerabilis domus S. Helenæ, qvæ ſanctiſſimæ majori Eccleſiæ copulata eſt, propterea redigere numerum ad antiqvam figuram impoſſibile eſt. Non enim ſufficient tantis Eccleſiis pauci conſiſtentes: qvoniam qvidem non proprios Clericos, neqve una qvidem harum trium habeat Baſilicarum, ſed communes ſunt & ſanctiſſimæ majoris Eccleſiæ & earum: & omnes circumeuntes ſecundum qvendam ordinem & circum, miniſteria in eis celebrant: deinde etiam plurimâ multitudine & ex antiqvis hæreticis ad ſanctiſſimam majorem Eccleſiam deducta, gratiâ qvidem magni Dei & Salvatoris noſtri Jeſu Chriſti, laboribus autem*

&

& immutationibus noſtris oporteat plures qvàm à principio ad præſens officii miniſterium definiri. Qvapropter ſancimus non ultra ſexaginta qvidem presbyteros in ſanctisſimâ majore Eccleſiâ eſſe, diaconos autem maſculos centum & qvadraginta foeminas, ſubdiaconos verò nonaginta, lectores autem centum & decem, Cantores viginti qvinqve; ita ut ſit omnis numerus reverendiſſimorum Clericorum ſanctiſſimæ majoris Eccleſiæ in qvadringentis viginti qvinqve & inſuper centum exiſtentibus iis, qvi vocantur oſtiarii, &c.

V. Etſi verò non dubitem, numerum omnium Clericorum à Juſtiniano definitum adhuc immodicum & exuperantem eſſe, ſufficit tamen nobis oſtendiſſe, Imperatorem ad Eccleſiam ipſam reſpectum habuiſſe, & pro ejus conditione majorem vel minorem miniſtrorum numerum conſtitui debere. Cæterùm conditio illa non ſub eâ tantùm ratione attendi debet, qvi & qvanti reditûs qvotannis accipiantur, qvod unicum reſpexiſſe videtur Juſtinianus, ſed hoc etiam & potiſſimum qvidem conſiderandum venit, qvantus in qvâlibet Eccleſia fuerit coetus, qvantusqve eorum, qvorum cura habenda eſt, numerus. Sed nec moles qvidem ædificii huc aliqvid facit, aut templi ipſius ſtructura. Demus enim, templum Sophiæ ab Juſtiniano ædificatum tantæ fuiſſe amplitudinis, & eſſe adhuc, ut centum millia hominum concipere complectiqve poſſit, (qvod â ſummæ dignitatis Viro per qvatuor menſes Conſtantinopoli verſato didiciſſe ſe refert Antonius Mornacius, *ad l. 4. C. de SS. Eccleſ.* qvanqvam hâc de re dubitare nos faciant ea, qvæ de capacitate templi iſtius refert Petrus della Valle, *in Itinerar. epiſt. 1. pag. 13.* & ante eum Sandys *itiner. lib. 1. pag. 70.*) niſi tamen ſimul tanta hominum extiterit multitudo, qvanta templum iſtud explerè qveat, qvorſum tàm copioſus conſtituetur Clericorum numerus? Hominum ſcil. non lapidum aut columnarum habenda eſt ratio, & animabus cura ea, qvæ Clericis incumbit, impendenda eſt, non ædificiis aut prodigioſæ ſtructuræ. Proinde abſurdum non eſt, ut in parvo populo paſtoris ſimul & diaconi partes idem homo obeat. Imò verò ridiculum eſt, ſi præfecti parvæ parochiæ qvinqvaginta aut ſexaginta capitum ſeniorem & diaconum, aut plures habere velint, aliàs mutilam & imperfectam credentes ſuam Eccleſiam.

VI. Superſtitioſi verò mihi videntur illi, qvi numerum diaconorum ſeptenarium ab Apoſtolis conſtitutum religioſè obſervatum cupiunt. Et iſti qvidem in duplici ſunt differentiâ. Aliqvi enim augeri eum debere prorſus negárunt; viciſ-

ſim alii minui eundem noluérunt. Prius illud ſtatuérunt Patres in Concilio Neocæſareenſi, qvod circa annum CCCXIV habitum creditur. Ejus Concilii canon decimus qvartus â Gratiano *diſt. 93.* his verbis refertur: *Diaconi ſeptem debent eſſe ſecundum regulam, qvamvis non magna ſit civitas. Regulæ autem auctoritas eſt iſta, qvod & liber actuum Apoſtolorum idem inſinuat.* Ita legitur in qvamplurimis exemplaribus. Sed qvi juſſu Gregorii XIII Pontificis Gratiani compilationem revidérunt, collatis exemplaribus aliis, & græco inprimis, negativam particulam expunxérunt, hoc modo: *Diaconi ſeptem debent eſſe ſecundum regulam, qvamvis magna ſit civitas.* Sic enim legitur in Codice Canonum Eccleſiæ univerſæ, qvem edidit Chriſtophorus Juſtellus: Διάκονοι ἑπτὰ ὀφείλουσιν εἶναι κατὰ τὸν κανόνα, κἂν πάνυ μεγάλη εἴη ἡ πόλις. Vocabulum, πάνυ, αὐξητικὴν poteſtatem habet, & hîc copioſiſſimam atqve ampliſſimam civitatem denotat. Noluérunt igitur Patres Neocæſareenſes numerum diaconorum ab Apoſtolis conſtitutum augeri debere, licet civitatis amplitudo id exigere videatur.

VII. In eandem ſententiam refert Gratianus, *d. diſt. 93. c. diaconi, antecedente*, teſtimonium Euariſti Pontificis: *Diaconi, qvi qvaſi oculi videntur eſſe Epiſcopi, in unâqvâqve civitate ſeptem debent; qvi cuſtodiant Epiſcopum prædicantem, ne ipſe Epiſcopus ab inſidiatoribus qvoqvo modo infeſtetur aut lædatur â ſuis, aut verba divina detrahendo aut inſidiando polluantur vel deſpiciantur: ſed veritas ſpirituali redoleat fervore, & pax prædicata labiis cum voluntate animi concordet.* Hanc cuſtodiam Franciſcus Turrianus Jeſuita *ad can. 62. Concilii Niceni*, cujus â nobis mox fiet mentio, hoc ſenſu accipit, ut duo eſſent Epiſcopo ad dextram, duo ad ſiniſtram, duo retrò & unus â fronte. Poſtqvam verò non opus fuiſſet amplius cuſtodire prædicantem, ſucceſſiſſe putat numerum curæ ſeptipartitæ rerum Eccleſiæ. Talis cuſtodiæ forma, utrum unqvam in uſu fuerit, Turrianus ipſe videat, ut probet. Nos Euariſti epiſtolam totam & in eâ ſimul hoc teſtimonium rejicimus, qvippe qvam ab impoſtore confictam & ex variis poſteriorum Scriptorum ſententiis conſutam eruditè oſtendit David Blondellus, *in Pſeudo-Iſidoro pag. 147.*

VIII. Ab illo verò, qvod modo recitavimus, Concilii NeoCæſareenſis decreto diſceſſérunt mox Patres Concilii Niceni, ſi credendum addititiis canonibus, qvos ex Arabico interpretatus eſt modo nominatus Franciſcus Turrianus. Sic enim legitur *can. 62.* *Ut non ſint pauci presbyteri in Eccleſiâ, ne deficiat oratio & miniſterium Eccleſiæ, & ne ſit magnus Sacerdotum numerus, ne ſumptus Eccleſiæ*

cleſiæ augeatur. Qvamobrem qvi Eccleſiis præſunt, ii qvidem qvid in hâc parte opus ſit, videbunt, atq; ita oportet, ut tot in Eccleſiâ diaconi ſint, qvot Eccleſia ferre poſſit; & ut illis Archidiaconus præſit, ſicut ſancti Apoſtoli canonibus ſuis conſtituerunt, & ſancti patres, qvi ante nos fuerunt, & ut ſint ſeptem diaconi, qvi Eccleſiæ ſumptu vivant, ac reliqvi gratis miniſtrent. Plures qvidem, ſed non pauciores ſeptem videtur admittere hic Canon, ita ut ſeptem iſti pro ordinariis, reliqvi pro extraordinariis haberi debeant, cum illi ſumtu Eccleſiæ, hi gratis, miniſtrare teneantur. Et hîc qvaſi per ſaturam obſervo, nondum creditum fuiſſe eo tempore, habere Clericos, qvi aliunde ſibi victum comparare poſſunt, jus petendi neceſſaria vitæ ſubſidia â populo, nec teneri ex alio fonte ſubſidia vitæ petere, qvàm ex reditibus Eccleſiæ, aut ex oblationibus Laicorum, uti recentior ſchola docere ſolet. Vid. Didac. Covarruv. *l. 1. reſol. 17. n. 3.*

IX. Uti autem canon hic Nicenus ſubobſcurè Neocæſareenſis Synodi decretum confutat & refellit, qvod & obſervatum fuit in Concilio Florentino anno M CCCC XXXVIII, *Seſſ. 7.* ita apertè magis & verbis diſertis, ſed ſub alio colore, id perſtringunt Patres Concilii Qviniſexti in Trullo, an. DCXCII habiti, qvi *can. 16.* ita loqvuntur: *Qvoniam actorũ liber ſeptem Diaconos ab Apoſtolis conſtitutos eſſe tradit, & Neocæſarienſis Synodus in canonibus ſuis ſic apertè diſſeruit, qvod ſeptem debent eſſe Diaconi &c. Nos cum dicto Apoſtolico mentem Patrum adaptaſſemus, invenimus eos eſſe locutos non de viris, qvi miniſtrant myſteriis, ſed de miniſterio, qvod in uſu menſarum adhibeatur, cùm liber Actorum ſic habeat: cum diſcipulorum multitudo, &c. Qvod & accepimus à Johanne Chryſoſtomo ſic hac verba interpretante in comment. ſuper acta Apoſt. cap. 6. &c.* Utrum ferenda & probanda ſit hæc interpretatio, ſupra disqviſivimus: Hîc illud annotaſſe operæ eſt precium, non putaſſe patres Concilii hujus Conſtantinopolitani, ſeptem præciſè debere eſſe diaconos, qvod voluit Synodus Neocæſareenſis. Plures igitur ſine dubio admittunt; pauciores autem utrum conſtitui poſſint, colligere exinde non licet.

X. In Eccleſiâ Rumanâ ſeptem fuiſſe diaconos, ex epiſtolâ Cornelii Romanorum Epiſcopi ad Fabium Antiochenſis Eccleſiæ præſulem, qvam refert Euſebius *lib. 6. hiſt. Eccl. cap. 43.* diſci poteſt. Verba, qvæ huc faciunt, ex interpretatione Henrici Valeſii adſcribam. Poſtqvam enim de Novato Eccleſiæ Romanæ presbytero retuliſſet Cornelius, qvâ temeritate Epiſcopum ſe creari feciſſet, hanc addit ἐπίκρισιν: *Ergò ille Evangelii vindex ignorabat, unum Epiſcopum eſſe oportere in Eccleſiâ Catholicâ. In qvâ tamen ſciebat (qvomodo enim illud neſcire potuiſſet) presbyteros*

qvidem eſſe qvatuor & qvadraginta, ſeptem autem diaconos, totidemq́; Subdiaconos, acoluthos duos & qvadraginta, Exorciſtas & Lectores cum Oſtiariis qvinqvaginta duos: viduas deniq; cum infirmis & egentibus plusqvam mille & qvingentas, &c. At verò ordines iſtos omnes eo tempore, qvo acerrimi Chriſtiani nominis perſecutores Decius, Gallus & Voluſianus rerum potiti fuérunt, in Eccleſiâ Romanâ extitiſſe, præſertim cùm ad eam rationem, qvæ poſtea invaluit, templa adhuc nulla exædificata eſſent, haud fruſtra dubitare licet. Idqve inter alia argumentum præbuit Johanni Georgio Dorſcheo, *in addend. ad exercitat. de Concilii Nicæni* διατυπώσει *circa ſacr. ſynax.* ut ſtatueret, ſuppoſititia & in Cornelii Epiſtolâ intruſa eſſe iſta verba. Neqve hîc audio Valeſium, qvi ex hoc Euſebii loco colligendum putat, qvot baſilicas tunc Romæ habuerint Chriſtiani. *Cum enim ſinguli presbyteri*, inqvit, *ſuas regerent baſilicas, ſi qvadraginta ſex fuérunt presbyteri, totidem baſilicas fuiſſe dicendum eſt.* Imò verò gratis hæc dicta videntur. Unde enim habet Valeſius, ſingulos presbyteros ſuas habuiſſe Baſilicas? Certè ex adductâ Juſtiniani *novellâ 3.* conſtat, in unâ Baſilicâ Sophiæ, qvæ ex tribus aliis coaluit, presbyteros conſtitutos fuiſſe ſexaginta. Et qværſo ego, ſi ſinguli ſingulas habuérunt baſilicas, qvomodo tot numero presbyteris miniſtrare potuérunt diaconi tantum ſeptem? cùm ex inſtituto Juſtiniani ſexaginta presbyteris diaconi centum deſtinati fuerint.

XI. Diaconorum tamen in Eccleſiâ Romanâ numerum ſeptenarium confirmat Sozomenus, *lib. 7. hiſt. Eccl. c. 19.* his verbis: *Diaconi apud Romanos hactenus non plures ſunt, qvam ſeptem, ad ſimilitudinem eorum, qvi ab Apoſtolis ordinati fuerant, apud alios verò numerum eorum promiſcuus eſt.* Si promiſcuus, ἀδιάφορος, & indifferens apud alios eſt eorum numerus, etiam pauciores eſſe poſſunt qvam ſeptem. Ἀδιαφορία enim nullo numero conſtringitur, & minorem æqvè atqve majorem complectitur, ac utrumq; ex æqvo reſpicit. Manet igitur, qvod ab initio dixi, numerum diaconorum in qvâvis Eccleſiâ debere eſſe convenientem, h.e. qvi rebus divinis & officio huic ſufficiens eſſe poſſit, nec definiri adeò eum aut adaptari debere omnibus & ſingulis Eccleſiis promiſcuè eundem. Et in in hunc ſenſum non malè pervetuſtus autor Conſtitutionum Apoſtolicarum, qvisqvis is eſt, *lib. 3. c. 19.* ait: *Numerus verò eorum* (diaconorum) *ad proportionem multitudinis Eccleſiæ, ut poſſint miniſtrare imbecillis tanqvã operarii, in qvibus nihil ſit pudendum.*

XII. Qvò & pertinerent, ſi genuina eſſent, verba Fabiani Pontificis Romani *ex epiſt. 1.* dum ait. *Septem diaconos in urbe Româ per ſeptem regiones civitatis ſicut â patribus accepimus, habemus. — — Similiter & vobis, prout*

prout opportunum fuerit, per ſingulas civitates eſt faciendum, ut divinum absqve ullâ morâ ac negligentiâ ſtudiosè ac ſolenniter agatur officium. Significanter dicit: *prout opportunum fuerit*, ut conditionem loci & populi attendi debere ſignificaret, cùm omnibus civitatibus opportunum non ſit, ut ſeptem diaconi conſtituantur. Sed enim etiam hanc Fabiani epiſtolam totam confictam eſſe, nullum amplius dubium eſt. Vid. ad eam David Blondellus *in Pſeudo Iſidoro pag. 286.*

Caput VI.

De Ordinatione Diaconorum.

I. *Ordinatio, qvalis actus?* II. *Certum hominum ordinem deſignat. varii Romanorum ordines.* III. *Qvalis in Eccleſiis noſtris ordinatio ſit actus.* IV. χειροτονίας *&* χειροθεσίας *differentia.* V. χειροτονίας *exactior ſignificatio.* VI. *Ritus inaugurandi ſolennis.* VII. *Levitica cærimonia abolita.* VIII. *Manus impoſitio ex Ebræorum ſchola profecta.* IX. *In Novo Teſtamento retenta.* X. *Rationes Martini Chemnitii producta.* XI. *Ex lege poſitiva Apoſtolorum obſervanda.* XII. *Ordinatio, legitima vocationis confirmatio.* XIII. *De* χειροθεσία *nullum in ſacris mandatum.* XIV. *Alia in ordinando præsbytero, alia in Diacono.* XV. *Ordinationis preces ac formulæ.* XVI. *An ſit vera ordinatio, qvando* χειροθεσία *& preces à duobus facta?* XVII. *Ordinis materia ſignaqve Sacramentalia diverſa apud ipſos Pontificios Doctores.* XVIII. *Eorum conciliatores.* XIX. *Forma hujus Sacramenti qvænam?* XX. *An in diaconorum ordinatione manus chriſmate perungendæ?* XXI. *Ritus iſte inventum eſt Eccleſiæ.* XXII. *Qvatenus tolerari poſſit.* XXIII. *Character indelebilis.* XXIV. *An Diaconatus poſſit eſſe temporarius.* XXV. *Exemplum Sebaſtiani Diaconi.* XXVI. *Baronii diſtinctio examinata.* XXVII. *Tempus ordinandorum Diaconorum.*

I. ORdinatio perſonæ electæ ad miniſterium Eccleſiaſticum non eſt electio, nec eſt de eſſentiâ electionis, ſed eſt actus planè diſparatus presbyterii erga perſonam vocatam, & ſupponit non ſolùm teſtimonium idoneitatis, ſed etiam electionem ad officium curatum in Eccleſiâ jam factam, & confert poteſtatem docendi atqve adminiſtrandi in

certo loco. Joh. Hulſemann. *in Breviar. cap. 19. n. 3.* Sic igitur diſtingvi debet ordinatio ab electione. Electio enim atqve vocatio miniſtrorum pertinet ad omnes Eccleſiæ ordines. Ordinatio autem fit à presbyterio; qvam diſtinctionem non obſcurè probat Gratianus *c. adjicimus 16. q. 1.* Planè ad exemplum, & ſecundum inſtitutionem Apoſtolorum. Multitudo enim diſcipulorum, qvæ tùm præſens erat elegit diaconos, & Apoſtoli deinceps illis impoſuêrunt manûs, *Act. VI, 6.* Nec tamen negari debet, etiam ordinantem nomine totius Eccleſiæ agere, etſi actus ille externus presbyterio proprius ſit. Epiſcopus namqve unà cum presbyterio manus imponens non agit privato arbitrio ac poteſtate propriâ, ſed nomine, jure, ſuffragio, autoritate, conſenſu, approbatione, adeoqve etiam conjunctis precibus totius Eccleſiæ, ſicqve propter εὐταξίαν executio fit per Epiſcopum & miniſterium, ſed ita, ut à totâ Eccleſiâ illa dependeat & fieri intelligatur. Joh. Gerhard. *Loc. de miniſter. Eccleſ. num. 154.*

II. Ipſum ordinationis vocabulum certum hominum ordinem deſignat, in qvem per externa ſigna veluti transfertur ordinatus. Plures enim tales ordines in hiſtoriâ Romanâ & potiſſimùm ab antiqvis JCtis recenſentur. Notiſſima ſunt nomina ex veteris Romæ uſu: Ordo Senatorius, Ordo eqveſtris, plebejus. Mentio etiam fit ordinis decurionum *l. 15. ad municipal. l. 1. C. de jur. aur. annul.* qvorum collegium interdum abſolutè ordo dictus fuit *l. 3. l. 6. §. 1. ff. qvod cujuſqve univerſ. nom. l. fin. ff. ad municipal.* & in ordinem allegi nihil aliud eſt, qvàm decurionem fieri. Ex qvo originem ſuam habuêrunt formulæ loqvendi: ordine moveri, ordine interdici, in ordinem redire, ad ordines reduci. *l. 3. §. 1. d. l. 15. ff. ad municipal.* Etiam publicanorum ordinis mentionem facit Cicero *lib. 13. epiſt. 9.* & meretricium ordinem fingit Plautus *in Ciſtellar. act. 1. ſcen. 1.* Hoc igitur ſenſu ordo certum hominum ſtatum, collegium, ſocietatem, & conſortium denotat. Et qvia ſic etiam presbyteri & diaconi ac reliqvi Eccleſiæ miniſtri Collegium aliqvod ſacrum & ordinem certum inter ſe conſtituunt, non malè ordinari dicitur, qviſqvis in ſacros iſtos ordines promovetur. Sic & apud veteres Latinos ordinari dicebatur is, qvi ad honorem magiſtratumve aliqvem provehebatur. Utitur ita verbo iſto Svetonius *in Veſpaſiano c. 23. Qvendam è caris miniſtris diſpenſationem cuidam, qvaſi fratri, petentem cùm diſtuliſſet, ipſum Candidatum ad ſe vocavit: exactâqve pecuniâ, qvantam is cum ſuffragatore ſuo pepigerat, ſine morâ ordinavit.* Et in *Domitiano cap. 4. Auditus eſt certè, dum*

ex

ex eo quærit, ecquid ſciret, cur ſibi viſum eſſet, ordinatione proximâ Ægypto præficere Metium Rufum. Hoc igitur ſenſu etiam in Eccleſiâ ordinari dicitur, qvi ad ſacros ordines promovetur, *c. 1. 2. 3. diſt. 60.* aut officio ſacro præficitur *c. nullam 18. q. 2. c. pudenda 24. q. 1.*

III. In ſignificatu tamen hoc Eccleſiaſtico non nuda tantùm promotio, qvæ ex electione aut inſtitutione reſultat, ſed etiam ſpecialis inſuper & ab electione ſeparatus actus alius comprehenditur. Imò verò in ſenſu proprio & uſitato, ipſe ille actus qvi certis ſolennitatibus abſolvitur, ſeorſim conſideratus, hoc nomine venit. In noſtris enim Eccleſiis per vocabulum ordinationis ſignificatur actio illa ſacra, qvâ Epiſcopus vel Superintendens in Eccleſiâ præſente plebe, præſentibus etiam & comprecantibus presbyteris & Diaconis imponit præſentato & examinato Candidato miniſterii, per verba & manuum impoſitionem officium docendi verbum Dei & Sacramenta adminiſtrandi, ligandi & ſolvendi, aliaqve omnia peragendi, qvæ cuiqve officio propria ſunt. Actio ergò iſta conſiſtit in conſecratione, qvod vocabulum ordinationis ſynonymum, & Canoniſtis familiare magis eſt, per qvam ſcilicet transfertur præſentatus è ſtatu ſeculari in Eccleſiaſticum, & uni particulari Eccleſiæ qvaſi addicitur.

IV. In Græcâ Eccleſiâ circa hoc negocium freqventia admodum fuérunt χειροτονίας & χειροθεσίας vocabula, qvæ tamen ita diſcernunt aliqvi, ut χειροτονίαν ad electionem, χειροθεσίαν verò ad conſecrationem vel ordinationem referant. Sed enim etiam χειροτονίας vocabulum pro conſecratione uſurpatum fuiſſe ex canone qvarto Concilii Niceni probat Franciſcus Florens, Anteceſſor Aurelianenſis, *ad tit. X. de electione*, & poſt eum Petrus de Marca, *de concord. ſacerdot. & Imp. lib. 8. c. 3.* Conf. Jacob. Gretſerus *ad Georg. Codini Curopalat. de offic. Conſtantinop. lib. 3. obſ. cap. 13.* Vocabulum χειροτονίας ἀπὸ ἔξωθεν in Eccleſiam translatum, & in Athenienſium Rep. maximè uſitatum fuiſſe notat Chriſtophorus Juſtellus, *ad Codic. Can. Eccleſ. univ. pag. 197.* ubi duplicem refert magiſtratûs conſtituendi rationem apud Athenienſes, unam, qvæ fiebat per κλήρῳ, ſive per ſortem, & alteram, qvæ χειροτονία, id eſt, porrectione manuum expediebatur. Qvi enim ex populo ſuffragium dabant, manûs in ſublime porrigebant. Receptum tamen deinceps fuit, ut χειροτονίας vocabulum pro qvâcunqve electione, etiam eâ, qvæ ſine ſymbolicâ tali manûs extenſione fiebat, imò etiam pro ſimplici & qvalicunqve ſine ſuffragiis factâ creatione & conſtitutione alicujus in certum ordinem & dignitatem,

tem, uſurparetur. Vid. Selden. *de Synedr. lib. 1. cap. 14.*

V. Diverſam iſtam χειροτονίας ſignificationem ſuo jam tempore notavit Zonaras *ad can. 1. apoſtol.* cujus verba, uti ea ex MS. Bibliothecæ Regiæ recenſet Juſtellus *d. l.* adſcribere hîc videtur operæ precium, ſed latinè reddita: *Nunc qvidem,* (inqvit) χειροτονία *vocatur perfectio precum, ſanctique Spiritûs invocatio, dum ſacerdotio qvis initiatur, & conſecrationem ſortitur ex eo dicta, quod Pontifex extendat manum benedicendo homini ad ſacra deligendo. Olim verò ipſum etiam ſuffragium nominatum eſt* χειροτονία. *Nam cum populis civitatum licebat eligere ſacrorum præfectos, conveniebat ipſe populus, & alii qvidem hunc, alii verò deligebant illum. Qvatenus autem plurium ſuffragium vinceret, eligentes ferunt ſolitos extendere manûs & per manûs ita porrectas numerabantur, qvi vel hunc vel illum delegiſſent, plurium vero ſuffragiis electum ſummo ſacerdotio præficere.* Χειροτονίας *nomen hinc ſumptum, qvo ſic etiam ſynodorum patres inveniuntur uſi, ſuffragium nominantes* χειροτονίας. *Laodicenſis nempe ſynodus in qvinto canone dicit: non oportere* χειροτονίας *in audientium præſentiâ fieri.* Χειροτονίας *autem appellarunt ſuffragia. In plenâ qvidem Pontificis approbatione ſeu conſecratione magis obtinebat conſvetudo, ut plures unà convenirent, ſed in ſuffragiis ferundis, eò qvod electorum Virorum crimina qvædam proponerentur, aliqvos vetatur adeſſe & hæc audire.* Add. Jacob. Uſſerii Armachani in Hiberniâ Archiepiſcopi *not. ad Ignatii Epiſt. ad Heronem Diac.*

VI. Cæterùm, qvia ſeparatum prorſus hominum ordinem ab reliqvo populo conſtituere debuérunt Eccleſiæ miniſtri, qvos proinde ἀφορίζειν jubet Spiritus S. *Act. XIII, 2.* ut ἀφορισμὸς iſte eo magis in oculos populi incurreret, & perſona ipſa ſolenni aliqvo ritu inauguraretur, ceremonias certas adhibere placuit, qvæ actum iſtum inſignirent, & magis conſpicuum redderent. Obſervatum hoc fuit in Eccleſiâ Iſraeliticâ, ubi Deus ipſe præſcripſerat, qvomodo, & qvibus ritibus inaugurari & conſecrari debuerint Sacerdotes, *Exod. XXIX, 1. ſeq.* ut manifeſtum inde fieret, non privatâ ſed divinâ & publicâ autoritate officium docendæ & regendæ Eccleſiæ illis commiſſum eſſe.

VII. Leviticæ iſtæ ceremoniæ, cùm Chriſti adventu abrogatæ & abolitæ ſint, meritò hodiè omittuntur. Tales enim ſi qvis nunc trahere velit ad ordinationem eorum, qvi in Chriſtianiſmo ſacris præficiuntur, niſi Judaiſmum velit revocare, & Tabernaculo iterum inſervire, proinde nullam partem in Chriſto habere, debebit ex Novo Teſtamento

&

& Apoſtolorum praxi oſtendere, lotiones aqvæ, veſtium ſacrarum ex præſcripto conſutarum uſum, unctiones olei etiam à Chriſto & Apoſtolis fuiſſe præſcriptum, & primos Eccleſiæ miniſtros hâc ratione ab aliis fuiſſe ſeparatos. Andr. Rivetus *ad Exod. XXIX, v. 4. ſeq.* Tale autem qvia nihil omninò habetur in Scripturâ Novi Teſtamenti, & Apoſtoli exemplo ſuo ſimpliciorem ordinandi ritum docuérunt, meritò eum retinuit, & ad hæc uſqve tempora continuavit Eccleſia.

VIII. Ritus iſte, qvod Diaconos attinet, itidem deſcribitur *Act. VI, 6.* verbis breviſſimis, qvod Apoſtoli Diaconis à multitudine electis & in conſpectu ſuo conſtitutis orantes impoſuerint manûs. Hæc manus impoſitio ex Ebræorum ſcholâ originem habet, apud qvos illa uſitatiſſima fuit, tàm in publicis ac ſolennibus victimarum conſecrationibus, qvàm in precibus ac benedictionibus privatis & publicis, in qvibus qvi alicui benè precabantur, indicabant hâc ceremoniâ, & deſignabant perſonam, cujus gratia Deum orabant. Sic oblati fuérunt Salvatori parvuli, ut manus eis imponeret, & benediceret illis, *Matth. XIX, 13. 15.* Ita Jacob impoſuit manum pueris, qvibus benedixit, *Geneſ. XLVIII, 14.* Ita presbyteri orant ſuper ægrotos, *Jacob. V, 14.* Hanc eandem ceremoniam adhibuérunt etiam in benedictione perſonarum, qvæ cultui divino conſecrabantur, tùm Judæi tum Chriſtiani. Judæi hoc faciebant, qvia ritum iſtum ex mandato divino obſervaverat Moſes. Sic enim legitur *Numer. XXVII, 18.* Et dixit Jehova Moyſi, Sume tecum Jehoſchuam filium Nunis, Virum in qvo eſt Spiritus meus, & imponito manum tuam illi. Paruit Moſes, *v. 23.* & imponens manûs ſuas, mandatis inſtruxit illum, qvemadmodum edixerat Jehova fieri per Moſen. Atqve hinc *Deut. XXXIV, 9.* dicitur: *Erat Jehoſchuah filius Nunis plenus Spiritu ſapientiæ, cùm impoſuiſſet manûs ſuas ei.* Vid. Jo. Selden. *in Eutychii orig. Alexand. pag. 23.*

IX. Qvapropter cùm etiam in Novo Teſtamento utile viſum fuiſſet, ut qvi ad miniſterium verbi & Sacramentorum legitimè electi erant, publico aliqvo teſtimonio & publicâ teſtificatione Eccleſiæ ſiſterentur, & ſpecialiter deſignarentur, noluérunt Apoſtoli externum hunc ritum impoſitionis manuum, qvi in illo populo uſitatiſſimus erat, negligere. Et per hoc externum ſymbolum accepérunt extraordinaria Spiritûs S. dona, qvibus Apoſtoli manûs impoſuérunt, *Act. VIII, 17.* Non qvod Apoſtoli impoſitionem manuum voluerint eſſe ordinarium & generale medium, ſine qvo gratia non conferri poſſet à Deo, qvandoqvidem multi gratiam accepérunt

ſine impoſitione manuum, ut Antiocheni, *Act. XI, 23.* Et Salvator Apoſtolis ipſis baptizatis inſufflando dedit Spiritum Sanctum, *Joh. XX, 22.* Sed qvod Apoſtoli multa habuerint ſpecialia privilegia, reliqvis Eccleſiæ miniſtris non imitanda. Et jam diu eſt, cùm ceſſárunt in Eccleſiâ dona iſta ſupernaturalia. In ordinatione tamen miniſtrorum Eccleſiæ retenta eſt impoſitio manuum, ut indicium perſonæ deſignatæ & electæ, & ritus additus publicæ orationi in ejuſdem perſonæ deſtinatione ad munus Eccleſiaſticum.

X. Rationes eleganter congeſſit B. Chemnitius, *in examine Concilii Tridentini part. 2. cap. 3.* qvas hîc eodem ordine commemorare lubet: *Ad hanc actionem*, inqvit, *valdè accommodatus fuit ritus impoſitionis manuum, ut perſona illa Eccleſiæ publicè deſignaretur & renunciaretur legitimè eſſe electa & vocata. II. ut hoc ritu ille, qvi vocatus erat, de legitimâ & divinâ ſuâ vocatione confirmaretur, & ſimul admoneretur, ſe deſtinari, addici & qvaſi devoveri ad miniſterium & cultum DEI. III. ut eſſet qvaſi publica & ſolennis Eccleſiæ comm DEO proteſtatio, in electione & vocatione ſervatam eſſe formam & regulam à Spiritu S. præſcriptam. IV. Ut illo viſibili ritu ſignificetur, DEUM approbare vocationem, qvæ fit voce Eccleſiæ: Sicut enim voce Eccleſiæ DEUS miniſtros eligit: ita etiam teſtificatione Eccleſiæ vocationem approbat. V. In orationibus, qvando ſuper perſonam aliqvam peculiariter invocabatur nomen Domini: adhiberi ſolebat impoſitio manuum, qvia perſona illa qvaſi offerretur DEO & ſiſteretur in conſpectum ipſius, additis ſupplicationibus, ut DEUS gratiam & benedictionem ſuam illi largiri dignaretur. Ut igitur in ordinatione miniſtrorum conſideratâ muneris illius utilitate & difficultate propoſitis etiam impedimentis Satanæ, mundi, & carnis, ſignificaretur, qvàm neceſſaria ſit peculiaris gratia & benedictio divina, atqve ita oratio Eccleſiæ accenderetur, & juxta Jacobum redderetur actuoſa ſeu operoſa, ideò adhibitus fuit externus ritus impoſitionis manuum.*

XI. Qvando jam porrò qværitur, utrum ordinatio talis præciſè neceſſaria ſit, ita ut omitti nullo modo qveat, nec intelligatur qvis eſſe diaconus aut miniſter Eccleſiæ alius, niſi ordinatus legitimè fuerit, reſpondeo, aliqvem ritum ſeparandi Doctores à Laicis eſſe neceſſarium, neceſſitate non medii, ſed præcepti divini, *Actor. XIII, 2.* ἀφορίσατε, *ſeparate mihi hos ad hoc officium, &c.* Ritûs tamen & formam externam variare poſſe; Ordinatio namq; non facit ad vocationis eſſentiam, ſed ad capacitatem ex parte ſubjecti vocati publicè declarandam, ejuſqve ſegregationem ſolennem à negociis ſeculi ad munus Eccleſiaſticum, nec non

non commendationem apud DEVM & coram Eccleſiâ. Retinendus igitur eſt ille ritus ex lege poſitivâ Apoſtolorum, qvanqvam non ſit abſolutè de eſſentiâ inſtituendi paſtoris. Joh. Hülſemann. *Breviar. Loc. Theol. cap. 19.* Et magis tamen neceſſarius ille eſt, qvàm eſt coronatio Imperatoris Romani, aut geſtatio ſerti à Virgine in feſtivitate nuptiali.

XII. Qvapropter rectè definivit Bened. Carpzovius, *in Ip. Conſiſtoriali lib. 1. def. 51.* actum ordinationis citra ſummæ neceſſitatis caſum omitti non debere, ſaltem propter ſcandalum novitatis evitandum & utilitatem, qvæ inde ad miniſtrum Eccleſiæ redundat. Eſt namqve ordinatio talis legitimæ vocationis confirmatio, per qvam miniſterium Eccleſiaſticum vocato ceu idoneo ad hanc functionem commendatur, ad qvod per preces & impoſitionem manuum conſecratur, de legitimâ vocatione certior redditur, & officii ſui publicè in totius Eccleſiæ conſpectu ſolenniter & graviter admonetur. Licet ergò ordinatio non faciat vocationem, nec ingrediatur eſſentiam ejus, & legitimè aliqvis vocatus eſſe poſſit, etiamſi ordinatus adhuc non ſit; eſt tamen ille ritus publica teſtificatio & confirmatio, ut vocatio præcedens in conſpectu DEI & ipſius nomine declaretur eſſe legitima & divina.

XIII. Fatendum verò eſt, de impoſitione manuum nullum extare in Scripturis mandatum divinum, nec DEVM promiſiſſe, ſe per hunc ritum daturum gratiam, ſicut in baptiſmo & cœnâ Domini; nihilominus tamen libera & indifferenti uſurpatione ab Apoſtolis in Eccleſiam is introductus eſt, non qvod ullo modo DEI gratiam vellent alligare ad ritum, de qvo nec mandatum habebant, nec promiſſionem, ſed qvod ille jam diu uſitatus eſſet apud Judæos, inter qvos ipſi verſabantur. Chemnit. *in LL. Theol. de Eccleſ. pag. 137.* Ritum ita ab Apoſtolis introductum & exemplo confirmatum imitata eſt Eccleſia ſeqvens, minùs errare ſe poſſe perſvaſum habens, ſi in adiaphoris & ceremoniis aut ſolennitatibus Apoſtolos ſibi autores conſtitueret, qvos imitaretur.

XIV. Obſervo tamen etiam hîc varietatem aliqvam. Primis enim diaconis ab omnibus & ſingulis Apoſtolis impoſitæ fuérunt manûs, *Act. VI, 6.* At in Concilio Carthaginienſi IV, qvod anno CCCXCVIII habitum volunt, conſtitutum fuit, ut in ordinatione presbyteri non Epiſcopus tantùm, ſed omnes etiam præſentes presbyteri manûs ordinando imponerent, in ordinatione autem Diaconi ſolus Epiſcopus. Sic enim ſe habet canon tertius: *Presbyter cùm ordinatur, Epiſcopo eum benedicente & manum ſuper caput ejus tenente, etiam omnes presbyteri,*

qvi præſentes ſunt, manûs ſuas juxta manum Epiſcopi ſuper caput illius teneant. Et canon qvartus: *Diaconus, cùm ordinatur, ſolus Epiſcopus, qvi eum benedicit, manum ſuper caput illius ponat, qvia non ad ſacerdotium ſed ad miniſterium conſecratur.* Uterqve Canon habetur apud Gratianum, *c. presbyter, & c. diaconus diſt. 23.* Voluérunt ergò Patres Africani Presbyteris etiam in ordinatione aliqvam prærogativam largiri, ſupponendo, ſacerdotium majori cum ſolennitate eſſe conferendum. Atqve id qvidem non nego, lege Eccleſiaſticâ conſtitui poſſe. Ubi autem lex talis aut conſvetudo non extat, tutius erit Apoſtolorum factum imitari, præſertim, ubi prædicationi verbi & adminiſtrationi Sacramentorum adhiberi debet ordinandus.

XV. De precibus & formulis earum, qvales eſſe debeant, in tali ordinationis actu nihil qvidem habetur in Scripturis. Poterunt tamen illæ facilè concipi, ſi attendatur finis, propter qvem Diacani in Eccleſiâ conſtituuntur. In Conſtitutionibus Apoſtolicis, qvæ Clementis Romani nomen præ ſe ferunt, *lib. 8. c. 17. & 18.* fingitur, Philippum Apoſtolum certam ejuſmodi formulam præſcripſiſſe, his verbis: *De ordinatione verò Diaconorum ego Philippus conſtituo, ut diaconum ordines Epiſcope imponendo ei manus præſentibus omnibus presbyteris & diaconis, & precando ei dices: DEUS omnipotens qvi verax es, qvi non mentiris, qvi dives omnibus qvi te invocant in veritate, qvi pertimeſcendus in conſiliis, qvi ſapiens cogitatione, qvi validus & magnus: exaudi orationem noſtram, & auribus percipe preces noſtras Domine & oſtende faciem tuam ſuper hunc ſervum tuum electum tibi ad miniſterium: & imple eum Spiritu S. & virtute, ſicut impleviſti Stephanum protomartyrem & imitatorem paſſionis Chriſti tui, & concede ei, ut miniſterio ſibi commiſſo ad voluntatem tuam conſtanter, extra qverelam & crimen adminiſtrato, majore deinceps gradu dignus habeatur, per mediatorem Chriſtum tuum, eundemque unigenitum filium, cum qvo tibi gloria, honor & veneratio nunc & ſemper, & in ſecula ſeculorum, Amen.* Sed νοθείας vitio laborare conſtitutiones iſtas Appoſtolicas jam ſupra dixi, qvanqvam in hâc precatione nihil ſit, qvod reprehendi qveat.

XVI. Ex dictis conſtat, manûs impoſitionem & preces in ordinatione conjunctas fuiſſe. Contigit verò aliqvando in facto, ut Epiſcopus oculorum vitio laborans, cùm ordinare Diaconum vellet, manûs ſuas imponeret ipſe, & presbyter adſiſtens benedictionem daret, qværebatur, an iſtiusmodi talis Diaconus verè ordinatus dici poſſet. Res in concilio Hiſpalenſi II, anno DCXIX, *can. 5*, hoc modo deciſa fuit: *Qvin-*

Qvinto judicio ad agnitionem noſtri examinis Agabrenſis diaconi relatu deductum eſt, de qvibusdam ipſius Eccleſiæ Clericis, qvorum dum unus ad presbyterium, duo ad Levitarum miniſterium ſacrarentur, Epiſcopus eorum oculorum dolore detentus, fertur manum ſuam ſuper eos tantùm poſuiſſe, & presbyter qvidam illis contra Eccleſiaſticum ordinem benedictionem dediſſe: qvi licet propter tantam præſumptionis audaciam poterat accuſatus judicio præſenti damnari, ſi adhuc in corpore poſitus, non fuiſſet mortis vocatione præventus: ſed qvia jam ille examini divino relictus, humano judicio accuſari non poteſt, hi, qvi ſuperſunt, & ab eo non conſecrationis titulum, ſed ignominiæ potiùs elogium percepêrunt, ne ſibi licentiam talis uſurpatio faciat, decrevimus, ut à gradu ſacerdotalis vel Levitici ordinis, qvem perversè adepti ſunt, depoſiti, æqvo judicio abjiciantur. Tales enim meritò judicati ſunt removendi, qvia pravè inventi ſunt conſtituti. Legitur apud Gratianum, *c. ex epiſtolâ 14. diſt. 23.* ſed ſub nomine paleæ & perperam ex epiſtolâ Simplicii Papæ. Videri ibi poterit Antonius Contius. Ipſum verò canonem falſè perſtringit David Blondellus, *apol. de Epiſc. & presbyt. ſect. 3. pag. 170.* nec video, qvodnam iſtud tantum tamqve enorme ſit flagitium, propter qvod ita indignantur Patres Hiſpalenſes. Gloſſa apud Gratianum ad imperfectionem ſacramentorum referre videtur, qvicqvid hîc peccatum fuit. *Hîc habes*, inqvit, *qvod duo imperfecta Sacramenta non conſtituunt unum perfectum.* Ergò peccavêrunt Epiſcopus & presbyter in eo, qvod ſciſſione ſacramentum, qvod fingunt, veluti laceraverint. Sed de Sacramentali hâc ordinis ratione altum in veteri Eccleſiâ eſt ſilentium.

XVII. In Eccleſiâ Romanâ multus qvidem hâc de re ſermo eſt, & qvi ordinem non velit habere pro Sacramento, anathematiſmo punitur. Nec tamen inter Doctores ejus Eccleſiæ de materiâ & ſignis Sacramentalibus convenit. In majoribus namqve ordinibus duplicia adhiberi volunt ſigna, qvæ materiam Sacramenti conſtituant, impoſitionem manuum & traditionem inſtrumentorum. Qvidam igitur eorum volunt, utrumqve ſignum eſſentiam hujus Sacramenti conſtituere, ut Bellarminus Cardinalis, *lib. 1. de Sacram. ord. cap. 9.* alii ſolam manus impoſitionem materiam hujus Sacramenti faciunt, ut Vaſqvez, *in part. 3. diſp. 248. c. 4. à n. 43.* alii ſolam inſtrumentorum traditionem, ut Dominicus Soto, *in 4. diſt. 24. q. 1. art. 4.* ita ut tempore primitivæ Eccleſiæ, qvo nundum ſcriptus fuerit Evangeliorum liber, Sacramentum hoc propriam materiam nondum habuerit. Diaconatum autem per Evangelii libri traditionem con-

ferri, ex uſu ejus Eccleſiæ notum eſt.

XVIII. Ut aliqvo modo in concordiam redigeret diverſas has ſententias, hoc Epiphonemate concludit Bellarminus, *d. l. Credibile eſt*, inqvit, *Dominum inſtituiſſe iſtas omnes materias ordinum, non qvidem in particulari, ſed generatim monendo Apoſtolos, ut ordines conferrent per ceremoniam inſtrumentalem, qvibus ſignificaretur eorum poteſtas ex Eccleſiæ impoſitione ſeu ordinatione.* Ad hæc Bellarmini verba ſubjungit Paulus Laymannus, *Theol. mor. lib. 5. tr. 9. c. 5. n. 2. Qvare nihil refert, qvod in primitivâ Eccleſiâ ordinandis Diaconis non fuerit exhibitus liber Evangeliorum aut Miſſale, uti nunc ſolet. Potuit enim olim præter manuum impoſitionem, alia materia exhiberi, per qvam & altaris miniſterium & alia annexa officia Diaconi ſignificarentur, &c.* Et hoc putat Auguſtinus Barboſa, *de jur. Eccleſ. lib. 1. c. 35. n. 17.* congruentius eſſe, qvàm cum Soto & Henriqvez reſpondere tempore primitivæ Eccleſiæ ſine traditione libri Evangeliorum ac proinde absqve propriâ & verâ hujus Sacramenti materiâ ipſum Diaconatum tunc ex divinâ diſpenſatione collatum fuiſſe, vel etiam cum Vaſqvio & Ochogaviâ aſſerere, eo tempore materiam hujus Sacramenti fuiſſe tantùm manus impoſitionem, ſcriptis Evangeliorum libris tunc ipſos materiam eſſe incepiſſe. Add. Th. Sanchez *conſ. mor. lib. 7. cap. 1. dub. 12. num. 14.*

XIX. Formam hujus Sacramenti conſtituunt in verbis, qvæ cum materialibus ſignis proferuntur. Cum enim ordinandus eſt Diaconus, ex præſcripto his verbis utitur Epiſcopus: *Accipe poteſtatem legendi Evangelium in Eccleſiâ DEI, tàm pro vivis, qvàm pro defunctis in nomine Domini.* Vid. Pontific. Rom. *de ordin. divin. presb. &c. fol. 20.* Qvæ verba non tantùm ex humanâ inſtitutione ſunt, ſed etiam haud parum obſcura, cùm vix intelligi poſſit, qvid ſit legere Evangelium pro defunctis. Ut verò Sacramentum formam & eſſentiam ſuam accipiat ab hominibus, ſupra dixi, inauditum eſſe in Eccleſiâ orthodoxâ. Et qvia ita, uti dixi, in determinandâ materiâ variant Doctores, argumento hoc produnt, de totâ Sacramenti hujus ſubſtantiâ admodum incertos ſe eſſe, cùm præſertim nulla ejus ex Scripturâ peti poſſit cognitio, & in totâ antiqvitate nullum omninò ejus veſtigium appareat. Et miſerum planè eſt effugium Guilielmi Eſthii, qvando *in diſt. 24. 2.* ejus rei hanc rationem reddit, qvod caverint Chriſtiani veteres, ne tàm ſanctæ religionis noſtræ myſteria in profani vulgi, præſertim infidelium notitiam, & per hoc in contemptum venirent. Nec enim taceri potuérunt, qvæ toties exer-

exercebantur, ſacræ ordinationes, nec ratio apparet, cur ſilentio magis obvolvi debuerint ordinationis, qvam baptiſmi & SS. Euchariſtiæ ſolennitates & ritûs, qvi â primis Eccleſiæ temporibus evulgati fuérunt. Vid. And. Rivetus *in Cathol. Orthodox. tr. 3. q. 14.*

XX. Disqviſitum aliqvando etiam hoc fuit, utrum diaconis perinde ut presbyteris debeant, cum ordinantur, manus chriſmatis liqvore perungi? Conſultus eâ de re fuit Nicolaus I Papa â Rudolpho Archiepiſcopo Bituricenſi apud Gratianum *c. præterea diſt. 23.* Ubi notat gloſſa, chriſmatis vocabulum hoc loco oleum denotare. Sic enim obtinuit in Eccleſiâ Romanâ, ut Epiſcopus chriſmate, ſacerdos oleo benedićto, Epiſcopus in capite & manibus, Sacerdos in brachio ſolùm, humero vel armo inungatur, in reliqvis verò ordinibus conferendis, unćtionis hic ritus planè non adhibeatur. Verùm chriſmatis vocabulum propriè accipi hîc debere, qvatenus denotat oleum balſamo mixtum, ex ipſo contextu patet. Dicit enim Pontifex, de neutris agi in Eccleſiâ Romanâ, h. e. neqve presbyterum neqve diaconum chriſmate inungi, neqve legi uſurpatum id â novæ legis miſtris. Seqvendum autem exemplum Eccleſiæ Romanæ ex Innocentii I epiſtola, qvæ eſt ad Decentium Eugubinum epiſcopum, ponit. Si de oleo intelligendum eſſet vocabulum chriſmatis, falſò diceret Pontifex, de neutro agi in Eccleſiâ Romanâ, cùm utiqve presbyter oleo inungatur.

XXI. Sed enim non opus eſt, ut huic ritui exponendo prolixè inhæreamus, qvandoqvidem iſte neqve ab autore totius miniſterii Chriſto, neqve ab Apoſtolis inſtitutus legitur. Qvæ enim ex adverſo Dionyſii, Cypriani, & aliorum adducuntur verba, qvia ſcripta iſta, ex qvibus deſumuntur, genuina non ſunt, nullam vim probandi habent. Ingenuè fatetur Innocentius IV, Pontifex, *in comment. ad c. 3. X. de ſacram. interand.* ritûs iſtos omnes, qvæ præter orationem & impoſitionẽ manuum adhibentur, non ab Apoſtolis introdućtos, ſed Eccleſiæ inventum eſſe. *De ritu Apoſtolico*, inqvit, *invenitur in Epiſtolâ ad Titum, aliâs Timotheum, qvod manûs imponebat ordinandis, & qvod orationem fundebat ſuper eos, aliam autem formam non invenimus ab eis ſervatam. Unde credimus, qvod niſi eſſent formæ poſtea inventæ, ſufficeret ordinatori dicere: Sis ſacerdos, vel alia æqvipollentia verba; ſed ſubſeqventibus temporibus formas, qvæ ſervantur, Eccleſia ordinavit, &c.* Ritus igitur unćtionis non âb Apoſtolis, ut PſeudoDionyſius voluit, ſed ab Eccleſiâ ſeqviore ſuperadditus fuit. Ex qvo in ipſo etiam Concilio Tridentino diſceptatum refert

Petrus

Petrus Svavis *in hiſt. Concil. Trid. lib. 7.* utrum unctio ita neceſſaria ſit in actu ordinationis, ut omitti nullâ ratione qveat, & utrum ad ſubſtantiam ordinationis pertineat. Diſtinctionem utiqve inter ritûs veteris & novi Teſtamenti hîc facit S. Ephrem Diaconus Edeſſenus, qvi ſeculo qvarto claruit, dum de Sacerdotio *tom. 1. pag. 2.* ita ait: *Populus, qvi ante nos erat, cornu olei ferens ad ſacerdotium promovebatur: nos verò ſervi inutiles DEI benedicti non cornu, non oleum ſenſibile ſumimus; ſed ipſe qvi eſt brachium excelſum atqve tremendum, ex cœlo deſcendens ſuum nobis per impoſitionem manuum donat ſpiritum, &c.*

XXII. Poſſet enim verò ritus iſte non prorſus rejici, ſed tolerari, ubi receptus eſt, niſi 1. conjunctam haberet opinionem iſtam neceſſitatis, 2. ad ſacramentales ceremonias ut medium ſpiritualis & inviſibilis unctionis referretur, & 3. characteris impreſſi inde deduceretur effectus. Nec enim probari debent, qvæ apud eundem Innocentium mox ſeqvuntur verba: *Et ſunt tantæ neceſſitatis dictæ formæ, ut ſi iis non ſervatis aliqvis fuerit ordinatus, ſupplendum ſit, qvod omiſſum eſt, & ſi formæ ſervantur, character infigitur animæ, id eſt, ſignum intellectualis & indeficibilis oſtendens ordinem collatum ipſi conſecrato. Nec mireris ſi per inſtitutionem Eccleſiæ infigitur character in animâ, cùm animæ ſint de juriſdictione Papæ & ſpiritualium patrum, unde ſuper eis conſtitutiones ſuas facere poteſt, dummodo non ſint contrariæ conſtitutionibus DEI, &c.* Subdubitat ipſe Pontifex de verâ characteris cauſâ, cùm forma ab Eccleſiâ introducta non ſit ex inſtituto divino, qvomodo per eam character animæ imprimi qveat; utqve dubium iſtud ſolvat, ad juriſdictionem Papæ recurrit, qvam in animabus fundatam ait, ut in illas ſtatuere pro lubitu qvid poſſit, utqve illæ recipere teneantur, qvicqvid is ex cerebro ſuo fingit & comminiſcitur.

XXIII. Scilicet characterem definiunt eſſe abſolutam qvalitatem ſoli animæ inhærentem, facientem hominem aptum ad cultum divinum, configurantem eum Chriſto, & diſtingventem Sacerdotem â Laico. ita ut dum miniſter Eccleſiæ per ordinationem ponitur in certo ſtatu, imprimatur â Deo immediatè ſignum aliqvod ſpirituale in animâ ſuſcipientis ordinem, qvo cognoſcatur ſuſcipiens eſſe in tali ſtatu. Et hunc characterem dicunt eſſe indelebilem, ut ordinatio perinde ut baptiſmus iterari deinceps neqveat. At verò characterem hunc neqve in Sacrâ Scripturâ fundatum, nec in vetuſtis Patrum Scriptis ejus mentionem fieri, nec in ratione neceſſariò concludente radicari dudum agnovit non infimæ notæ Theologus

Schola-

Scholaſticus Gabriel Biel, cujus verba in compendium redegit Martinus Chemnitius, *in Exam. Concil. Trid. part. 2. p. m. 221.* Conf. Johan. Hülſemann, *in manual. A. C. adverſus Magerum diſp. 12. q. 3.* Et qvod propter indelebilitatem characteris iterari non poſſit nec debeat Ordinatio, vereor ne aſſertio hæc exemplis contrariis evertatur. Sanè repetita videtur ordinatio in Paulo & Barnaba, jam ante ordinatis, *Act. XIII, 3.* quod eruditè probat idem Hülſemannus, *de miniſtro ordinat. Sacerdot. §. 11. & 12.* Qvod autem non repetatur ordinatio ſemel legitima peracta, non facit indelebilitas impreſſi characteris fictitia, ſed irrevocabilitas datæ fidei ab ordinato, qvod velit in miniſterio Eccleſiaſtico vitam ſuam conſumere, & qvod deficiat cauſa, propter quam collatio poteſtatis ſemel factæ iterari debeat. Id. Hülſemann. *in breviar. cap. 19. ſupplem. n. 7.*

XXIV. Cæterùm memini me legiſſe apud Hadrianum Saraviam de diverſis gradibus miniſtrorum Evangelii, *cap. 7.* adverſus Theodorum Bezam his verbis commentantem: *Diaconiam reſtitutam cupio, qvalis fuit inſtituta temporibus Apoſtolorum, & poſtea in Eccleſiâ, ſicut ab eis fuerat tradita, uſu fuit confirmata, qvæ temporarios annuosqve nusqvam legitur habuiſſe diaconos, ſicut nec presbyteros, &c.* Suſpenſum me tenuêrunt verba iſta, qvod putarem, diſtingvendos eſſe fines inſtituti diaconatûs. Si enim pauperum tantùm & ærarii Eccleſiaſtici cura Diacono committatur, qvid obſtat, qvo minùs temporaria poſſit eſſe iſtiusmodi functio, cùm qvæ fiſcum concernunt officia non malè â qvibusdam Rerumpublicarum formatoribus jubeantur eſſe temporaria & ambulatoria. At ſi ideò conſtituantur Diaconi, ut presbyteris circa miniſterium verbi & Sacramentorum auxiliariam præſtent operam, rectiùs hoc eorum munus perpetuum ſtatuetur, qvamdiu ſcil. vocatione ſuâ dignos ſe exhibent.

XXV. Invenio tamen in hiſtoriâ ſeculi ſexti Eccleſiaſticâ exemplum, qvo â Vigilio Papâ Sebaſtianus Diaconus, qvi poſtea Schiſmatis cauſam fovit, ad tempus conſtitutus legitur: Sic enim ipſe refert Vigilius, *in Epiſtolâ Cenſoria ad Ruſticum & dictum Sebaſtianum*, qvæ extat *tom 2. Concil. p. m. 578.* *Abſentibus filiis noſtris diaconis Anatolio atq; Stephano â nobis poſtulaſti, ut ad tempus pro implendo officio abſentium loco diaconum te interim faceremus. Qvod ideò tibi ad præſens ſperanti conceſſimus, qvia ante ordinationem tuam cautionem nobis propriâ voluntate legeris emiſiſſe, qvam & teſtibus roboraſti & tactis Evangeliis juramentum corporaliter præſtitiſti, ut qvicqvid tibi â nobis pro Eccleſiaſticâ utilitate fuiſſet injunctum, fideliter*

titer & ſine aliquâ fraude compleres: officium verò locumqve diaconi ſine aliqvo vitio, ſine aliquâ ſuperbiâ, ſine aliqvo neglectu, donec reverterentur diaconi memorati, aut qvanto te tempore in Levitarum voluiſſemus ordinatione miniſtrare, cum omni humilitate & ſtudio ſine neglectu modis omnibus impleturum. — — Tunc ergò ad præſens factus es ſub eâ, qvam ſperabas, & pollicitus fueras, conditione diaconus. — — Ideoqve qvod à nobis cum gemitu, ſed cum B. Petri autoritate dicendum eſt, pro ſupraſcriptis exceſſibus alienos vos à diaconi eſſe honore decernimus, & omni miniſterio officii Levitici prædictum honorem vobis auferentes penitus ſubmovemus, &c.

XXVI. Putat qvidem Baronius Cardinalis, *ad annum 550. num. 24.* verba iſta non innuere diaconatum temporarium, ſed exercitium tantùm actus miniſterialis: *Hæc*, inqvit, *cum Vigilius ingerat in Sebaſtianum ad tempus creatum Diaconum, non accipias qvoad ordinem, ſed potius, qvoad miniſterium, ut qvi diaconus jam eſſet, miniſtrare loco diaconi Cardinalis permitteretur.* Sed enim, ut rectè obſervat Marcus Ant. de Dominis, *de Rep. Eccleſ. lib. 2. cap. 4. n. 47.* explicationem iſtam non ferunt verba Vigilii: Poſtulaverat Sebaſtianus, ut Vigilius ad tempus ſe faceret diaconum, donec abſentes, qvorum vices ſupplebat redirent, & ait Pontifex, factum tunc illum ad præſens ſub conditione prædictâ diaconum. At facere diaconum ad præſens & ſub conditione, non eſt, diacono jam ante facto miniſterium aliqvod committere. Illud ſubſtantiam actûs denotat, hoc actus exercitium. Et per conſeqvens non fuit abſurdum viſum Vigilio, Diaconum aliqvem ad certum tempus aut ſub conditione fieri.

XXVII. De tempore, qvo ordinari debeat Diaconus, curioſè agunt Canoniſtæ ad Gratianum, *diſt. 75. & ad tit. Decretal. de temp. ordinat.* Eorumqve doctrina communis hæc eſt, qvod tantùm tempora jejuniorum, id eſt, qvadrageſimæ & qvatuor temporum, ei rei apta ſint. Damnaturqve qvæ in Scotiâ & Valliâ invaluerat, conſuetudo contraria *c. 2. X. de temp. ordin.* Cujus inſtituti nulla alia reddi ratio poteſt, qvàm, qvod Apoſtoli jejunantes impoſuerint manus, *Actor. XIII, 3.* Cumqve deinceps ſtata & ſolennia qvotannis haberentur jejunia, in illis potiùs, qvàm alio tempore conferre ordines voluérunt. Apud Græcos verò ex conſuetudine qvolibet die ſacri ordines conferri ſolebant, uti patet ex antiqvâ decretali apud Anton. Auguſtin. *c. 1. de temp. ordin. in compil. 2.* Nec audet tamen illic Pontifex hanc Græcorum conſuetudinem improbare. Certè, qvæ apud Latinos poſita eſt, Lex Eccleſiaſtica, ſuper-

ſuperſtitione non caret, cùm nec careant eâ jejunia ſolennia, qvæ propterea eruditè perſtringit Johannes Dallæus, *lib. de jejun. & quadrag.* Videntur tamen non omnes Græci diverſam ſecuti ſententiam, ſed aliqvi etiam cum Latinis feciſſe, uti colligi poteſt ex Theodori Balſamonis *reſponſ. ad Marci Patriarchæ Alexandrini interrog. 56.* in jure Græco-Rom. â Leunclavio edito, *p. 389.*

Capvt VII.

De ætate, qva qvis Diaconatui aptus habeatur.

I. *Ætatis maturitas, judicii ſubactioris præſumtio.* II. *Parti ætatis cuiq; ſua tempeſtivitas. Minorum in foro favor.* III. *Senator* XXX *annorum apud Athenienſes, Romanos.* IV. *Ætas Diaconi de ſententia Siricii Papæ.* V. *Ante* XXV *ætatis annum neqve Diaconus, neq; virgo ordinetur.* VI. *Siricii ſententia probatur ex epiſtola Zoſimi Papæ; cujus fragmentum è matrice ſuppletum & illuſtratum.* VII. *Paraphraſis verborum Siricii è Goffredo de Trano.* VIII. *Teſtimonium Concilii Agathenſis. Converſi. Converſare.* IX. *Item Concilii Arelatenſis* III. X. *Toletani* II. XI. *Novellæ Juſtinianeæ* CXXIII. XII. *Idem repetierunt Patres Concilii Toletani* IV. XIII. *Et Qviniſexti in Trullo habiti.* XIV. *Alexandri III, Pontificis decretum de* XXX *annis.* XV. *Ejuſdem de Laicis directoribus removendis & pueris retinendis conſtitutio.* XVI. *Perſonatus, qvale ſit in Eccleſia officium.* XVII. *Adoleſcentes ad miniſterium admiſſi vel propter divinas animi dotes,* XVIII. *vel propter neceſſitatem.* XIX. *Teſtimonium Aurelii Epiſcopi.* XX. *Sed qvæ neceſſitatis ſunt in exemplum trahi minime debent.* XXI. *Bernhardi de pueris ſententia,* XXII. *Explicatur.* XXIII. *Honorii* III *Pontificis cenſura ſuper diaconatu puerorum.* XXIV. *Praxis hiſce canonibus contraria fere obtinuit.* XXV. *Clementis V decretalis de laxiori Diaconatus ætate,* XXVI. *qva priſtinæ conſtitutiones fuerunt immutatæ.* XXVII. *maxime cum diſpenſatio Pontificis accederet.* XXVIII. *Major in Scholis, qvam Eccleſiis rigor canones obſervandi.*

I. Rectiſſimè Alexander III. Pontifex *c. cum in cunctis 7. X. de elect.* in cunctis ſacris ordinibus & Eccleſiaſticis miniſteriis ætatis maturitatem, gravitatem, morum & literarum ſcientiam inqvirendam eſſe docet. Præmittit ætatis maturitatem, qvia ea præſumtionem facit judicii benè ſubacti, & ingenii jam fixi atqve conſideratè omnia agentis. Unde & Gregorius M. Adeodatum primatem provinciæ Numidiæ Epiſcopum *lib. 2. epiſt. 48.* monet: *Eſtote ergò præcipuè in ordinatione ſolliciti: & ad ſacros ordines adſpirare niſi provectiores ætate & mundos opere nullatenus permittatis, ne fortè ſemper eſſe deſinant, qvod immaturè eſſe feſtinant. Eorum enim qvi in ſacro ſunt ordine collocandi, priùs vitam moresqve diſcutite, & ut dignos huic officio adhibere poſſitis, non vobis potentia aut ſupplicatio qvarumlibet ſurrepat perſonarum, &c.* Locus extat apud Gratianum, paucis omiſſis, *c. eſtote 1. q. 1.*

II. Scilicet curſus eſt certus ætatis & una via naturæ eaqve ſimplex: ſua cuiqve parti ætatis tempeſtivitas eſt data. Ut & infirmitas puerorum eſt, & ferocitas juvenum & gravitas jam conſtantis ætatis: ſic ſenectutis maturitas naturale qviddam habet, qvod ſuo tempore percipi debeat. Cicero *in Cat. maj.* Atqve inde qvotidianæ nobis de minoribus, tùm in ſcholis, tùm in foro, naſcuntur controverſiæ, plurimumqve ſemper diſceptatur, utrum valeat negocium, qvod ab eo geſtum eſt, cui non ſatis firma eſt ætas. Uti enim lubrica eſt iſta ætas atqve hinc fragile & infirmum ejus conſilium *l. 1. ff. de minor.* ita Romana Jurisprudentia admodum facilis eſt in reſcindendis illis, qvæ eâ ætate geſta ſunt, adeò, ut qvanqvam induſtrium ſe, & prudentem, atqve in adminiſtratione rerum ſuarum valdè circumſpectum oſtentet minor, ſi tamen læſus fuerit, adhuc jura ei ſubveniant, *l. 1. C. qvi & adv. qvos in int. reſt. non poſſ.* Neqve enim prudentia in minore tanta eſſe unqvam poteſt, qvin in eâ ætate ſemper reſideat aliqvid, atqve adeò plurimum inſcitiæ propter experientiam rerum deficientem. Et ut rectè adſunt cætera, tamen ei ætati, qvamvis prudentiſſimæ, ſemper adjuncta eſt facilitas & lenitas qvædam, quâ fit, ut alienis conſiliis aut blanditiis perſuaſi, aut ſuâ ipſorum libidine incitati minores facilè huc illuc impellantur, & qvæ alioqvi utilia ſciebant, contemnant & concedãt aliis. Hugo Donell. *comm. l. 21. c. 10.*

III. Qvæ cum ita ſint, nõ malè & in ſeculari & in Eccleſiaſtico regimine certi ætatis anni præſcripti fuerunt, qvibꝯ qvis adhiberi illi poſſet. Apud Athenienſes minorem annis triginta Senatorem fieri non potuiſſe Critias apud Xenophontẽ *1. memorab.* refert, ubi monet Socratẽ, ne diſſerat ad eos qvi

qvi nondum prudentiam ſunt conſecuti, minores triginta annis, qvibus nec Senatoribus fieri liceat. Idem apud Romanos obtinuit: *Cautum eſt, Domine*, ſcribit Plinius ad Trajanum *lib. 10. epiſt. 83. Pompejâ lege, qvæ Bithynis data eſt, ne qvis capiat Magiſtratum, neve ſit in Senatu minor annorum triginta.* Sed hæc ad provincias & propriè ad Bithyniam ſpectavit Lex. Alibi enim & in ipsâ Urbe Româ circa ætatem Senatoriam aliter ſervatum fuit. Vid. Lipſ. *in Tacit. l. b. 3. annal.* Solon juvenes noluit in Senatum recipere, *εἰ καὶ ἄριστα δοκῇ γνώμας ἔχειν*, etiamſi qvid ſalis habere viſi ſint, Lycurgi inſtituto ſervato, qvi è Senioribus Senatum, Græcis ob id *γερουσίαν* dictum, conſcripſit. Plato autem nimis longè terminum poſuit, qvi ante qvinqvageſimum annum non admiſit Senatorem.

IV. Non minor & qvandoqve longè major prudentia reqviritur in adminiſtratore ſacrorum, ut propterea non niſi ætate maturo conferri dignitates Eccleſiaſticæ debeant. Etſi enim in Scripturâ ſacrâ nihil omninò definitum reperiatur, qvoto anno miniſterio Eccleſiaſtico adhiberi qvis debeat, ſollicita tamen ſemper deinceps fuit Eccleſia, & certâ determinatione cavere voluit, ne ex crudâ nimis miniſtrorum ætate dedecus & opprobrium aliqvod reſultet. Primum, qvod hâc de re apud Gratianum *c. 3. diſt. 77.* occurrit, teſtimonium eſt Syricii Pontificis, qvi circa annum CCCXC hanc ad Himerium Tarraconenſem Epiſcopum *epiſt. 1. c. 9.* edidit decretalem: *Qvicunqve ſe voverit obſeqviis Eccleſiæ à ſuâ infantiâ, ante pubertatis annos baptizari, & delectorum debet miniſterio ſociari: qvi ab acceſſu adoleſcentiæ uſqve ad trigeſimum* (ita legitur in vetuſtis exemplaribus, recentiora ſubſtituunt, *vigeſimum*) *ſuæ ætatis annum, ſi probabiliter vixerit, unâ tantùm & ea qvam virginem benedictione communi per Sacerdotem percepit, Uxore contentus, acolytus & ſubdiaconus eſſe debebit: poſteaqve ad diaconii gradum, ſi ſe ipſe primitus continentiâ præeunte dignum probaverit, accedat: ut ſi infra qvinqve annos laudabiliter miniſtraverit, congruè presbyterium conſeqvatur: exinde poſt decennium Epiſcopalem cathedram poterit adipiſci. — Qvi verò jam ætate grandævus melioris propoſiti converſatione provocatus, ex laico ad ſacram militiam pervenire feſtinat, deſiderii ſui fructum non aliter obtinebit, niſi eo, qvo baptizetur, tempore ſtatim Lectorum aut Exorciſtarum numero ſocietur, ſi tamen eum unam habuiſſe vel habere & hanc virginem accepiſſe conſtet Uxorem, qvi tùm initiatus fuerit, expleto biennio per qvinqvennium aliud acolythus & ſubdiaconus fiat, & ſic ad diaconatum (ſi per hæc tempora dignus judica-*

tus fuerit) provehatur: exinde jam acceſſu temporum presbyterio vel Epiſcopatu (ſi eum plebis aut Cleri evocaverit electio) non immeritò ſocietur. Secundùm hanc Syricii ſententiam poſt trigeſimum demum ætatis annum ad diaconatum qvis promoveri potuit, ſi qvidem vetuſtiores, qvos dixi, Codices ſeqvendi fuerint.

V. Secutum mox eſt, anno CCCXCVII, Concilium Carthaginienſe III, in qvo *canone 4.* hoc modo conſtitutum legitur: *Item placuti, ut ante viginti qvinqve annos ætatis nec diaconi ordinentur, nec virgines conſerrentur, & ut Lectores populum non ſalutent.* Ita leguntur verba apud Gratianum *dictâ diſt. 77. cap. 5.* juxta qvæ intra paucorum annorum ſpacium valdè relaxata fuit regula Syricii modo memorata. Aut certè dicendum, apud Africanos non fuiſſe receptam conſtitutionem Eccleſiæ Romanæ: aut vulgata apud Gratianum lectio in Syricii epiſtolâ, qvæ viginti annos refert, probanda erit. In vetuſtis tamen qvibuſdam codicibus haud paulo aliter & hoc ordine legi dictum canonem Carthaginienſem refert Severinus Binius: *Item placuit, ut Lectores populum non ſalutent, & ut ante viginti qvinq; annos nec Clerici ordinentur, niſi primum divinis ſcriptis inſtructi vel ab infantiâ eruditi propter fidei profeſſionem vel aſſertionem.* Indifferenter de Clericis agit, ſi ita legatur, canon, niſi vocabulum Clerici, qvod fieri qvandoqve ſolet, ad diaconos reſtringatur.

VI. Ut in Syricii epiſtolâ ſupra relatâ vulgatam probem de viginti annis lectionem, facit etiam Zoſimi in ſede Romanâ ſucceſſoris epiſtola, qvam ad Heſychium Epiſcopum Salonitanũ ſcripſit anno CCCCXVII. Ejus fragmentum, qvod huc pertinet, recenſet Gratianus *d. diſt. 77. c. 2.* Sed conciſè nimis & ſenſu obſcuro. Supplebo id ex ipsâ matrice: *Hæc autem in ſingulis gradibus obſervanda ſunt tempora. Si ab infantiâ Eccleſiaſticis miniſteriis nomen dederit, inter Lectores uſqve ad viceſimum ætatis annum continuata obſervatione perduret. Si major jam & grandævus acceſſerit, ita tamẽ ut poſt baptiſmũ ſtatim ſe divinæ militiæ deſideret mancipari, ſive inter Lectores, ſive inter exorciſtas qvinqvennio teneatur: exinde acolythus vel ſubdiaconus qvatuor (qvatuordecim legitur in plerisq; codicibus Gratiani, ſed perperam uti videtur) annis: & ſic ad benedictionem diaconatus, ſi meretur, accedat, in qvo ordine qvinqve annis, ſi inculpatè ſe geſſerit, hærere debebit. Exinde ſuffragantibus ſtipendiis per tot gradus datis propriæ fidei documentis presbyterii ſacerdotium poterit promereri, &c.* Videtur Zoſimus anteceſſoris ſui Syricii decretalem repetiiſſe & ejus ſententiam confirmaſſe. Et veriſimile adeò

eſt

eſt utrumqve Pontificem cum Patribus Africanis circa id tempus cenſuiſſe, annum ætatis vigeſimum qvintum perſonam cæteris paribus facere idoneam, qvæ ad diaconatum promoveatur. Obiter noto, multùm fluctuare gloſſam, *in c. qvicunque diſt. 77.* dum explicare intendit, qvis ibi dicatur grandævus. Ego non puto certum ætatis annum per iſtud vocabulum deſignari, ſed dici ibi grandævum, qviſqvis provectioris ætatis fuerit, ita ut & conjugio habilis per aliqvot annos extiterit.

VII. Syricii verba ita παραφράζει Goffredus de Trano antiqvus juris Canonici interpres *ad tit. de ætat. & qval. præfic. n. 1. Aut qvis ab infantia traditur militiæ Clericali, aut eſt grandævus, qui poſtulatur ordinari. In primo caſu à ſeptimo anno uſqve ad duodecimum poteſt recipere omnes minores uſqve ad acoluthatum; poſt duodecimum annum qvandocunq; recipiet acoluthatum, in vigeſimo anno vel vigeſimo primo recipiat ſubdiaconatum, ut vigeſimo ſexto anno diaconatum, in trigeſimo primo presbyteratum. -- In ſecundo caſu ſcilicet cum grandævus poſtulatur ordinari, poteſt recipere ordines hoc modo: In primis duobus annis, poſtqvam clericus fuerit, recipiet omnes minores, in reliqvis qvinqve omnes majores, &c.* Circa grandævum tamen alia videtur fuiſſe ſententia Zoſimi, qvippe qvi talem per integrum qvinqvennium inter exorciſtas & Lectores, & per aliud qvadriennium inter acolythos vel ſubdiaconos verſari voluit, anteqvam ad ulteriores gradûs provehatur. Sufficit nobis obſervaſſe, per iſta tempora ad diaconatum neminem promotum fuiſſe, niſi vigeſimum qvintum ætatis annum abſolviſſet.

VIII. Ineunte ſeculo ſexto, anno ſcil. DVI, habitum fuit Concilium Agathenſe in Galliâ Narbonenſi. Ejus concilii canon decimus ſextus apud Gratianum, *d. diſt. 77. c. 6.* ita ſe habet: *Epiſcopus benedictionem diaconatûs minoribus viginti qvinq; annorum penitus non committat. Sanè ſi conjugati juvenes ſe conſenſerint ordinari: etiam Uxorum voluntas ita reqvirenda eſt, ut ſeqveſtrato manſionis cubiculo, religione promiſſa, poſteaqvam pariter converſi fuerint, ordinentur, &c.* De Uxorum voluntate & ſeqveſtrato cubiculo, qvod hîc dicitur, infra pleniùs diſcutietur, qvando de conjugio diaconorum ſermo nobis erit. Converſi autem dicebantur aliqvando, qvi monaſticam vitam profiteri incipiebant. *Converſare* enim uſurpabatur pro *monachum fieri.* Aliqvando ita vocabantur illi, qvi mutato ſeculari habitu & aſſumpto regulari, qvamvis diſtincto à cæterorum religioſorum habitu, alicui Eccleſiæ vel religioni ſe devovérunt, emiſſo voto ſimplici ſaltem continentiæ, interdum etiam obedientiæ & paupertatis. P. Laymann.

mann. *Theol. mor. l. 1. tr. 5. p. 2. c. 5. n. 4.* Breviter: qvi ex ſtatu ſeculari per votum continentiæ, qvod jam eo tempore invaleſcebat, in Eccleſiaſticum translatus eſt. Sic enim de Theudario refert Gregorius Turonenſis, *lib. 9. c. 33.* qvod ex Referendario Sygiberti Regis converſus presbyterii honorem acceperit. Vid. Dd. *ad rubric. X. de converſione conjugator.* Ex allegato autem canone Agathenſi liqvet, adhuc vigeſimum qvintum ætatis annum diaconatui aptum habitum fuiſſe.

IX. Cùm verò his canonibus non attentis ſæpiſſimè adoleſcentes in diaconatûs officium irreperent, anteqvam juſtum & canonicum ætatis terminum attigiſſent, indignè id ferentes Epiſcopi in Arelatenſi civitate principaliter qvidem ad dedicationem baſilicæ S. Mariæ congregati, anno DXXIV priſtinas Eccleſiæ conſtitutiones renovarunt, & in concilio hoc ſuo, qvod Arelatenſe III dicitur, *cap. 1.* hunc in modum canonem ediderunt: *Qvia in ordinandis Clericis antiqvorum patrum ſtatuta non ad integrum, ſicut expedit, obſervata eſſe cognoſcuntur, ne fortè qvorumcunqve importunis & inordinatis precibus ſacerdotes Domini fatigentur, & ea qvæ toties ſunt præcepta, tranſgredi compellantur: hoc inter ſe obſervandum eſſe definiunt*, (Notetur modeſta definiendi ratio Epiſcoporum per modum pacti conventi ſe invicem obligantium, non per modum præcepti ſtatuentium, qvemadmodum etiam *cap. ſeqventi 2.* profitentur: *hoc inter nos ſine præjudicio duntaxat canonum convenit conſtituere antiqvorum, &c.* Provinciale enim tantum fuit concilium à qvatuordecim Epiſcopis celebratum) *ut nullus Epiſcoporum diaconum, anteqvam viginti qvinqve annos impleat, ordinare præſumat: epiſcopatûs verò vel presbyterii honorem nullus Laicus ante præmiſſam anni converſionem, vel ante triginta annos ætatis accipiat.*

X. Qvod ita ſeculo hoc ſexto in Galliâ Narbonenſi conſtitutum fuit, id etiam in Hiſpaniâ, anno DXXXI, in Concilio Toletano II decretum invenitur. Capituli primi, qvod huc facit verba leguntur apud Gratianum *c. 6. diſt. 28.* hoc ordine: *De his qvos voluntas parentum à primis infantiæ annis clericatûs officio mancipaverit, id ſtatuimus obſervandum, ut mox detonſi vel miniſterio Lectorum traditi in domo Eccleſiæ ſub Epiſcopali præſentiâ à præpoſito ſibi debeant erudiri. At ubi octavum decimum ætatis ſuæ compleverint annum, coram totius Cleri plebiſq; conſpectu voluntas eorum de expetendo conjugio ab Epiſcopo perſcrutetur: qvibus ſi gratia caſtitatis DEO inſpirante placuerit, & promiſſionem caſtimoniæ ſuæ abſqve conjugali neceſſitate ſeſe ſpoponderint ſervaturos, hi tanqvam appetitores arctiſſimæ*

næ viæ leviſſimo domini jugo ſubdantur, ac primum ſubdiaconi miniſterium habita probatione profeſſionis ſuæ à viceſimo anno ſuſcipiant. Quod ſi inculpabiliter ac inoffenſè vigeſimum & qvintum annum peregerint, ad diaconi officium ſi adimplere id poſſe ab Epiſcopo probantur, promoveri debent, &c.

XI. Qvæ adduximus hactenus, occidentalis Eccleſiæ teſtimonia ſunt, ejuſqve praxin & uſum abunde oſtendunt. De abuſibus enim, qui per malitiam hominum ſæpiuſculè ſalutaria inſtituta pervertérunt, ſolliciti nunc non ſumus, cùm id tantum nobis curæ ſit, quod licitum fuit, quodque bonis moribus non fuit adverſum. Eoſdem verò ætatis annos etiam in orientali Eccleſiâ in Candidato diaconatûs requiſitos fuiſſe, fidem facit celebris illa Juſtiniani Imperatoris *Novella 123*, quæ compendiũ juris Canonici dici merito poteſt. Scripta eſt ea anno DXLI ad Petrum Præfectum Prætorio Orientis, ſive, uti *novella 119. & 120.* vocatur, orientalium prætoriorum præfectum. Et in eâ caput decimum tertium ita ſe habet: *Presbyterum minorem triginta qvinq; annorum fieri non permittimus. Sed neq; diaconum aut ſubdiaconum minorem viginti qvinq;, neq; minorem Lectorem decem & octo annorum.* Apud Gratianum *c. 2. diſt. 78.* aliis verbis & præceptivis magis, ſed ſub paleæ nomine proſtat: *Nemo presbyter conſecretur, qvi minor 30. annis ſit. Nemo diaconus vel ſubdiaconus fiat, qvi minor viginti qvinq; annis ſit. Nemo Lectoribus connumeretur, qvi minor octodecim annis fuerit.* Cur paleæ nomen adſcriptum fuerit, vix alia dari poterit ratio, quàm quod iſta talis materia ad poteſtatem νομοθετικὴν Imperatoris nequaquam pertinere viſa fuerit Canoniſtis recentioribus. Quâ de re diximus alibi.

XII. Ut maximè verò tùm per canones & ſtatuta Conciliorum, tùm per conſtitutiones Imperatorias perpetua fuerit hæc lex poſita, minorem viginti quinq; annis ad diaconatûs officium promoveri non debere, reperti tamen fuérunt identidem, qui inſuper habitis iſtis omnibus, nec expectatâ juſtâ ætate & promoveri anxiè deſiderárunt, & promovere tales haud veriti fuérunt. Graviter eâ de re conqueruntur Patres in Concilio Toletano IV, anno DCXXXIII, nec tamen aliud excogitare potuérunt remedium, niſi ut canones jam antea factos repeterent, & iteratâ editione renovarent. *In veteri lege*, ajunt, *ab anno vigeſimo qvinto Levitæ tabernaculo ſervire jubentur: cujus auctoritatem in canonibus & ſancti patres ſecuti ſunt: nos & divinæ legis & præceptorum canonum immemores & infantes & pueros Levitas facimus ante legitimam ætatem, ante experientiam vitæ, ideoqve*

ne ulterius fiat à nobis, & divinâ lege & canonicis admonemur ſententiis, ut à vigeſimo qvinto anno ſuæ ætatis Levitæ conſecrentur, & à trigeſimo presbyteri ordinentur. Extat apud Gratianum *diſt. 77. c. 7.*

XIII. Idem repetitum fuit anno DCXCII, in Synodo Conſtantinopolitanâ in Trullo habitâ, quæ Quiniſexta aliàs dici ſolet, ubi *can. 14.* ita ſtatutum legitur: *Sanctorum divinorumq; patrum noſtrorum canon in his qvoqve valeat, ut presbyter ante triginta annos non ordinetur, etiamſi ſit homo valdè dignus, ſed reſervetur. Dominus enim Jeſus Chriſtus triceſimo anno baptizatus eſt, & cœpit docere. Similiter nec diaconus ante viginti qvinq; annos nec diaconiſſa ante qvadraginta annos ordinetur.* Et ſic uno & perpetuo conſenſu Eccleſia orientalis & occidentalis noluit quenquam promoveri ad officium diaconatûs, niſi qui annum ætatis vigeſimum quintum ſupereſſet. Poſt hoc enim tempus compleri virilem vigorem conſtat *l. 1. §. 2. ff. de minor.* conquieſcente ſcilicet illâ humorum ac corporis perpetuâ agitatione ac perturbatione, cui adoleſcentes obnoxii ſunt. Et inſubidum proinde viſum fuit, curam animarũ committere illis, qui ipſi curatorum auxilio regerentur, *d. l. 1. §. 3.* quique nondum ad conſiſtentem ætatem veniſſent.

XIV. Pleraque hæc antiquitatis teſtimonia hactenus à nobis adducta cum recenſuiſſet Gratianus *diſt. 77. & 78.* ſic tandem ipſe commentatur: *Hoc regulare eſt: Unde & Chriſtus & Johannes Baptiſta & Ezechiel & nonnulli Prophetarum non leguntur ante hoc tempus prophetaſſe vel prædicaſſe. Verum qvia Hieremias & Daniel ante juvenilem ætatem Spiritum prophetiæ accepiſſe leguntur: David qvoqve & Salomon in adoleſcentiâ uncti inveniuntur: & Johannes Evangeliſta, cùm adhuc eſſet adoleſcens à domino in Apoſtolum electus & cùm aliis ad prædicandum miſſus aſſeritur: Eccleſia ſimiliter neceſſitate exigente nonnullos ante triginta annos ordinare conſvevit.* Videtur Gratianus ſui ſeculi moribus nonnihil blandiri, ne prorſus improbare diceretur, quod magnis & illuſtribus exemplis comprobatum hactenus fuerat. Scripſit autem ille & compilationem ſuam edidit circa annum MCL. At mox circa annum MCLXXX Alexander III Pontifex, id, quod regulare dixit Gratianus, obſervari voluit, & ne aliquod ex caſu neceſſitatis exemplum trahatur, ſpeciali in eam rem decretali prohibuit. Extat ea *in c. 7. extra de elect.* his verbis: *Cum in cunctis ſacris ordinibus & Eccleſiaſticis miniſteriis, ſint ætatis maturitas, gravitas morum & literarum ſcientia inqvirenda, multo fortius in Epiſcopo hæc oportet inqviri, qui ad curam aliorum poſitus in ſe ipſo debet oſtendere,*

re, qvaliter alios in domo DEI oporteat converſari. Eapropter ne qvod de qvibuſdam pro neceſſitate temporis factum eſt, trahatur à poſteris in exemplum, præſenti decreto ſtatuimus ut nullus in Epiſcopum eligatur, niſi qvi jam trigeſimum annum ætatis exegerit, & de legitimo matrimonio ſit natus. —— Inferiora etiam miniſteria, utputa decanatum, archidiaconatum, & alia qvæ curam animarum habent annexam, nullus omninò ſuſcipiat, ſed nec parochialis Eccleſiæ regimen, niſi qvi jam vigeſimum qvintum annum ætatis attigerit, &c.

XV. Optimè ſe hæc haberet Alexandri III conſtitutio, niſi ipſe per duas decretales alias, qvæ extant *c. 2. & 3. extra de ætat. & qval. præfic.* à priſtinâ diſciplinâ diſceſſiſſet, qvod etiam notavit Claudius Eſpencæus Theologus Pariſienſis *de vot. continent. lib. 4. cap. 2.* Subjungam verba Alexandri, ut qvid ipſe permiſerit exactius conſtet. Verba *cap. 2.* ita habent: *Accepimus, qvod Coventrenſis Epiſcopus pueris, qvi ſunt infra decennium conſtituti in archidiaconatu R. Archidiaconi Ciceſtrenſis Eccleſias plures conceſſit, qvæ non per clericos, ſed per laicos diſponuntur. Unde qvoniam non debet hoc aliqvatenus tolerari: mandamus, qvatenus prædictum Epiſcopum ſuper his corripias, & Clericis idoneis adminiſtrationes & cuſtodiam præſcriptarum Eccleſiarum, donec prædicti pueri ad congruam veniant ætatem, laicis amotis, committas. Eidem Epiſcopo prohibens, ne de cætero eccleſias, niſi perſonis, qvæ ætatem & ſcientiam habeant, regendas concedat, &c.* Removeri vult Laicos directores, qvi nomine puerorum diſponebant Eccleſias pueris commiſſas, ipſos verò pueros removeri noluit, id qvod priſtino Eccleſiæ regimini planè fuit adverſum. *Dum prædictarum Eccleſiarum cuſtodiam*, inqvit Eſpencæus, *& adminiſtrationem Clericis idoneis commiſit, donec prædicti pueri ad congruam venirent ætatem, feneſtram aperuit, qvia contra patrum mentem alii ſererent, alii meterent, & penes alios titulus, alios labor, alios fructus maneret.*

XVI. Non magis excuſari poteſt, qvod *capitulo 3.* legitur: *Indecorum eſt, ut hi debeant Eccleſias regere, qvi non novêrunt gubernare ſeipſos, cùm ad Eccleſiarum regimen tales perſonæ ſint admittendæ, qvæ diſcretione præmineant & morum fulgeant boneſtate. Nolentes itaq; ſuſtinere, ut parvulis Eccleſiæ regimen committatur, mandamus qvatenus nemini infra annum qvartum decimum conſtituto, perſonatum cujuslibet Eccleſiæ concedere præſumatis. Sciturí pro certo, qvod ſi contraire præſumſeritis: qvod inde feceritis, irritabimus, & inobedientiam veſtram graviter puniemus.* Qvid hoc loco perſonatus vocabulum denotet, non auſim definire, cùm ipſis etiam Canoniſtis aqva hæreat in expli-

plicatione ejus, notante Cujacio *ad c. 2. extra de reſtit. ſpol. & ad c. ult. X. ut lit. pend.* neqve exploratum adhuc ſit, qvale diſcrimen inter perſonatū & dignitatem antehac fuerit, cùm & perſonatus ſæpè dignitas dicatur, Jacobus Sbrozzius, *de Vicario Epiſcopi lib. 2. q. 27. n. 12.* & hæc duo vocabula plerumqve vocis tantùm ſono & loqvendi conſvetudine magis quam reipſâ differant. Ant. Bengeus & Franc. Pinsſon. *de benef. rub. de diviſ. benef. §. 19. n. 11.* ubi *ſub num. 12. & 13.* refert, aliqvando perſonam denotare Rectorem ſeu Curionem Eccleſiæ parochialis, eamque conſvetudinem loquendi familiarem eſſe in Angliâ, ut & in Galliâ, ubi perſonæ dicebantur vicarii illi, qvi ab Epiſcopis conſtituebantur, ut in monaſteriis altarium miniſteria peragerent, obſervante Petro de Marca *ad Concil. Claromont. can. 7.* Cum itaq; utraqve hæc Alexandri Decretalis ad Cantuarienſem Archiepiſcopum in Angliâ ſcripta ſit, dubium non erit, perſonatûs vocabulo tale officium Eccleſiæ denotari, quod accuratius judicium expoſcit, quam ut ab eo, qui nudius tertius ex ephebis exceſſit, expediri queat. Et rectè proinde Eſpencæus *d. l. Dum mandat nemini intra decimum qvartum annum conſtituto cujusvis Eccleſiæ perſonatum concedi, multum de grandævitate præficiendis olim præfixâ remiſit.*

XVII. Diffitendum tamen non eſt, aliquando, citra abuſum, in Eccleſiâ miniſterium commiſſum fuiſſe adoleſcentibus, qui juſtam & canonicam ætatem nondum attigêrunt. Id verò duplici ex causâ fieri potuit, vel quod raræ atque divinæ in adoleſcentibus ſeſe exſererent virtutes, quæ parem officio facerent animum, & jam benè ſubactum eum inſignibus ſpeciminibus oſtenderent, vel quod extrema neceſſitas obſervationem legis Eccleſiaſticæ non admitteret. Prioris exempla ſuggerit Cyprianus Aurelium & Celerinum, utrumque confeſſorem & ſummis in Eccleſiam meritis conſpicuum, *epiſt. 33. & 34. Aurelius*, inquit, *frater noſter, illuſtris adoleſcens, à Domino jam probatus & à DEO vocatus eſt, in annis adhuc novellus, ſed in virtutis ac fidei laude provectus, minor in ætatis ſuæ indole, ſed major in honore. --- Merebatur talis Clericæ ordinationis ulteriores gradus & incrementa majora, non de annis ſuis, ſed de meritis æſtimandus, &c.* Pari modo cum Celerinum cōmendaſſet, ſic tandem concludit de utroque: *Cæterùm preſbyterii honorem deſignaſſe nos illis jam ſciatis, ut & ſportulis iiſdem cum preſbyteris honorentur, & diviſiones menſurnas æqvatis qvantitatibus partiantur, ſeſſuri nobiſcum provectis & corroboratis annis ſuis, qvamvis in nullo minor poſſit videri ætatis indole, qvi conſummavit ætatem gloriæ dignitate, &c.* Noluit tamen Cyprianus

per ſaltum eos promoveri, ſed utrumqve inter Lectores primùm conſtituit, ut tamen easdem cum presbyteris ſportulas acciperent.

XVIII. Alteram cauſam ex neceſſitate oriri poſſe dixi. Qvid enim ſi talis non inveniatur, qvi huic officio par eſſe qveat? Ego tùm præficiendum exiſtimo omnium optimum, qvi reperiri poteſt, etſi qvoad reqviſita tantum non peſſimus exiſtat. Vulgare eſt proverbium inter coecos luſcus Rex erit, qvod hîc non ineptè uſurpari poterit. Satius enim erit ab aliqvo curari cultum divinum, qvàm eundem prorſus omitti & intercidere. Qvod ſi ex præficiendi ætate ſolùm defectus oriatur, minus attendi debere eum exiſtimo, cætera reqviſita ſi præſto ſint. Eſſe autem aliqvando poſſe talem Eccleſiæ ſtatum, ut nec haberi aut inveniri qveat, qvi diaconi munus expleat, Eccleſia Africana ex Concilio ſuo II, qvod anno CCCCI, celebratum fuit, docere poteſt. Deliberandum in eo propoſuit Aurelius Epiſcopus Carthaginenſis, qvâ ratione miniſterium, qvo prorſus deſtituebantur Eccleſiæ, reparari poſſet, conſuluitqve, ut Romam & Mediolanum ablegarentur, qvi Clericos inde peterent.

XIX. Digna ſunt verba qvæ hîc adſcribantur ex codice canonum Eccleſiæ Africanæ, qvem edidit Chriſtophorus Juſtellus, *pag. 162.* *Aurelius Epiſcopus dixit: Eccleſiarum DEI per Africam conſtitutarum neceſſitates mecum optimè novit charitas veſtra, ſanctiſſimi fratres, & qvoniam præſtitit Dominus, ut ex aliqvâ parte ſancti coetus veſtri eſſet congregata præſentia, videtur mihi ut has easdem neceſſitates, qvas pro ſollicitudine noſtrâ indagare potuimus, in medium proferamus, qvas cum approbaverit veſtra ſinceritas, ſit conſeqvens eligendum eſſe unum à noſtro numero conſacerdotem, qvi auxiliante domino orationibus veſtris & has ipſas neceſſitates ſuſcipere poſſit & gnaviter pergendas implere, perrecturus ad traſmarinas Italiæ partes, ut tàm ſanctis fratribus & conſacerdotibus noſtris, venerabili ſancto fratri Anaſtaſio, ſedis Apoſtolicæ epiſcopo, qvàm etiam ſancto fratri Venerio ſacerdoti Mediolanenſis Eccleſiæ neceſſitatem ipſam, ac dolorem, atqve inopiam noſtram valeat intimare. Ex his enim ſedibus hoc fuerat prohibitum, qvod noverint communi periculo providendum, maximè, qvia tanta indigentia clericorum eſt, multæqve Eccleſiæ ita deſertæ ſunt, ut ne unum qvidem diaconum vel illiteratum habere reperiantur. Nam de cæteris ſuperioribus gradibus & officiis tacendum arbitror, qvia ut dixi, ſi miniſterium diaconi facilè non invenitur, multo magis ſuperiorum honorum invenire non poſſe certiſſimum eſt, & qvotidiè nos planctus diverſarum penè emortuarum plebium jam non ſuſtinemus: qvibus niſi fuerit aliqvando ſubventum, gravis*

nobis & inexcuſabilis innumerabilium animarum pereuntium cauſa apud DEUM manſura eſt. In iſtis talibus neceſſitatibus excuſatos eſſe puto, qvi in eligendis miniſtris Eccleſiæ nullam ætatis rationem habent, dummodo munus commendatum utcunqve expedire qveant.

XX. Rectè autem dixit Alexander III, Pontifex *d. c. 7. X. de elect.* id qvod de qvibusdam pro neceſſitate temporis factum eſt, trahi â poſteris in exemplum non debere. Idem etiam dicendum puto de illis, qvi propter ſumma in Eccleſiam merita & propter fidem conſtantiſſimè probatam ad miniſterium Eccleſiaſticum promoti fuérunt. Nec aberrabit proinde, qvi verbis Gratiani ſupra adductis hæc Gregorii Nazianzeni *ex orat. in ſancta lumina*, ſubjunget: *Tertium ad eos ſpectat, qvi juvenili ætate confidunt, atqve ad inſtruendam doctrinâ plebem, aut Eccleſiæ præfecturam amplectendam tempus omne idoneum eſſe arbitrantur. Jeſus purgatur, & tu purgationem adſpernaris? â Johanne: & tu adverſus præconem tuum inſurgis? trigeſimum annum agens: & tu ante lanuginem ſenes doces, aut docere te poſſe credis, nec ab ætate, nec â moribus fortaſſe auctoritatem habens? Ac deinde hîc Daniel profertur ac nonnulli alii juvenili ætate judicum munere functi, atq; in ore ac lingva exempla ſunt. Qvisqvis enim injuſtè aliqvid admittit, facti ſui defenſiones in promptu habet. At pro Eccleſiæ lege neqvaqvam cenſendum eſt, qvod rarò accidit, qvandoqvidem nec hirundo una ver, nec geometram linea una, nec deniqve nautam una navigatio facit, &c.* Idem Gregorius *in oratione apologeticâ*, qvâ ſuæ in Pontum fugæ rationem reddit, graviter invehitur in eos, qvi præfecturam Eccleſiaſticam affectant, prius ferè, qvàm lanuginem primam abjecerint puerilíqve more balbutire deſierint.

XXI. Similia ſunt, qvæ ad Henricum Senonenſem Archiepiſcopum ſcribit Bernhardus Claræ vallenſis Abbas *epiſt. 42. Scholares pueri*, inqvit, *& impuberes adoleſcentuli ob ſanguinis dignitatem promoventur ad Eccleſiaſticas dignitates, & de ſub ferulâ transferuntur ad principandum presbyteris: lætiores interim, qvod virgas evaſerint, qvàm qvod meruerint principatum, nec tàm illis blanditur adeptum, qvam adeptum magiſterium. —— Nec dicimus qvamcunqve ætatem DEI gratiæ præmaturam, ſicut nec ſeram, cùm multos videamus juniorum ſuper ſenes intelligere, moribus antiqvare dies, prævenire tempora meritis, & qvod ætati deeſt, compenſare virtutibus. —— Bonus puer Samuel, qvi loqventi DEO promtus aderat auditor. —— Bonus & Jeremias, qvi ante ſanctificatus qvàm natus, cùm ſe excuſaret de pueritiâ, nihilominus conſtitutus eſt ſuper gentes & ſuper regna.*

Bonus

Bonus qvoqve Daniel, cujus Spiritum ſuſcitavit DEUS, ut convinceret iniqva judicia & ſangvinem innoxium liberaret. Deniqve cani ſunt ſenſus hominis & ætas ſenectatis vita immaculata. Sicubi hujuſcemodi puer ſenex promotus invenitur: opus DEI eſt his, qvi tales non ſunt mirandum, non imitandum. Ceterùm curritur in Clero paſſim ab omni ætate & ordine â doctis pariter & indoctis ad Eccleſiaſticas curas, tanqvā ſine curis jam qvisq; victurus ſit, cùm ad curas pervenerit, &c.

XXII. Hæc Bernhardi ſententia omnium optimè explicat, qvid de ætate miniſtrorum Eccleſiæ ſentiendum ſit, ut utrum certus ac determinatus annorum debeat eſſe numerus, ante cujus decurſum neminem promovere liceat. Nec enim in N.T. ulla ætati lex poſita eſt, niſi qvæ de viduis ad certas qvasdam operas Eccleſiæ præſtandas eligendis præſcripta invenitur, *1. Tim. V, 9.* Statutum ſiqvidem de anno trigeſimo prius expectando, anteqvam ſacris miniſteriis qvis adhibeatur qvod *Numeror. IV, 3. & 23.* extat, fuit Leviticum, ideoqve nos in N. T. haudqvaqvam obligat. Gerhard. *Loc. de miniſter. Eccleſ. in 185.* Et exemplum Timothei oſtendit, etiam adoleſcentes Epiſcopos fieri poſſe, *1. Tim. VI, 12.* Et dari adhuc iſtiusmodi juvenes, qvi mente prius caneſcunt, qvàm mento, qviqve prudentiâ ætatem ſuperant, negari neqvit. Sed uti rariora talia ſunt exempla, in qvibus eruditio ſimul & mores, charitatis, Zeli, fidei & puritatis teſtes concurrunt: ita rectè ait Bernhardus, ſicubi talis aliqvis inveniatur, opus Dei eſſe his, qvi tales non ſunt, mirandum, non imitandum.

XXIII. Nolim tamen immuturæ ætatis latitudinem tàm amplam facere, ut etiam pueris miniſteria Eccleſiaſtica committi poſſe putem. Gravi cenſurâ notavit Honorius III, Pontifex Epiſcopum Conventrenſem in Angliâ, qvod puerum tredecim annorum in diaconum promoviſſet. *Vel non eſt*, inqvit, *compos ſui Epiſcopus Conventrenſis, vel nimis videtur â ſe ſcientiam repuliſſe, qvi M. puerum latorem præſentium adhuc tredecim annorum contra ſacrorum canonum inſtituta, inordinatè in diaconum dicitur ordinaſſe, in ludibrium ordinis clericalis. Diſcretioni veſtræ mandamus, qvatenus ſi rem inveneritis ita eſſe, prædictum Epiſcopum â collatione ordinum ſuſpendentes, ipſum ut eidem M. qvem ab executione officii diaconi usq; ad ætatem legitimā in injuriam ſuſpendimus ordinantis, provideat in Eccleſiaſtico beneficio competenti, per cenſuram Eccleſiaſticam compellatis.* Decretalis hæc extat *c. 14. X.* de temp. ordinat. Ex qvâ patet, adoleſcente jam ſeculo decimo tertio, adhuc vigeſimum qvintum ætatis annum terminū conſtituiſſe, ex qvo qvis diaconatui aptus haberetur.

XXIV.

XXIV. Et manſit qvidem terminus iſte canonicus etiam ſeqventibus temporibus, etſi in praxi contrarium ferè obtinuerit, uti non tantùm ex allegatis teſtimoniis, ſed etiam plurimis aliis hiſtoriæ Eccleſiaſticæ ſcriptoribus liqvet. Elegantem ejus rei rationem reddit Goffredus de Trano, qvi circa annum M CCC, ſummam Decretalium edidit, ubi *ad tit. de ætat. & qval. ord. n. 1.* poſt relatos ætatis annos cuilibet ordini præſcriptos hanc addidit notam: *Sed qvamvis hæc temporaliter ſint ſtatuta; Epiſcopi tamen noſtri temporis in clericorum multitudine gloriantes, pueros ad ſacros ordines promovent, his interſtitiis non ſervatis. Facit hoc nimia Epiſcoporum remiſſio, qvi pompam multitudinis qværunt, & putant ex hâc turbâ aliqvid ſibi dignitatis adqviri, aut qvibus aliud præſtare non poſſunt, ordines largiuntur, qvod tamen oportet diſtricti ſemper eſſe judici, rarum eſt enim omne, qvod magnum eſt, &c.* Sed hæc omnia fiebant παρανόμως & contra ſancita Eccleſiaſtica, tam freqventi tamen & copioſo conſenſu, & contraria hæc conſuetudo facilè legem vinceret.

XXV. Cùm ergo antiqvus rigor & nimia ſeveritas obtineri amplius non poſſet, moribus hominum â priſtina ſanctitate & majorum innocentiâ ita degenerantibus, ut medicinâ omnem ſuperarent, Clemens V, Pontifex ſub initium ſeculi XIV cedere prævalidis & adultis vitiis maluit, qvàm hoc adſeqvi, ut palam fieret, qvibus abuſibus impar eſſet. Primus igitur â priſtinis Patrum ſtatutis, qvæ per mille annos hucusqve publicâ voce & decreto retenta fuerant, diſceſſit, legemqve conſcripſit, qvæ in *Clementin. ult. de ætat. & qval. præfic.* habetur, eum in finem, ut, qvia conſuetudinem receptam abrogare in totum non poterat, temperaret ſaltem, & ad laxiores qvidem ſed certos tamen ætatis annos reſtringeret: *Generalem*, inqvit, *Eccleſiæ obſervantiam volentes antiqvis juribus in hâc parte præferri, decernimus, ut alio non obſtante impedimento canonico, poſſit qvis liberè in decimo octavo ad ſubdiaconatus, in vigeſimo ad diaconatus, & in vigeſimo qvinto ætatis ſuæ anno ad presbyteratus ordines promoveri.*

XXVI. Hæc fuit prima lex publica, qvâ in Romanâ Eccleſiâ priſtinæ conſtitutiones immutatæ fuérunt. Secutum deinceps eſt ſeculo ſuperiore Concilium Tridentinum, qvod *Seſſ. 23. de reformat. c. 12.* in presbyteratu conferendo retinuit præſcriptum annum vigeſimum qvintum, ſed ad reliqvos ordines qvi promoveri deſiderant, paulo provectioris ætatis eſſe voluit. Canon ita habet: *Nemo ordinetur ad ſubdiaconatum ante vigeſimum ſecundum, ad diaconatum ante vigeſimum tertium, ad pres-*

presbyteratum ante vigeſimum qvintum ætatis ſuæ annum, neq; ab hoc exemti ſint regulares. Quia verò ætas iſta ſera adhuc viſa fuit Interpretibus, ut temporius Clericis liceret præbendis fruiniſci, ſufficere hîc ubique annum inceptum voluérunt. Joh. Gutierrez, *canon. qvæſt. lib. 1. c. 26. n. 8.* Paul. Piaſec. *prax. Epiſc. part. 1. c. 1. n. 23.* Thom. Sanchez, *conſil. moral. l. 7. c. 3. dub. 33. n. 4.* licet nonnulli diſſentiant, inter qvos eſt Nicol. Garcias *de benefic. part. 7. c. 4. n. 22.* cujus opinionem juvat, qvod anni olim definiti ipſos totos completos denotaverint, uti patet ex canonibus conciliorũ Arelatenſis III, & Toletani II ſuprą adductis. Qvanti aliàs circa hanc materiam excitentur diſputationum fluctûs, videri poterunt Antoninus Diana, *part. 12. reſolut. 48.* Petrus de Ledesma *de ſacra. ordinis c. 7.*

XXVII. Sed neq; ſic tamen firma ſatis fuit ætatis Clericalis deſcriptio, cùm licẽtia diſpenſandi adhuc manſerit Pontifici Romano, qvam non in minoribus tantùm, ſed etiam majoribus ordinibus & in ipſo deniqve Cardinalium Collegio exercere ſæpiuſculè ſolet. Qvid verò de diſpenſationibus iſtis ſentiendum ſit, ingenuo ore confitetur Petrus Gregorius *in inſtitut. de benefic. c. 37. n. 5. Non dubito,* inqvit, *qvin ſummus Pontifex habeat poteſtatem diſpenſandi propter plenitudinẽ poteſtatis in beneficiis. Sed non poſſum tacere has diſpenſationes eſſe maximè damnoſas Eccleſiæ & habere maximum animæ & puerorum & impetrantium periculum, dare gubernacula pueris, committere lumen cæcis. Facere enim nõ poteſt diſpenſatio, qvod infans mentem habeat, vel aliàs conjunctum beneficio divinum exerceat, qvia naturæ lex ei mentem negat, qvæ infringi nullà poteſt diſpenſatione, vel lege civili.*

XXVIII. Nec prætereunda hîc eſt cenſura, qvam de praxi hâc, in Eccleſiâ temerè receptâ, facit Claudius Eſpencæus, *lib. 4. de vot. continent. cap. 2.* ubi miratur, plus rigoris obſervari in ſcholis, qvàm in Eccleſiis. *Eqvidem,* inqvit, *majores noſtros non poſſum non approbare, qvi tantum ſtudiorum, artium, exercitiorum & omne genus diſputationum impoſuerint, ut vix tricenarii Theologiæ magiſterium Lutetiæ aſſeqvi poſſimus: idq; ſtatutum Pontificium, ſi tàm exactè in Doctoribus ſervatur, cur non ad eandem amuſſim tot Conciliares Pontificalesq; canones in paſtoribus exiguntur? Si doctores non iidem protinus paſtores, niſi jam ingraveſcentes non promoventur, cur paſtores iidem doctores, alioqvi depaſtores, non rarò, contra qvàm vos eſſe jubet Paulus 1. Cor. XIV. malitiâ provecti, ſenſu non adulti ordinantur? Et hic ergo in ſecularibus, qvos vocant, ordinandis mos, vel magis abuſus, qvia priſcis ſanctorum Patrum ſtatutis contrarius.*

Capvt VIII.

De officio & miniſterio Diaconorum in Sacris.

I. *Diaconi ad docendi miniſterium admiſſi.* II. *Locus Pauli 1.Tim.III,9. ex interpretatione Eſpencæi.* III. *Sarauiæ Bezæque controverſia, de Diaconorum munere docendi.* IV. *Non in Eccleſiis, ſed Synagogis docuerunt.* V. *Saravia contrarium adſerit & probat.* VI. Κηρύττειν *Diaconis attributum, qvid notet?* VII. *Ex Ambroſio monſtratur.* VIII. *Presbyteri è ſuggeſtu, Diaconi ad pulpitum ſtantes concionati.* IV. *Commentarii in epiſtolas Pauli Ambroſio tributi.* X. *Hilarii ſunt, urbis Romæ Diaconi.* XI. *Adverſus qvem oſtenditur, Diaconos prædicaſſe.* XII. *In adminiſtratione Sacramentorum diſpenſarunt.* XIII. *An & conſecrarint?* XIV. *Juſtinus cum Rufino commiſſus.* XV. *Ambroſius adſertus.* XVI. *Diaconus monialium, ex Juſtiniani mandato ordinandus.* XVII. Ἀναφέρειν, *victimas offerre, itemqve porrigere, exhibere.* XVIII. *Diaconi tantum diſpenſandi poteſtatem habuerunt:* XIX *Maxime circa ſymbola euchariſtica, jam conſecrata in caſu neceſſitatis.* XX. *Et presbytero concedente.* XXI. *Presbyter & diaconus nihil ſine præſcitu epiſcopi expediebant.* XXII. *Pœna in transgreſſores Diaconos incerta.* XXIII. *Diaconus inſcio Epiſcopo, aut abſente parocho, num hodie ſolenniter baptizare qveat?* XXIV. *Alia Diaconorum munia ex Iſidoro producta.* XXV. *Similia è Gratiano.* XXVI. *Iſidorus explicatus.* XXVII. *Diaconi ſacerdotibus adſiſtunt, miniſtrant, illorum cuſtodes.* XXVIII. *Patenam calicemqve in altari reponunt.* XXIX. *Calicum vitreorum ac vaſorum ligneorum uſus in Eccleſia.* XXX. *Oblationes in patena & calice.* XXXI. *Cur ita dicantur.* XXXII. *Menſa Domini.* XXXIII. *Diaconi ferebant crucem in proceſſionibus.* XXXIV. *Prædicabant Evangelium, & Apoſtolum.* XXXV. *Ceremoniæ Diaconorum lectioni adhibitæ.* XXXVI. *Officium precum.* XXXVII. *Non in horis canonicis conſiſtit.* XXXVIII. *Sed in precibus præviis ad fidelium animos præparandos.* XXXIX, *Earum mentio in Concilio Laodiceno.* XL. *Ve-*

terum

terum in myſteriis Chriſtianæ fidei peragendis reverentia. XLI. *Ab eucharistiæ adminiſtratione exeſſe jubebantur catechumeni, energumeni, pœnitentes.* XLII. *Catechumeni duum generum, ἀκροώμενοι & εὐχόμενοι.* XLIII. *Beneficium precationis qvibus fuerit impertitum? Competentes.* XLIV. *Miſſa catechumenorum.* XLV. *Cur iis non permiſſum ſacramentorum intereſſe myſteriis.* XLVI. *Ἀντίδωρον acceperunt.* XLVII. *Energumeni.* XLVIII. *Ab Euchariſtiæ communione excluſi.* XLIX. *Nec ad manuale in Eccleſiis miniſterium admiſſi.* L. *Cum catechumenis homilias audiebant.* LI. *Severa primitivæ Eccleſiæ diſciplina.* LII. *Pœnitentia publica.* LIII. *Ordines pœnitentium.* LIV. *Tempus pœnitentiæ delinqventibus præfinitum.* LV. *Diaconi exhortantur plebem ad preces.* LVI. *Singulis ordinibus denuntiant, ut exeant.* LVII. *Inde Miſſa dicta.* XVIII. *Recitant nomina.* LIX. *Præmonent preces ad Dominum, clamant.* LX. *Pacem anuntiant.* LXI. *Alia Diaconorum officia.* XLII. *Apoſtolis adhuc viventibus ampliora, qvam hodie.* LXIII. *Apud Diaconum facere exomologeſin qvid ſit?* LXIV. *Ex Albaſpinæi interpretatione.* LXV. *Ejus examen.* LXVI. *Abſolvendi poteſtas.* LXVII. *Exomologeſis ex mente Cypriani.*

BIBLIOTHEQUE DE LA VILLE LYON

I. Supra capite tertio abunde explicavi, qvem in finem primitùs ab Apoſtolis conſtituti fuerint Diaconi, ut curarent ſcil. eleemoſynas & τὰ βιωτικά. Non tamen omnes, qvi tùm temporis ordinati fuerunt, diu ſubſtitiſſe videntur in hoc munere, qvandoqvidem Apoſtoli ex illis, qvi probati erant, ad docendi miniſterium admiſérunt. Atqve hinc de Stephano *Act. VI, 8.* dicitur, qvod plenus gratiâ & fortitudine fecerit prodigia & ſigna magna in populo, & *verſ. 9.* qvod diſputaverit cum adverſariis veritatis, qvodqve illi neqviverint obſiſtere ſapientiæ & ſpiritui, qvi per illum loqvebatur. Sic & Philippus, qvi unus ex primis ſeptem diaconis erat, vocatur Evangeliſta, *Actor. XXI, 8.* ab officio ſcil. Evangelii, qvod prædicabat, qvemadmodum Evangeliſtæ conjunguntur Apoſtolis, Prophetis, Paſtoribus & Doctoribus, *Epheſ. IV, 11.* Inde Apoſtolus easdem ferè virtutes in diacono reqvirit, qvas in Epiſcopo, ideò ſcil. qvod qvi benè miniſtraverint gradum ſibi bonum acqvirant, *1. Timoth. III, 13.* hoc eſt, qvod gradum ſibi faciant, ut ad altiora officia Eccleſiaſtica promoveri qveant.

II. In hunc ſenſum explicat ſententiam Pauli, *1. Tim. III, 9.* Claudius Eſpencæus *in not.* Dixerat Paulus,

Diaconos habere debere myſterium fidei in conſcientiâ purâ. Hoc ita exponit Eſpencæus, debere in fidei arcano ſeu religione Chriſtianâ ſibi bene conſcios eſſe. Et addit: *Format enim diaconorum affectum tùm in fide, ut non eam tantùm ſimplicem, qvæq; de eâ populus intelligit, ſed ejus qvoqve ſecretorum, qvæ vulgi ſimplicitas capere non ſufficit, intelligentiam habeant, eorumq; rationem cuivis poſcenti reddere parati ſint, 1. Pet. 3. tùm in conſcientiâ, cùm enim hoc qvoq; inter diaconorum officium ſit, DEI verbum populo evangelizare, in cujus ſignum Evangelium eis legendum traditur, oportet eis fidei arcana laicis alioqvi occulta, qvæ alios docere valeant, eſſe nota. Verbi gratia, Chriſti mortē, reliqva ejus myſteria myſtica ſalutis eſſe noſtræ remedia, purè intelligere, de Domini humilitatibus non confundi & propter qvod ſolum ea prædicari debent, prædicare, divinum ſc. honorem in ſuâ doctrinâ, non v. proprium qvæſtum attendentes, &c.*

II. De docendi hoc munere circa finem ſuperioris ſeculi acriter diſceptatum fuit inter Hadrianum Saraviam & Theodorum Bezam, ejusdem Religionis ſocios. Scripſerat Saravia *libr. de diverſis gradib. miniſtr. Evang. c. 7. Mirum eſt, qvod non tantùm colligendæ pecuniæ diſtribuendæq;* operam dedêrunt (primi diaconi) *docendi etiam partes aſſumſiſſe videntur. Nam dum Stephanus ardentiùs Chriſtum docet, & de eo cum præfractis Judæis diſputat, primus Chriſti teſtis morte ſuâ factus eſt. Philippus verò Samaritanis qvoq; Evangelium nunciat, & baptizat credentes. Ex qvibus exemplis, qvid alii fecerint, cogitandum relinqvitur. Non enim, qvia de ipſis nihil ſcriptum eſt, æſtimandi ſunt fuiſſe otioſi. Nam & de Apoſtolorum Chriſti maximâ parte merum eſt ſilentium, qvos tamen certum eſt munere ſibi impoſito fideliter fuiſſe perfunctos.*

IV. Reſpondit Beza: *Docendi in Eccleſiâ functionem qvod tu non primus arbitraris, diaconis attributam fuiſſe, perabſurdum eſt exiſtimare. Qvid enim ineptius fuiſſet illâ Apoſtolorum petitione, deligendos eſſe nonnullos, qvi menſis ſimul & prædicationi vacarent, qvando ipſimet Apoſtoli verbi adminiſtrationem curare & menſis miniſtrare non poſſent?* Ad exemplum Stephani reſpondet, non dici eum docuiſſe in Eccleſia, ſed in Synagogis Judæorum, atqve in illis cuivis licuiſſe percontrari & reſpondere, talemqve fuiſſe poſtea conventuum Chriſtianorum morem, abundantibus in Eccleſiâ Spiritûs S. chariſmatibus; Philippum autem dici qvidem poſtea evangelizaſſe in Urbe Samariæ, ſed non amplius Hieroſolymis diaconum, & jam Evangeliſtam factum atqve Cæſareæ habitantem.

V. Rectè verò regerit Saravia, petitionem & propoſitionem Apoſtolorum

lorum non ita accipiendam eſſe, ac ſi pauperum & viduarum curam omnem abjecturi fuiſſent ipſi, atq; ſic eâdem ratione non cenſuiſſe eligendos eſſe tales, qvi docendi prorſus eſſent rudes, ut nihil eâ in parte auxilii paſtoribus præſtare poſſent. *Partiri*, inqvit, *operæ poſſunt, ut qvantum paſtores ſollicitudinis, curæq; pauperum, viduarum & pupillorum retinent, tantum diaconi de miniſterio paſtoris ferant; ſin minus ſaltem alter alterum, qvoad poſſet, juvaret.* De Stephano hoc reponit, non adiiſſe eum Synagogas, ut diſceret, ſed ut prophetias de Meſſia in domino Jeſu impletas eſſe doceret. Cui addo ego, Synagogam olim fuiſſe intra templum, qvod obſervandum docet Joh. Lightfoot, *in hor. Hebr. ad Luc. II. 46.* multumqve diſcriminis fuiſſe inter Synagogam & reliqvas Judæorum ſcholas, cùm illa templo & Eccleſiæ noſtræ reſpondeat, hæ verò noſtris Collegiis & Gymnaſiis Vid. Buxtorf. *in Synagog. Jud. p. 186.* adeoqve dum dicitur, Stephanum in Synagogâ docuiſſe, non licebit inde concludere aut inferre, eum non docuiſſe in templo. Philippum mavult Saravia jam ante Evangeliſtam fuiſſe, qvàm diaconus fieret, qvod ſuo loco relinqvo. Certè non deſiiſſe diaconum eſſe, dum Cæſareæ viveret, haud obſcurè produnt verba *Act. XXI, 8.* τοῦ ὄντος ἐκ τῶν ἑπτὰ, quæ etiam de præſenti accipi poſſunt. Ut maximè igitur non Hieroſolymis amplius extiterit, potuit tamen munus iſtud adhuc ſuſtinere, ſi præſentes alibi fuiſſent Apoſtoli.

VI. Tandem perſvadere vult Beza, illos omnes, qui tùm ex veteribus tùm ex recentioribus Scriptoribus exiſtimarunt, Diaconis etiam docendi munus impoſitum fuiſſe, deceptos eſſe ambiguâ ſignificatione verbi κηρύττειν, qvod paſtoribus attributum idem denotet, atque εὐαγγελίζεσθαι, in diaconis verò derò declaret illa diaconorum edicta, quibus dato orarii ſigno, actionum ſacrarum ritus & ordinem moderabantur. Videt ſibi obſtare Beza canonem ſecundum Concilii Ancyrarani, quod anno ſalutis noſtræ CCCXIV habitum fuit, in quo hæc habentur verba: *Diaconos ſimiliter qui immolavérunt, poſtea autem reluctati ſunt, illum quidem honorem habere placuit. Ipſos verò ceſſare ab omni ſacro miniſterio ſive panem vel calicem offerendi, vel prædicandi.* Textus Græcus ita habet: πεπαῦσθαι δὲ αὐτοὺς πάσης τῆς ἱερᾶς λειτουργίας τοῦ τε τὸν ἄρτον ἢ ποτήριον ἀναφέρειν, ἢ κηρύσσειν. Ubi, qvæ notat Chriſtophorus Juſtellus planè eadem ſunt cum illis, quæ à Beza adducta fuérunt. Et ſimul Matthæi Blaſtaris verbis explicat, qualiter ſe orarii illud ſignum habuerit, qvod ſe ex verbis Bezæ non intelligere ait Saravia. Quâ de re fortè infra pleniùs.

VII. Rectè autem reſpondet Saravia, vocabulum κηρύττειν de diaconis in utraqve ſignificatione dici, atque ipſos utrumque præſtitiſſe. Qvanquam enim ejus rei obſcura admodum extent veſtigia, ſuperſunt tamen aliqva, qvæ fidem facere poſſunt. Præter ea, qvæ collegit Saravia, ex commentario *in epiſt. ad Epheſ. cap. 4.* qvi Ambroſio Mediolanenſi vulgò tribuitur, hæc occurrunt valdè notanda: *Primum omnes docebant & omnes baptizabant quibuscunq; diebus vel temporibus fuiſſet occaſio: nec enim Philippus tempus quæſivit aut diem, quo Eunuchum baptizaret, neq; jejunium interpoſuit: neque Paulus & Silas tempus diſtulérunt, quo Optionem carceris baptizarent cum omnibus ejus: neque Petrus diaconos habuit, aut diem quæſivit, quando Cornelium cum omni domo ejus baptizavit; nec ipſe ſed baptizare juſſit fratribus, qui cum illo ierant ab Joppe. Adhuc enim præter ſeptem diaconos nullus fuerat ordinatus. Ut ergò creſceret plebs & multiplicaretur, omnibus inter initia conceſſum eſt, & evangelizare & baptizare & Scripturas in Eccleſiâ explanare. At ubi omnia loca circumplexa eſt Eccleſia, conventicula conſtituta ſunt, & rectores & cætera officia in Eccleſiis ſunt ordinata, ut nullus de Clero auderet, qui ordinatus non eſſet, præſumere officium, quod ſciret non ſibi creditum vel conceſſum, & cœpit alio ordine & providentia gubernari Eccleſia; quia ſi omnes eadem poſſent, irrationabile eſſet & vulgaris res & viliſſima videretur. Hinc ergo eſt, unde nunc neque diaconi in populo prædicant, nec clerici vel laici baptizant; neq; quocunq; die credentes tinguntur niſi ægri. Ideò non per omnia conveniunt ſcripta Apoſtoli ordinationi, quæ nunc in Eccleſia eſt, quia hæc inter ipſa primordia ſunt ſcipta, &c.*

VIII. Hoc vult, primis temporibus non ita fuiſſe ſecretum munus diaconi à munere presbyteri aut Epiſcopi, ut non liceret promiſcuè omnibus, evangelizare, baptizare, & Scripturas in Eccleſiâ interpretari, ſed hoc diſcrimen ſeqvioris Eccleſiæ eſſe inventum. Ut maximè ergo primi diaconi eleemoſynis præcipuè præfecti fuerint, docendi tamen munus pro re natâ & neceſſitate exigente ſuſcipere æqvè potuérunt, atqve Apoſtoli & reliqvi diſcipuli, cùm utiqve compatibilia hæc ſint officia & conjungi ſine confuſione facilè queant. Propterea in verbis paulo antecedentibus comparat diaconos cum Evangeliſtis. *Evangeliſtæ*, inquit, *diaconi ſunt, ſicut fuit Philippus, quamvis non ſint ſacerdotes, evangelizare tamen poſſunt ſine cathedrâ quemadmodum & Stephanus & Philippus memoratus.* Ex qvo colligere licet, hoc tantùm diſcriminis fuiſſe, qvod Epiſcopi & presbyteri ex cathedrâ aut ſuggeſtu conciones habuerint,

buerint, diaconi verò ad pluteum aut pulpitum in loco editiore ſtantes verba fecerint.

IX. Ne tamen hîc qvidqvam diſſimulem, verba iſta, qvæ adduxi, ſub Ambroſii qvidem nomine proſtare volui, vulgarem & diu olim ſervatam opinionem ſecutus, quâ commentarii iſti in univerſas Pauli Epiſtolas operibus Ambroſii inſerti adhuc inveniuntur, atq; pro verè Ambroſianis & à Synodo Pariſienſi, anno Domini DCCCXXIV, & ab Aquisgranenſi anno DCCCLXII, & circa idem tempus ab Hincmaro Rhemenſi, *lib. de prædeſtinat. cap. 33.* & à Prudentio Tricaſſino, *contra Joh. Scotum paſſim*, & ab aliis penè innumeralibus habiti fuerunt; Sed univerſos iſtos in Epiſtolas Pauli commentarios Ambroſii non eſſe, conſtans ferè inter eruditos hodiè eſt ſententia. Licet enim ſub Ambroſii nomine adhuc veniant quibuſdam, quando ſententiæ ſuæ patrocinantur, uti videre licet apud Bellarmin. *de Rom. Pontif. l. 2. c. 16. & c. 25. it. l. 1. de Cleric. c. 19.* Stapleton. *part. 2. prompt cath. p. 140.* Alan. Cop. *defenſ. purgat. c. 7.* pleriqve tamen alii agnoſcunt eſſe ſuppoſititios, Franciſc. Lucas Brugenſ. *annot. in Gal. 3, I.* Maldonat. *in Matth. 19, 9.* Baron. *tom. 5. annal. ad ann. 397. n. 38.* Ant. Poſſevin. *v. Ambroſ.* qvanqvam de autore eorum plurima adhuc ſit diſputatio, qvâ de re videri poteſt Gerhardus, *Loc. de conjug. n. 578.* Andr. Rivét. *Critic. ſacr. lib. 3. cap. 18.*

X. Pleriqve omnes, cùm animadvertunt, verba aliqva, quæ apud hunc PſeudoAmbroſium *in Epiſt. ad Rom. 5.* inveniuntur, ab Auguſtino contra duas Pelagianorum epiſtolas *lib. 4. cap 4* ſub nomine Sancti Hilarii citari, certiſſimum hinc ponunt fundamentum, Hilario potiùs alicui, quàm Ambroſio adſcribendum eſſe iſtum fœtum. Cumque inter Eccleſiaſticos Scriptores duo præcipuè celebres fuerint Hilarii, Arelatenſis alter, alter Pictavienſis Epiſcopus, PſeudoAmbroſius autem ſuo tempore Damaſum Eccleſiæ Romanæ Rectorem fuiſſe ſcribat *in 1. Tim. 3.* & hic Damaſus anno CCCLXXXIV. diem ſuum obierit, & Pictavienſis Hilarius antiqvior, Arelatenſis autem eo junior fuerit, neutri eorum commentarios iſtos adſcribi poſſe perſvaſum habent. Qvapropter veriſimilem ſibi dicit Gerhardus Johannes Voſſius, *in hiſtor. Pelag. lib. 2. part. 1. theſ. 6.* conjecturam Lovanienſium & Salmeronis, qvorum illi *in cenſurâ in Auguſt.* hic verò *comment. in Epiſt. Paul. diſp. 19.* ſtatuunt, opus iſtud eſſe Hilarii, Urbis Romæ diaconi, ejus, qvi ſchiſmati Luciferi Calaritani adhæſit, & hæreticos docuit rebaptizandos. Eandem tenet ſententiam Card. Bellarminus, *de Scriptor. Eccleſ. ſub Ambroſiò.* Qvicquid tandem hujus ſit, Ambroſio

Scri-

Scriptorem iſtum coævum fuiſſe, & de temporis ſui, qvod in ſeculum qvartum incidit, inſtitutis atqve moribus Eccleſiaſticis teſtem idoneum eſſe, nemo facilè ibit inficias.

XI. Qvod verò Hilarius iſte dicit, ſuo tempore diaconos in populo non prædicaſſe, non fuiſſe videtur catholicum. Proſtant enim conciones, qvas eodem ferè tempore de incomprehenſibili DEI naturâ, de anathemate, adverſus Judæos, in Diaconatu habuit Johannes Chryſoſtomus; itemque Ephraimi Syri Diaconi Edeſſeni ſermones eo tempore habiti tàm celebres deinde facti ſunt, ut teſte Hieronymo, *lib. de Script. Eccleſ.* poſt lectionem ſcripturarum publicè in quibuſdam Eccleſiis recitarentur. Ita etiam obſervo apud Philoſtorgium Cappadocem *lib. 3. cap. 17.* Leontium Antiochiæ Epiſcopum ordinatum Aëtium ad diaconatum promoviſſe, eiqve ut Eccleſiæ dogmata in Eccleſiâ doceret mandaſſe. Hunc vero diaconatum eqvidem ſuſcipere veritum docendi tamen munus admiſiſſe. Sed & apud Gregorium Magnum *lib. 4. epiſt. 44.* ubi res geſtas Synodi Romanæ, à ſe habitæ recenſet, legitur, diaconos eo tempore docendi munus ſuſtinuiſſe. Reprehendit enim receptum in Eccleſiâ Romanâ morem, qvod diaconi Cantores eligantur. *In ſanctâ*, inqvit, *Romanâ Eccleſiâ, cui divina diſpenſatio præeſſe me voluit, dudum conſvetudo eſt valdè reprehenſibilis exorta, ut quidam ad ſacri altaris miniſterium Cantores eligantur, & in diaconatûs ordine conſtituti, modulationi vocis inſerviant, qvos ad prædicationis officium, eleemoſynarumque ſtudium vacare congruebat, &c.* Verba habentur apud Gratianum, *c. in ſancta, diſt. 92.* Ex quibus patet, prædicandi poteſtatem non ita alienam fuiſſe ab munere diaconatûs, uti qvidam perſvaſum habent, licet ea non niſi jubente & conſentiente Epiſcopo exerceri potuerit. Et hæc de docendi officio.

XII. Alterum munus Diaconorum conſiſtit in adminiſtratione Sacramentorum, in qvâ tamen, qvæ partes fuerint Diaconorum, non uſqve qvaqve conſtat. Et conſecrationem, & diſpenſationem ſive diſtributionem illis competiiſſe olim, ſtatuit Johannes Juellus Epiſcopus Sariſburienſis adverſus Thomam Hardingum *artic. 2. pag. mihi 87.* De diſpenſatione nolim diſſentire, propter verba Juſtini martyris *ex apol. 2. Qvi apud nos diaconi dicuntur, dant unicuique eorum, qui adſunt, percipiendum panem, & vinum, & aquam, quæ cum gratiarum actione conſecrata ſunt, & ad eos qvi abſunt, perferunt.* Qvò etiam faciunt verba Cypriani *ſerm. 5. de lapſis: Ubi ſolennibus adimpletis calicem offerre diaconus præſentibus cœpit, &c.* Conſe-

cra-

erationem autem ſimiliter à diaconis factam fuiſſe ſubdubito, an ſatis probatum dederit Juellus. Verba enim Juſtini modo adducta præſupponunt, conſecrata jam ſymbola, antequam munus ſuum aggrediantur diaconi. Ab aliis igitur conſecrata ea fuiſſe, neceſſe eſt.

XIII. Verba Rufini ex *lib. 1. cap. 6.* parum faciunt. Ea ita ſe habent: *Præſentibus presbyteris diaconi ne dividant Euchariſtiam, ſed illis agentibus ſolum miniſtrent; ſi verò presbyter nullus ſit in præſenti, tunc demum etiam ipſis liceat dividere.* Juellus putat, hoc ſentire Rufinum, Diacono fas eſſe, ſi presbyter abfuerit, conſecrare populoq; miniſtrare. Agnoſcit autem, id aliqvâ ex parte pugnare cum canone decimo octavo Concilii Niceni. Imò verò non ex parte aliqvâ, ſed διαῤῥήδην, & κατὰ πάντα pugnare id fatebitur, quisquis Rufini verba ita accipiet, & attentiùs explicationẽ iſtam conferet cum canone Niceno. *Pervenit*, inqviunt Patres Niceni, *ad ſanctum magnumq; concilium, quod in quibuſdam locis & civitatibus diaconi preſbyteris Euchariſtiam præbeant. Quod neq; canon, neq; conſvetudo tradidit, ut qvi poteſtatem offerendi non habent, his qui offerunt corpus Chriſti porrigant.* Habetur apud Gratianum *c. pervenit diſt. 93.* ὥσπερ οὔτε ὁ κανὼν, ἤ οὔτε συνήθεια παρέδωκεν τοὺς ἐξουσίαν μὴ ἔχοντας προσφέρειν, τοῖς προσφέρουσι διδόναι τὸ σῶμα τοῦ χριστοῦ. Per προσφορὰν conſecrationem intelligi debere, ipſe contextus oſtendit, qui eam diſtingvit à δόσει, illamqve denegat, hanc verò tribuit Diaconis. Si igitur dividere apud Rufinum idem eſt, qvod conſecrare, talis ex ejus mente Diaconis competet ἐξουσία, qvalem nullatenus admittit canon Nicenus.

XIV. Dicis: non convenire ita Rufinum cum Juſtino Martyre, cùm Juſtinus permittat, diaconis ſymbola, à presbyteris conſecrata, præſentibus diſtribuere, Rufinus autem non permittat, niſi in abſentiâ preſbyteri. Ego verò, niſi ſtatuere velis, immutatum fuiſſe tempore Rufini morem Eccleſiæ priſtinum, plus crederem Juſtino, qvàm Rufino. Neqve enim is Vir eſt Rufinus, ut velis cum eo in tenebris micare. Eum jure optimo paſſim, & quidem acriter reprehendit Hieronymus, qvod poſt alios notant Theologi Lovanienſes in vulpe captâ, contra Johannem Martinez de Ripalda, *pag. 46. & 47.* Qvid recentiores de eo ſentiant, videri poterit apud Bellarminum, *de Script. Eccleſ. verb. Rufinus.* Baron. *in annal. paſſim*, ubi ſæpiſſimè eum erroris & falſi poſtulat, inprimis *tom. 2. ad ann. 258. n. 19. & ann. 142. n. 5. ſeq: tom. 3. ad ann. 327. n. 7. ann. 335. n. 38. ann. 355. n. 27. ann. 356. num. 81. ann. 359. n. 47. tom. 4. ad ann. 362. n. 234. 236. &c.* Joh. Dallæum *de uſu*

O *patr.*

patr. pag. 65. 122. 139. & de jejun. p. 253. & 426. Andr. Rivet. *in Critic. ſacr. lib. 4. c. 9.* Sed & de ipſo canone Niceno videri poſſunt, qvæ notat B. Chemnitius, *in exam. Concil. Trid. part. 2. pag. 286.*

XV. Alterum teſtimonium Juellus ex Ambroſii *lib. 1. de offic. cap. 41.* petit. Verba ita habent: *Non prætereamus etiam S. Laurentium, qvi cùm videret Xyſtum Epiſcopum ſuum ad martyrium duci, flere cœpit, non paſſionem illius, ſed ſuam remanſionem. Itaq; his verbis appellare cœpit: Quo progrederis ſine filio pater? Qvò ſacerdos ſancte ſine diacono properas? Nunqvam ſacrificium ſine miniſtro offerre conſveveras. Qvid in me ergò diſplicuit pater? Numqvid degenerem probaſti? Experire certè, utrum idoneum miniſtrum elegeris. Cui commiſiſti dominici ſangvinis diſpenſationem, cui conſummandorum conſortium Sacramentrum, huic conſortium tui ſangvinis negas, &c.* Ita legitur in editione Colonienſi, qvæ prodiit anno 1616. Sed Juellus pro verbis, *cui commiſiſti Dominici ſangvinis diſpenſationem*, legit: *cui commiſiſti dominici ſangvinis conſecrationem*, & perperam verba ab Eutropio corrupta atqve immutata putat, præſertim cùm ſeqvatur: *conſummandorum conſortium ſacramentorum, &c.* Rectè autem immutata dicit Claudius Eſpencæus, *digreſſ. lib. 1. cap. 5. circa fi.* Sed de corruptione & immutatione textûs cùm nihil certi conſtet, & conſummatio ſacramentorum de uſu eorum, diſpenſatione ſcil. & acceptione, in qvib. verè conſummantur, accipi poſſit, imbecille planè ex verbis iſtis Ambroſii naſcitur argumentum.

XVI. Tertium teſtimonium Juellus ex Juſtiniani Imperatoris *novellâ 123. cap. 36.* accerſivit. Agit ibi Imperator de vitâ aſceticâ, & jubet ut ſeorſim monachi, ſeorſim etiam moniales ſive Nonnæ; (de qvo vocabulo videri poterit Andreas Qvercetanus, *in not. ad Biblioth. Cluniacenſ. pag. 148.* Joh. Hornbeeck, *in exam. bull. pap. contra Jeſuitiſſas pag. 15.*) ſua habeant Cœnobia. Ut verò eſſent, qvi monialium negocia apud Epiſcopum agerent, & ſacra eis adminiſtrarent, jubet Imperator eam in rem presbyterum ſive diaconum ordinari. *Fœminis autem*, inqvit, *qvemcunqve ipſæ elegerint, ſive presbyterum ſive diaconum, ad faciendum eis reſponſum, aut ſanctam eis communionem portandam, ſanctiſſimus Epiſcopus ſub qvo ſunt, deputet, qvem rectæ fidei & vitæ bonæ eſſe cognoverit. Si verò qui ab eis electus eſt non ſit presbyter aut diaconus, dignum tamen eum hujuſmodi miniſterio epiſcopus judicaverit, ordinationem ei imponat, qvi dignus eſſe videbitur reſponſa, ſicut dictum eſt, monaſteriis diſtribuat, ita tamen, ut neqve ſic electus ad reſponſa fœminarum, in mo-*

monaſterio maneat. Nihil omninò hîc dicitur de conſecratione. Textus originalis græcus ita ſonat: εἰς τὸ ποιεῖν αὐταῖς τὰς ἀποκρίσεις, ἢ τὴν ἁγίαν αὐταῖς κοινωνίαν φέρειν, h. e. ut reſponſa reddat, & ſacram euchariſtiam ad eas ferat, ſive ut Gregorius Haloander reddit: *ut pro ipſis reſpondeat, aut ſanctam eis communionem deportet.* Innuitur ſcil. ritus ille priſtinus, qvo euchariſtia ad abſentes deferebatur, uti ex Juſtini Martyris ſupra allegato lòco patet.

XVII. Tandem Concilii Ancyrani canonem ſecundum, cujus etiam à nobis ſupra facta fuit mentio in partes vocat Juellus. Operæ precium erit, verba, qvæ huc faciunt, denuò adſcribere: Πεπαῦσθαι δὲ αὐτοὺς ſcilicet diaconos qvi immolaverunt & reſipuérunt, πάσης τῆς ἱερᾶς λειτουργίας, τῆς τε τὸν ἄρτον ἢ ποτήριον ἀναφέρειν, ἢ κηρύσσειν. *Placet ipſos ceſſare debere ab omni ſacro miniſterio, ſive panem vel calicem offerendi vel prædicandi.* Ἀναφέρειν etſi qvandoqve de victimarum oblatione aut ſacrificiis uſurpetur, *Hebr. VII, 27. XIII, 15. 1. Petr. II, 5.* ut tamen hic eodem modo ſumatur, nulla ratio ſvadet. Præter alias enim ſignificationes idem denotat qvod exhibere, porrigere, offerre. Et ſic prohibentur tales diaconi, qvi immolavérunt & ad Eccleſiam redíerunt, exhibere aut porrigere panem & calicem benedictum communicantibus. Neqve verò credibile eſt, eodem anno, qvi Chriſti fuit CCCXIV, Arelate in concilio *can. 15.* qvem ipſe adducit Juellus, prohibitum fuiſſe, ne diaconi offerrent; Ancyræ autem nihil tale prohibitum fuiſſe, ſed poteſtate eâ per delictum excidiſſe diaconos, niſi diſſenſum hîc inter Eccleſias Occidentales & orientales ſtatuere velis, qvod ſine manifeſto argumento non licet.

XVIII. Planior igitur mihi videtur ſententia eorum, qvi putant, diaconos nullam habuiſſe poteſtatem conſecrandi, ſed conferendi tantùm, exhibendi & diſpenſandi Euchariſtiam. Eoqve pertinent, ni fallor, verba Hieronymi, *ex epiſt. 85. Audio qvendam ad tantam erupiſſe vecordiam, ut diaconos presbyteris, i. e. Epiſcopis anteferret. Qvid patitur menſarum & viduarum miniſter, ut ſupra eos tumidus ſe efferat, ad qvorum preces Chriſti corpus & ſangvis conficitur?* Qvin imò videtur ipſa illa diſpenſandi poteſtás ſeqventibus temporibus reſtrictior facta, ut non competeret, niſi ex ſpeciali conceſſione Epiſcopi vel presbyteri, aut illis abſentibus. Et qvidem abſentiæ cauſam, juſtam facit permiſſionis ejus rationem. Gelaſius I Pontifex, *in epiſtolâ ad Epiſcopos Lucaniæ*, uti conſtat ex *c.*

diaconos diſt. 33. apud Gratianum. *Diaconos*, inqvit, *propriam conſtituimus obſervare menſuram: neqve ultra tenorem paternis canonibus deputatum qvippiam tentare permittimus: & nihil horum in ſuo miniſterio penitus applicare, quæ primis ordinibus propriè decrevit antiqvitas. Abſqve Epiſcopo vel presbytero baptizare non audeant niſi prædictis ordinibus fortaſſis longiùs conſtitutis neceſſitas extrema compellat: quod etiam Laicis Chriſtianis facere plerumqve conceditur. Sacri corporis erogationem (prærogationem aut prorogationem legunt nonnulli ex antiqvis codicibus) ſub conſpectu epiſcopi ſeu presbyteri, niſi his abſentibus, jus non habeant exercendi.* Et in hunc ſenſum accipi debent verba Rufini ſuprà nobis adducta, qvibus poteſtatem facit diaconis dividendi ſeu diſtribuendi Euchariſtiam, ſi presbyter nullus præſto ſit.

XIX. Sic enim obtinuit aliqvando, ut conſecrarentur à presbytero aut Epiſco ſymbola euchariſtica, eaqve vel illicò darentur communicantibus, qvi ea in ſudariolis & mantilibus domum ferebant, reſervabantqve in arculis, in caniſtris, in ſcriniis, donec ſumere liberet, vel etiam in Eccleſiis ipſis qvibuſdam reſervarentur in uſûs repentinos. Contigit enim nonnunquam, ut poſtqvam populus ſacra myſteria percepiſſet, qvædam particulæ ſacramenti intactæ relinqverentur. Eos autem ſancti patres, qvi illo tempore extitérunt, ad uſum profanum minimè duxérunt eſſe conferendas, verùm in proximum potiùs diem (qvotidianæ enim aliqvando erant ſynaxes) reſervandas eſſe judicàrunt, qvas in communione populus acciperet, aut perferre voluérunt ad ægrotos, ut ejuſdem fidei conſortes, & ejuſdem menſæ participes ſe eſſe confirmarentur. In tali ergò caſu ubi extra Eccleſiam communionem fieri oportebat, & qvandoqve in ipsâ Eccleſiâ, ubi neceſſitas exigebat, Diaconi in diſpenſatione aut diſtributione ſuam præſtare operam, & adjumento eſſe, tenebantur.

XX. Sanè ubi presbyter præſens erat, & conſecratio & exhibitio euchariſtiæ ad eum ſpectabat, ut proprium ejus officium. Chryſoſtomus *homil. 46. in Matth.* ὀυχ, ὁρᾷς, ὅτι τῷ ἱερεῖ μόνῳ θέμις τὸ τοῦ αἵματος ἀποδιδόναι ποτήριον, Non vides, qvaliter ſoli ſacerdoti licet calicem Dominici ſangvinis præbere. Et in hoc ſenſu accipiendum eſt, qvod in Concilio Laodiceno *can. 25.* conſtitutum legitur: ὅτι οὐ δεῖ ὑπηρέτας ἄρτον διδόναι, οὐδὲ ποτήριον ευλογεῖν, *qvod non deceat miniſtros panem dare, vel calicem benedicere*, ſi qvidem ὑπηρέτου vocabulum de diacono explicari debeat,

debeat, uti facit Gratianus, *c. non oportet diſt. 93.* quanquam de ſubdiaconis id accipiat Balſamon, Zonaras & Alexius Ariſtenus. Alicubi tamen faciliores erant presbyteri, & traditionem diaconis relinquebant, ut hoc veluti πρεσβεῖον eſſet, & ſumma dignitas, quam diaconus in ſacris adminiſtrandis ſuſtineret. Idque innuere videtur autor quæſtionum Veteris & Novi Teſtamenti, quæ Auguſtino vulgo, ſed perperam adſcribuntur, dum ait: *Diaconi ergo ordo eſt accipere à Sacerdote, & ſic dare plebi.* Quemadmodum etiam Autor Conſtitutionum Apoſtolicarum, *lib. 8. c. 28.* loquitur: *Diaconus non benedicit, neq; dat benedictionem; accipit verò ab Epiſcopo & presbytero: Non baptizat, non offert; oblatione v. ab Epiſcopo aut presbytero factâ ipſe diaconus dat populo, non tanquam ſacerdos, ſed tanquam, qui miniſtrat presbyteris.*

XXI. Ut maximè tamen aliqua Diaconorum propria eſſent, & ad officium eorum pertinerent, factum tamen eſt deinde per conſtitutiones Eccleſiaſticas, ut nihil omninò expediri ab eo poſſet, niſi ex præſcitu & conſenſu Epiſcopi. Primum & præcipuum diaconorum munus hoc fuit, ut in eleemoſynis diſtribuendis occupati eſſent. Et tamen ſucceſſu temporis ne in hoc quidem agere quicquam licuit, niſi conſcio & autore Epiſcopo, ſi qvidem credendum quod legitur in Conſtitutionibus, quæ dicuntur Apoſtolicæ, *lib. 2. c. 31.* Ita Philippus ſine præſcitu Apoſtoli alicujus baptizaſſe legitur, *Act. VIII, 12. 38.* Et tamen in Concilio Eboracenſi anno MCXCVI, conſtitutum legitur: *Decrevimus etiam, ut non niſi ſummâ & gravi urgente neceſſitate Diaconus baptizet vel corpus Chriſti cuipiam eroget, vel pœnitentiam confitenti imponat, ut juxta paternorum tenorem canonum huic ordini ſacerdotali propriè convenire decernat antiqvitas.* Imò verò multo ante, ſeculo nimirum tertio Tertullianus, *de baptiſm. c. 17.* diſertè ſcribit: *Supereſt ad concludendam materiolam, de obſervatione qvoq; dandi & accipiendi baptiſmum commonefacere. Dandi qvidem habet jus ſummus Sacerdos, qvi eſt Epiſcopus, dehinc presbyteri & diaconi, non tamen ſine Epiſcopi autoritate propter Eccleſiæ honorem, qvo ſalvo ſalva pax eſt.* Et Hieronymus *dialog. adverſ. Luciferian. Sine chriſmate & Epiſcopi juſſione neque presbyter neque diaconus jus habent baptizandi.* Eâdem ratione Concilium Carthaginienſe IV, *c. 38.* apud Gratianum *diſt. 93. c. præſente*, non aliter admittit Diaconum ad diſpenſationem euchariſtiæ præſente presbytero, niſi juſſum, & neceſſitate exigente: *Ut diaconus*, inquit, *præſente presbytero Euchariſtiam corporis Chriſti populo, ſi neceſſitas cogat, juſſus eroget.*

XXII. Fecit ea res, ut, cùm nulla

adhuc in transgreſſores, pœna Eccleſiaſtica ſtatuta eſſet, diſceptaretur inter Epiſcopos, quæ huic delicto proportione ſufficiens eſſe poſſet. Quæſitus eâ de re Fulbertus Carnotenſium Epiſcopus *in epiſt. 36.* quam ad Guidonem Coëpiſcopum ſcripſit, hunc in modum ratiocinatur: *Si diacono, qui ſe presbyterum ſimulavit, miſſamqve celebrare præſumſit, modum pœnitentiæ id divinis legibus propriè ſtatutum non invenimus, per ratiocinationem ſimilium ſic æſtimare poſſumus. Chore, Dathan & Abiron judicio DEI condemnati & horribili morte mulctati ſunt, eò quod Aaron Sacerdoti ſe comparare, ejusq; officium uſurpare præſumſerunt. Hic autem Levita more illorum illicitè ſibi ſacerdotium uſurpavit. Quis ergò in iſto dubitet eſſe mortale commiſſum, qui in illis Deo judice videt morte punitum? At quia jam Salvator noſter, qui venit ſalvare, quod perierat, non vult mortem peccatoris, ſed ut convertatur & vivat, clementer agitur, ut degradentur hujusmodi & inter Laicos pœnitentiam agant, &c.* Credo ego potiſſimam & Legis Eccleſiſticæ, quæ merè poſitiva eſt, & tantæ ſeveritatis in transgreſſores exercitè cauſam fuiſſe, ut hâc ratione ἀλαζονεία diaconorum comprimeretur, ne quando animos reſumerent adverſus Epiſcopos & presbyteros, quos non unis vicibus indignis modis exceperunt, uti infra pleniùs dicam.

XXIII. Qui hodiè inter Canoniſtas excellunt, ita docent, potuiſſe quidem in Eccleſiâ primitivâ diaconos propter penuriam miniſtrorum ſolenniter baptizare, ſed hodiè ratione officii id facere non poſſe ne quidem in extrema neceſſitate niſi de licentia Epiſcopi vel presbyteri, ita ut irregularitatem incurrant, ſi ſolenniter baptizare auſi fuerint ſine tali conſenſu, ut maximè habuerint conſenſum parochi. Abſente v. Epiſcopo ac presbytero, ac neceſſitate cogente poſſe Diaconum non ſolenniter baptizare, h. e. privatim. Similiter non poſſe ratione officii Euchariſtiam fidelibus miniſtrare, poſſe tamen datâ neceſſitate & in abſentiâ Sacerdotis, aut in ejus præſentiâ, ſi id juſſerit. Aug. Barboſa *de jur. Eccleſ. lib. 1. c. 35. n. 29. ſeq.* Petr. de Ledesma *de ſacram. cap. 6.* Antonin. Diana *part. 5. tr. 3. reſol. 28.* Sed qui tamen ipſi inter ſe & cum aliis non usqveqvaqve conſentiunt.

XXIV. Cæterum ſunt adhuc alia Diaconi munia in ſacris, qvæ veluti in compendio recenſet Iſidorus Hiſpalenſis, in epiſtolâ ad Leudefredum Epiſcopum Cordubenſis Eccleſiæ, & habetur ſub actis Concilii Toletani VIII, apud Gratianum *c. perlectis diſt. 25. Ad Diaconum*, inquit, *pertinet, aſſiſtere Sacerdotibus, & miniſtrare in omnibus, quæ aguntur in Sacramentis Chriſti, in baptiſmo ſcil. in chriſmate, in patenâ & calice obla-*

oblationes inferre, & diſponere in altario, componere menſam Domini, atq; veſtire, crucem ferre, prædicare Evangelium & Apoſtolum. Nam ſicut Lectoribus vetus teſtamentum, ita diaconibus novum prædicare præceptum eſt. Ad ipſum quoque pertinet officium precum, recitatio nominum, ipſe præmonet preces ad dominum, ipſe hortatur orare, ipſe clamat, & pacem ipſe annunciat. Ultima hæc verba aliàs ita leguntur: ipſe præmonet aures habere ad DEUM, ipſe hortatur clamare, ipſe donat pacem & ipſe annunciat.

XXV. Similia refert idem Gratianus *c. diaconi diſt. 93.* ex Hieronymi *libr. de ſeptem ordin. Eccleſ. Diaconi ſunt, qvos in apocalypſi legimus, ſeptem angeli Eccleſiarum, hi ſunt ſeptem candelabra aurea, hi ſunt voces tonitruorum virtutum operatione præclari, humilitate præditi, qvieti, humiles, evangelizantes pacem, annunciantes bona, diſſenſiones & rixas & ſcandala reſecantes: docentes: ſoli DEO colloqventes in templo: nihil penitus de mundo cogitantes: dicentes Patri & matri, non novi vos, & filios ſuos non agnoſcentes. Sine his ſacerdos nomen non habet, ortum non habet, officium non habet. hic miniſter DEI dicitur, ſcriptum eſt: major eſt, qvi miniſtrat, qvàm cui miniſtratur. & ſicut eſt in ſacerdote conſecratio, ita in miniſtro Sacramenti diſpenſatio. Sacerdotibus etiam propter præſumtionem non licet de menſâ domini calicem tollere, niſi ei traditus fuerit â diaconis. ita enim Dominus noſter omnipotens univerſa diſpoſuit, ut qvi majorem ſe eſſe crediderit, minor eſſet, & qvi minor videretur, major exiſteret. Deniq; qvàm hoc verum ſit, tu ipſe perpende. Levitæ componunt menſam Domini, Levitæ ſacerdotibus, cùm ſacramenta benedicunt, aſſiſtunt: Levitæ ante Sacerdotes orant, ut ſi diſtinctio locorum creditur in mundo, etiam in altari DEI videant ſibi Epiſcopi, qvi ſuperbi ſunt, diaconos anteponi, ſi humilitatem diligunt, & diaconi majores ſe eſſe in eo, qvod ſunt humiles recognoſcant. tunc demum ut aures habeamus ad DEUM, diaconus acclamat, ipſe prædicat, ipſe hortatur, ipſe etiam commonet adſtantibus ſacerdotibus, ne leviter hanc vocem, qvâ loqvitur hæc & pacem annunciat, audiant, aut negligenter adſpiciant, &c.*

XXVI. Ut verò de Iſidori verbis exactius conſtet, qvale in illis deſcribatur diaconorum miniſterium, breviter nonnulla adjiciemus, qvæ commentarii vicem ſubire poſſint. Præmonendum autem hoc eſt, non facilè carere poſſe cultum divinum cèremoniis atqve ritibus externis; qvamqvam in primitivâ Eccleſiâ oppidò ſimplices illi fuerint, nec alii ferè, qvam qvi Scripturæ habuérunt mandatum atqve exemplum. Poſtea autem ſuperaddi paulatim cœpérunt alii, conſilio primùm nec

malo,

malo, nec impio, ut ſcil. homines invitarentur ad verbum, ad Sacramenta, & ad cætera pietatis exercitia: ut doctrina commodius proponeretur, pluris fieret, avidiùs acciperetur, & meliùs retineretur, utque accenderetur & foveretur pœnitentia, fides, oratio, pietas, miſericordia & reliqvæ Chriſtianæ virtutes, utque κατὰ τάξιν καὶ εὐσχημοσύνην omnia peragerentur. Nec ſentiendum tamen eſt, ordinationes illas humanas juſtitiam mereri coram Deo, aut in illis qvicqvam eſſe, qvod acceptos nos reddere qveat, aut cultûs eſſe neceſſarios ad juſtitiam Evangelii, aut ineſſe illis phyſicam aliquam agendi virtutem, ſed ſtatuendum eſſe res omnino adiaphoras & indifferentes, non quidem ita, ut privatâ autoritate introduci & abrogari poſſint, ſed ut Eccleſia libertatem habere intelligatur eaſdem mutandi, corrigendi, abrogandi & prorſus tollendi, ſi ad ædificationem utiles eſſe deſinant, & â ſalutari fine atqve uſu in ſuperſtitionem atque abuſum degenerent.

XXVII. Primùm ait Iſidorus, diaconum aſſiſtere debere ſacerdotibus & miniſtrare in omnibus, qvæ agantur in Sacramentis Chriſti. Per ſacerdotes intelligit tùm Epiſcopos tùm presbyteros, qvi generali ſacerdotum nomine veniunt, uti ex plurimis conſtitutionibus Codicis Juſtinianei, *ſub tit. de Epiſcopis & cler.* apparet. Diſertè magis hoc ſtatuitur in Concilio Carthaginienſi IV, *can. 37.* apud Gratianum *can. diaconi, diſt. 93.* *Diaconi ita ſe presbyteri, ſicut Epiſcopi miniſtros eſſe cognoſcant.* Quomodo autem aſſiſtere aut miniſtrare debeant, exponit Anacletus Papa *epiſt. 1.* qvæ allegatur Gratiano *c. epiſcopus 56. de conſecrat. diſt. 1.* *Epiſcopus DEO ſacrificans teſtes ſecum habeat in ſolennioribus diebus aut ſeptem aut qvinq; aut tres diaconos, qvi oculi ejus dicuntur, & ſubdiaconos atqve reliqvos miniſtros, qvi ſacris induti veſtimentis in fronte & á tergo, & presbyteri è regione dextrâ lævâq; contrito corde & humiliato ſpiritu ac prono ſtent vultu, cuſtodientes eum â malevolis hominibus, & conſenſum præbentes ſacrificio.* Conſimilia leguntur in Evariſti Papæ *epiſt. 1.* quæ eſt ad Epiſcopos Africanos: *Diaconi, qvi qvaſi oculi videntur eſſe Epiſcopi, in unaqvâq; civitate juxta Apoſtolorum conſtituta ſeptem debent eſſe, qvi cuſtodiant Epiſcopum prædicantem, ne aut ipſe ab inſidiatoribus qvoqvo modo infeſtetur, aut lædatur â ſuis, aut verba divina detrahendo aut inſidiando polluantur vel deſpiciantur, ſed veritas ſpirituali redoleat fervore, & pax prædicata labiis animi cum voluntate concordet, &c.* Hanc cuſtodiam ita factam interpretatur Franciſcus Turrianus, *in can. 62. concilii Niceni*, qvem ex Arabico tranſtulit, ut duo diaconi Epiſcopo eſſent ad dexteram,

ram, duo ad ſiniſtram, duo retrò & unus à fronte. Alibi, ubi defendit epiſtolas à PſeudoIſidoro collectas *lib. 5. c. 24.* rationem ſeptenarii, aut qvinarii, aut ternarii hanc reddit. *Aut duo ſunt*, inquit, *qvi utrumqve latus cuſtodiant, & duo item à tergo, & item duo à fronte, & unus diaconus, qvi diſcurrat, neceſſe eſt, miniſtrandi cauſa. Aut duo ad dexteram & ſiniſtram, & unus à tergo, & item unus à fronte, & qvintus qvi diſcurrat: aut duo presbyteri utrinqve & unus diaconus ad diſcurrendum.* Sed & Anacleti & Euariſti epiſtolas ſpurias eſſe & ſuppoſititias eruditè oſtendit David Blondellus *in Pſeudo Iſidoro*, ut adeò, qvicqvid ex illis de cuſtodiâ Epiſcoporum refertur, non ex iſtorum Pontificum & antiqvioris, ſed multo recentioris Eccleſiæ ceremoniis petitum videatur. Et illam diaconorum à Turriano diverſimodè ordinatam τάξιν, ut abſurdam convincit Blondellus *d. l. p. 117.* Nec ſatis capio, quî cuſtodia diaconorum etiam hoc efficere poſſit, ut Epiſcopi labia cum animi ſenſibus conveniant. Eſt enim conſenſus ille ſermonis & cogitationum actus merè internus, neqve dignoſci à qvoqvam poteſt, tantum abeſt, ut alterius obſervationi ſubjici qveat.

XXVIII. Pergit Iſidorus, ad officium diaconi ſpectare, ut in patenâ & calice oblationes inferat & diſponat in altari. Ubi ex verbis antecedentibus ſtatuendum, munus deferendi ad altare patenam & calicem ad ſubdiaconum ſpectare. Diaconi ergo munus erit, patenam & calicem à ſubdiacono accipere, & in altari reponere. Ceremonias adhuc prolixiores refert & deſcribit Ordo Romanus, qvas neceſſe non eſt ut hìc recenſeamus, cùm recentiores illæ ſint, & cum ſuperſtitione conjunctæ: Cæterùm à primis Eccleſiæ incunabulis patenas & calices in uſu fuiſſe nemo facilè negabit, ſed vitreos plerumqve, id qvod ex variis antiqvitatis documentis conſtat. Liber Pontificalis, qvi Damaſo Pontifici vulgo, ſed falſo adſcribitur, & vel Anaſtaſium Bibliothecarium, vel alium eo antiqviorem autorem habet, in vitá Zephyrini mentionem facit patenæ vitreæ, quam ex præſcripto deinceps uti deberet Eccleſia. Idem de Zephyrino teſtatur Valafridus Strabo, *de reb. Eccleſ. cap. 24. Zephyrinus*, ait, *Pontifex Rom. patenis vitreis miſſas celebrare conſtituit.*

XXIX. Eâdem ratione etiam calicibus vitreis uſam fuiſſe aliqvando Eccleſiam locuples teſtis eſt Cyprianus Gallus in vitâ Cæſarii Epiſcopi Arelatenſis, qvi claruit temporibus Theodorici Regis Italiæ, *Annon*, inqvit, *in vitro habetur ſangvis Chriſti?* Et Epiphanius, *in Panar. hæreſ. 34.* refert, Marcum qvendam hæreſiarcham Apoſtolorum temporibus proximum, æmulatum Eccleſiam

catholicam, calice vitreo, qvo in ſacris ſuis utebatur, populum ita dementaſſe, ut color vini albus, qvi foris apparebat in vitro, qvibusdam præſtigiis in rubrum mutaretur, atque vinum in ſangvinem verſum crederetur. Sic & Hieronymus *epiſt. 4. ad Ruſticum*, agens de Exuperio Epiſcopo Tholoſano, non obſcurè vitrei calicis mentionem facit, dum ait: *Nihil illo ditius, qvi corpus Domini caniſtro vimineo, ſangvinem portat in vitro.* Donatus Epiſcopus Aretinus fractum â paganis calicem vitreum orando inſtauravit, ſi credendum dialogis, qvi Gregorii I nomen ferunt. Nec dubito, de vitro accipiendam eſſe calumniam, qvâ apud Conſtantinum, Imperatorem & in Concilio Tyrio Athanaſium fracti calicis poſtularunt Euſebiani, & Miletiani, & qvotqvot in abdito tùm temporis Arianiſmum fovêrunt. Vid. ipſe Athanaſius *apol. 2.* Baron. *ad ann. 329. n. 4. & 335. n. 17.* Alicubi verò etiam lignea vaſa in uſu fuiſſe, ex deliberationibus, qvæ in Concilio Tribürienſi & Rhemenſi habitæ fuêrunt, conſtat, ubi & vitrei, & lignei calices prorſus prohibiti fuêrunt. Verba refert Gratianus *c. vaſa 42. & c. ut calix 43. de conſecrat. diſt. 1.* Add. Cæſ. Baron. *in martyrol. ad d. 7. Auguſti.* Severin. Binius *ad vit. Zephyrini Pap.* Joh. Steph. Durant. *de ritib. Eccleſ. lib. 1. c. 11. & lib. 2. c. 50.* Joh. Georg. Dorſcheus, *in pentadec. diſſ. 8. n. 10.* Andr. Rivet. *in Cathol. Orthodox. tr. 2. q. 30.* Sive autem vitrea ſive lignea, ſive aurea & argentea, ſive deniqve ſtannea fuerint iſthæc Eccleſiæ vaſa, qvibus ſacroſancta peraguntur myſteria, ad diaconorum officium pertinere vult Iſidorus, ut ab eis in altari reponantur. Unde altare ſedes & corporis & ſangvinis Chriſti dicitur Optato Milevitano *adverſ. Donatiſtas lib. 6.*

XXX. Qvod autem dicit Iſidorus, oblationes in patenâ & calice inferri oportere, per oblationes intelligi voluit materiam Sacramenti Euchariſtiæ terreſtrem, panem ſcil. & vinum. De his enim vocabulum oblationis ætate Iſidori uſurpatum fuiſſe oſtendit canon ſextus Concilii Toletani XVI, an. Domini DCXCIII, celebrati: *Ad conventus noſtri agnitionem delatum eſt, qvod in qvibusdam Hiſpaniarum partibus qvidam Sacerdotum, partim neſcientiâ impliciti, partim temerario auſu provocati non panes mundos & ſtudio præparatos ſupra menſam Domini in ſacrificio offerant, ſed paſſim qvomodo unumqvemq; aut neceſſitas impulerit, aut voluntas coëgerit de panibus, ſuis uſibus præparatis, cruſtulam in rotunditatem auferant, namq; ſuper altare cum vino & aqva pro ſacro libamine offerant. —— Unde temeritatis hujus aut neſcientiæ cupientes terminum ponere id unanimitatis noſtræ delegit conventus, ut non aliter panis in altari Domini,*

ni, Sacerdotali benedictione ſacrificandus proponatur, niſi integer & nitidus, qvi ex ſtudio fuerit præparatus; neqve grande aliqvid ſed modica tantùm oblata, ſecundum qvod Eccleſiaſtica conſvetudo retentat, cujus reliqviæ aut ad conſervandum modico loculo, abſqve aliqvâ injuriâ faciliùs conſerventur, aut ſi ad conſumendum fuerit neceſſarium, non ventrem illius qvi ſumpſerit, qvvis farciminis onere premat, nec qvod in digeſtionem vadat, ſed animã alimoniâ ſpirituali reficiat &c. Qvid de conſtitutione hâc ſentiendum ſit, dicere nunc nihil attinet, ſiqvidem de ſolâ vocabuli oblationis ſignificatione nobis cura eſt. Videri tamen â curioſo poterunt, qvæ de formâ placentularum orbicularium adverſus Theodorum Zuingerum diſputat Joh. Georg. Dorſcheus, *in exercitat. ad diatypoſin Concilii Niceni de Cœnâ ſect. 2. n. 38.*

XXXI. Oblationes ſcil. dicebantur ideò, qvod ab initio offerrentur â communicantibus. Offerentes enim etiam communicabant, nec â non communicantibus olim oblationes recipiebantur. Et inter ea, qvæ offerebantur, eſculenta plurima erant atqve potulenta, ex qvibus deinde elementa Euchariſtiæ ſumebantur. Poterat autem communicans etiam non offerre, ſi id facultates non permitterent. Interim qvi offerebat, etiam communicabat. Ambroſ. *ſerm. 34. Omnes Chriſtiani omni Dominicâ debent offerre & communicare. In Qvadrigeſimâ verò moneo, ut die omni, aut ſaltem, ut dixi, omni Dominicâ offeratis & communicetis.* Auguſtinus *ſerm. 63. Oblationes, qvæ in altari conſecrentur, offerte. Erubeſcere debet homo idoneus, ſi de alienâ oblatione communicet.* Aliqvando tamen, qvod Canon Toletanus ſupra adductus innuit, ipſi Sacerdotes panes domi ſuæ confectos afferebant, & in altari reponebant. Sed hæc obiter & qvaſi per ſaturam.

XXXII. Ait Iſidorus, debere Diaconum componere menſam Domini atqve veſtire. Τράπεζα Κυρίου dicitur etiam ab Apoſtolo, *1. Cor. X, 21.* ubi Euchariſtiam Apoſtolus confert cum epulo, qvod apud Ethnicos plerumqve inſtruebatur poſt peractum ſacrificium. Vid. Petr. Molineus *tr. de altar. & ſacrif. cap. 5.* Nec tamen neceſſe eſt, ut in omnibus Patrum dictis, ubi menſæ Domini mentionem faciunt, immediatè ipſam Euchariſtiam intelligamus, uti innuere videtur If. Caſaubonis, *exercitat. 16. n. 36.* Sed materialis ſæpenumerò menſa eo nomine venit, cum apparatu tamen illo ſancto & divino, qvi ex divinâ inſtitutione inſtruitur, aut in reſpectu ad eum habito. Qvomodo & Iſidorus eam hîc intellectam voluit. Hanc ipſam ſcil. componere atqve veſtire debent Diaconi. Linteis namqve altaria olim tegi & ornari conſveviſſe Optatus Mile-

vitanus teſtis eſſe poteſt, qui *lib.6. adverſus Donatiſtas* ait: *Qvis fidelium neſcit inperagendis myſteriis ipſa ligna linteamine cooperiri? Inter ipſa Sacramenta velamen potuit tangi, non lignum.* Præcepit id Synodus Rhemenſis apud Burchard. *l.3. c.97. Altaria in qvibus Corpus dominicum conſecratur, ſangvisqe ejus hauritur, cum omni veneratione honoranda ſunt, & mundisſimis linteis ac palliis cooperienda.* Imò verò calamitatis & luctûs publici hoc erat indicium, ſi altare linteaminibus ſuis nudatum, aut aliâ veſte lugubri accinctum fuiſſet, id qvod tamen ſeculo ſeptimo ex livore & vindictâ ſæpè facti tare ſolebant Clerici, graviter propterea reprehenſi in Concilio Toletano XIII, *c.7.* Verba recenſet Gratianus *c. qvicunqve 26. q. 5. Qvicunqve ſacerdotum vel aliorum miniſtrorum deinceps causâ doloris cujuslibet permotus aut altare veſtibus ſacris exuere præſumſerit, aut qvalibet aliâ lugubri veſte accinxerit, ſeu etiam conſveta luminariorum obſeqvia de templo DEI ſubtraxerit, & extingvi præceperit: ſi eum antea veræ pœnitudinis coram metropolitano ſatisfactio non purgaverit, loci ſui dignitate ſe noverit & honore privari: illis procul dubio perſonis ab hâc ultionum ſententia ſeparatis, qvas aut contaminationem ſanctorum Ordinum, vel ſubverſionem ſanctæ fidei metuentes, aut hoſtilitatem vel obſidionem perſerentes, ſeu etiam divinorum judiciorum ſententiam metuentes hæc feciſſe contigerit: in qvorum facto plus humilitas, qvâ DEUS placatur, qvàm interni livoris doloſitas declaratur, &c.*

XXXIII. Qvartum Diaconi officium ab Iſidoro relatum eſt, qvod debeat crucem ferre. Id de proceſſionibus intelligit Nicolaus Serarius *de ſacr. proceſſ. lib. 1. cap. 6. ſub num. 1.* Et qvidem ſeculo Juſtiniani publicas ejusmodi ſupplicationes & litanias in proceſſionibus factas, atqve cruces adhibitas fuiſſe ex *Novellâ 123. c.32. patet: Sed & ipſas honorandas cruces, cum qvibus & in litaniis ingrediuntur, non alibi niſi in venerabilibus locis reponi, & ſi qvando opus vocaverit ad litanias celebrandas, tunc ſolum ipſas ſanctas cruces accipere eos, qvi conſvetè eas portare ſolent, & cum Epiſcopo & Clericis litanias celebrare, &c.* Qvæ verba oſtendunt, non præciſè diaconorum hoc fuiſſe munus, ut crucem portarent, ſed ſecundum receptam conſuetudinem, etiam alios. In Eccleſiâ Conſtantinopolitanâ Archidiaconum aliqvando crucem tuliſſe, teſtis eſt Georgius Codinus Curopalata, *de offic. Conſtantinop. cap.9.* Et qvia ex ſacris his proceſſionibus ortum deinde cœperunt proceſſiones aliæ, qvibus eximiæ dignitatis Viri ad Urbem accedentes crucibus antelatis excipiebantur,

tur, de qvibus eruditè agit Petrus de Marca *diſſertat. de primatib. num. 129.* Archiepiſcopi etiam promiſcuè omnes in Concilio Viennenſi poteſtatem acceperint, ut elatâ cruce in omnibus locis provinciæ ſuæ procedere qveant *c. Archiepiſcopo, de privilegiis in Clementinis*, utrum cruces iſtæ ſemper à diaconis ferri conſveverint, videant illi, qvi *διαζονείας* hujus ſpectatores ſunt & admiratores. Qvid verò de ſacris illis proceſſionibus ſentiendum ſit, videri poteſt apud Andr. Rivet *in Cathol. Orthod. tract. 2. q. 39.* Add. Fr. Florens *in diſſertat. Canon. pag. 68. ſeqq.*

XXXIV. Qvintum Diaconi officium eſt prædicatio Evangelii & Apoſtoli, h. e. Epiſtolarum Apoſtolicarum. *Nam*, inqvit Iſidorus *ſicut Lectoribus vetus teſtamentum, ita diaconibus novum prædicare præceptum eſt.* Dixerat enim in antecedentibus: *Ad Lectorem pertinet Lectiones pronunciare, & ea qvæ Prophetæ vaticinarunt, populis prædicare.* Gloſſa hîc prædicationis verbum inflectit: *Prædicare, id eſt, legere, ne ſit contra XVI, q. 1. c. adjicimus.* Sed ibi Leo Papa Sacerdotis vocabulum in latiore ſignificatu accipit, dum monachis & Laicis opponit, qvos ab officio prædicationis excludit. Sacerdotis enim vocabulum promiſcuè ſæpè de Clericis ſumi notum eſt. Ipſum etiam Lectoris officium non nudam *ἀνάγνωσιν* & ſimplicem verborum pronunciationem denotaſſe videtur, ſed additam inſuper aliqvalem expoſitionem literalem, & paraphraſin extenſiorem. Qvorſum enim in Eccleſiâ Africanâ officium iſtud non niſi provectæ ætatis, meritis inſignibus & eruditione claris perſonis delatum fuiſſet, qvod ex Cypriano aliqvot exemplis probat Cardinalis Baronius, *in martyrol. d. 13. Jul.* ſi in nudâ & ſimplici præſcriptorum verborum recitatione illud conſtitiſſet. Ad hoc enim nulla eruditio, nulla meritorum præſtantia, nec ætas provectior reqviritur. Fuiſſe verò ſeqvioribus temporibus prædicationem ſolis Epiſcopis & presbyteris retentam, excluſis aliis omnibus, negari non poterit. Qvin & ab illis deſertam aliqvando hanc provinciam fratribus Regularibus ceſſiſſe, indeqve argumentum diſputationis inter Epiſcopos & Regularium Generales in Concilio Tridentino ſubitò enatum fuiſſe, teſtis eſt Petrus Svavis, *in hiſt. Concil. Trid. lib. 2.*

XXXV. Cæterùm, qvi ritùs, qvæve ceremoniæ adhibitæ deinceps fuerint Lectioni ejuſmodi, qvam Diaconus abſolvere tenebatur, non erit hîc alienum, ex Ruperti Abbatis Tuitienſis *lib. 1. de div. offic. cap. 36.* addiſcere: *Mittit Sacerdos diaconum ad legendum ſanctum Evangelium petitam dando benedictionem*,

qvod ſubdiacono prius Epiſtolam lecturo non fecerat. Legem enim & Prophetas inviſibilis inviſibiliter miſit. Apoſtolos autem & Evangeliſtas, qvorum Diaconus perſonam gerit, viſibilis factus, & ſanctam Eccleſiam, ſponſam videlicet ſuam oſculans oſculo oris ſui viſibiliter miſit & docuit. Accipit diaconus textum ſancti Evangelii, qvod bajulans ad lectricium, efficitur pes Chriſti. Præcedunt ceroferarii cum thuribulo, per quæ ſignificantur gaudium & bona opinio. Gaudium enim ſemper eſt in bono nuncio -- Qvi locus ſi ſit dies feſtivus, qvando ſolet convenire populus, eminentior eſt, ut ex ipſo ſtatu commoneatur diaconus, qvod is, qvi ſurſum ad dominum deſidem invitat populum ſtare debeat in monte virtutum, -- Qvam ejus fortitudinem & ſtola prædicat, qvæ ſuper humerum poſita inde uſqve ad ſuccinctionem lumborum deducitur, qvod fortitudinem ad vocem exaltandam tunc habeat, ſi fortis ſit ad operandum & ſuccinctus contra pugnas libidinum. -- Præcedit ſubdiaconus diaconum portans, qvem Evangelio ſubſternat, pulvillum, qvia videlicet ad omne, qvod loquitur Evangelium lex competens ſuggerit teſtimonium. Summa verò reverentia debetur ad audiendum Evangelium, qvod maximè eſt verbum DEI, qvam Diaconus primâ voce, qvam emittit ſatis venerabiliter exigit dicendo; Dominus vobiſcum, &c. Hierophantam agit Rupertus, ut faciunt omnes illi, qvi ſpecialem ceremoniis illis ſanctitatem & virtutem tribuunt. Conf. Joh. Steph. Durantus *de ritib. Eccleſ. lib. 2. c. 23.* ubi plures alias ceremonias in hoc actu uſitatas exponit.

XXXVI. Pergit Iſidorus, & inter miniſteria diaconi ſexto loco officium precum commemorat, qvod tamen commune illis cum presbyteris faciunt, qvotqvot de precibus canonicis agunt. Tria enim hominum genera ad recitationem precum canonicarum teneri ajunt, Clericos, beneficiarios & monachos: Clericos verò non promiſcuè omnes, ſed presbyteros, diaconos & ſubdiaconos, Reliqvos verò qvi in minoribus ordinibus conſtituti ſunt, nec beneficio aliqvo Eccleſiaſtico fruuntur, generali conſvetudine minimè ad preces canonicas obligari ſtatuunt, ut nec Laicos univerſos. Sed profectò, qvi ita docent, parum abeſſe mihi videntur ab illis, qvi Devm non ſemper & omni tempore amari debere contendunt, & ſufficere ajunt, ſi vel in fine tantùm vitæ, vel ſingulis diebus feſtis, vel ſemel tantùm in anno, vel ſingulis qvinqvenniis, vel pro arbitrio ſapientis ſeſe qvocunqve tempore is amor exſerat. Qvales refert Ludovicus Montaltius *epiſt. provinc. 10.* & ad eam Willelmus Wendrockius *not. 3.* Ab his inqvam parum mihi videntur abeſſe illi, qvi ad officium precum certos tan-

tantùm homines certis horis adſtringunt, & hos ipſos etiam multâ cum diſpenſatione. Etſi enim ſeptem horas communiter præſcribant, qvas in officio illo expleri velint, ſunt tamen nonnulli, qvi ſtatuunt, Sacerdotem unâ horâ ſuas horas effundentem & cumulantem officio ſuo ſatisfacere, & poſſe talem, qvi ſimul & ſemel totum ſuum ſervitium ſingulis diebus recitat, reliqvum temporis alibi conſumere, & poſſe adeò poſt completorium ſtatim dici matutinum ſeqvens & mane totum officium diei. Qvos meritò perſtringit Andr. Rivetus *in cathol. orthodox. tr. 2. q. 35.* & ex ſuâ ſcholâ confutat fabula de Severino Colonienſi Epiſcopo, qvam ex Petri Cluniacenſis epiſtolis refert Fr. Juretus, *ad Jvonis Carnotenſis epiſt. 19.*

XXXVII. Non videtur tamen Iſidorus per officium precum horas has canonicas innuere, ſed id potiùs, qvod extra eas in divino miniſterio incumbit, qvodqve prolixè exponit Pſeudoclemens in *Conſtitutionibus Apoſtolicis lib. 8. c. 6. 7. 8. 9.* In eâ enim, qvæ Catechumenorum miſſa dicitur, Diaconus omnibus fidelibꝰ denunciat, ut orent pro iis dicentes: *Domine miſerere. Pro catechumenis omnes DEUM obſecremus: ut bonus & ſingulari in homines charitate DEUS benevolè eorum preces & obſecrationes exaudiat, &c.* Deinde dimiſſis catechumenis Diaconus pro energumenis orandum edicit: *Intentè pro eis precemur, ut ſummâ in homines charitate DEUS increpet per Chriſtum immundos & malos ſpiritûs, qvi increpavit legionem dæmonum, &c.* Dehinc demiſſis energumenis, Diaconus pro iis, qvi baptiſmum petunt, Devm orari ſic jubet: *Omnes fideles intentè pro eis oremus, ut Dominus faciat eos dignos, ut baptizati in mortem Chriſti cum ipſo reſurgant, regniqve ejus conſortes ac myſteriorum ejus participes fiant, &c. His qvoqve pariter dimiſſis Diaconus tandem pro pœnitentibus peccandum omnes clarâ voce admonet, ut benignus DEUS ſupplicationibus eorum qvàm celerrimè exauditis reſtituat exultationem ſalutaris, & ſpiritu principali eos confirmet,* &c. Pari modo apud eundem Conſtitutionum parentem *c. 35. 37. 38. 39.* in veſpertinis ſive nocturnis & matutinis precibus diaconus denunciat, ut omnes Dominum precentur, & miſericordias ejus exorent.

XXXVIII. Hoc videtur eſſe iſtud officium precum, qvod Iſidorus intendit, qvodqve ita incumbit Diacono, ut precatiunculâ aliqvâ præviâ præparet animos fidelium, ut attentè magis deinde preces ab Epiſcopo ſuperadditas repetant, & majore cum devotione verba ad Devm fundant. Ita qvando de precum ſpiritu ſive dono aut gratiâ concionatur Chryſoſtomus, *Homil. 14. ad Rom.* eamqve laudat qvod, qvi præditus eâ

eâ ſit, magnâ cum animi compunctione multis item cum gemitibus precetur, *cujus*, ait, *& nunc exemplum aut ſignum Diaconus eſt, pro populo preces offerens.* Et ad *2. ad Cor. homil. 2. cùm Diaconus dicit: pro catechumenis inſtanter oremus, fidelem populum hortatur & excitat ad orandum pro nondum licet initiatis ſed adhuc alienis.* Et *ad 2. Theſſ. homil. 3. cumſtans Diaconus omnes indicto ſilentio compeſcit, non legenti honorem exhibent, ſed ei qvi per illum omnibus ſermocinatur, DEO.* Et hoc eſt ſcil. qvod Iſidorus porrò inter officia diaconi refert in verbis mox ſeqventibus: *Ipſe præmonet preces ad dominum, ipſe hortatur orare, &c.*

XXXIX. Iſtarum precationum, qvas ex conſtitutionibus Apoſtolicis recenſuimus, mentio fit in *can. 19.* Concilii Laodiceni, qvem ita vertit Dionyſius Exiguus, *ſub num. 122. Qvod oporteat ſeorſim primum poſt allocutiones Epiſcoporum, orationem ſuper catechumenos celebrari: & poſtqvam catechumeni egreſſi fuerint, ſuper eos, qvi ſunt in pœnitentiâ, precem fieri. His etiam accedentibus ad manum ſacerdotis & diſcedentibus, tres orationes conſummari fidelium: ita ut prima qvidem ſub ſilentio, ſecunda verò & tertia per exclamationes ſolitas expleantur, & ita demum pacem ſibi invicem dabunt, &c.* In hoc canone catechumenorum tantùm & pœnitentium, & qvod utroſqve diſcedere poſt orationes ſuper eis factas oporteat, fit mentio. Sed qvia eadem ferè ratio habita fuit circa energumenos & competentes, atqve in univerſos iſtos ſacrum aliqvod officium ſpectavit ad Diaconos, ut qvid obſervatum in veteri Eccleſiâ circa ſingulos ordines fuerit, perſpicuum magis reddatur, non erit hic alienum, pauca qvædam ad explanationem ſuperiorum annotare.

XL. Veteres olim ſummâ cum reverentiâ myſteria Chriſtianæ fidei peragebant, & ne deſpicatui ea eſſent, maximoperè cavebant. Cùm enim ad populum, in qvo erant & catechumeni, & miſceri poterant ſubinde infideles, Scripturam exponebat, ſi fortè in locum, qvi de Sacramentis ageret, inciderent, tùm, ne de myſteriis illis, qvis verus dicti ſenſus eſſet, aperire cogerentur, vel prorſus declinabant explicationem, vel allegoricam & ſymbolicam aliqvam ſubſtituebant, qvâ utcunque rudiorum animos explerent. Diſertè id profitetur Chryſoſtomus, *homil. 40. in 1. Cor. XV, 29. Cupio qvidem perſpicuè rem dicere, ſed propter non initiatos non audeo. Hi interpretationem reddunt nobis difficiliorem, dum nos cogunt aut perſpicuè non dicere, aut arcana, qvæ taceri debent, ad ipſos efferre.* Ἀναγκάζοντες, ἢ μὴ λέγειν σαφῶς, ἢ εἰς αὐτοὺς ἐκφέρειν τὰ ἀπόῤῥητα. Sic & apud Theodoretum *dialogo ſecundo*, cum ſermo incide-

incideret de euchariſtiâ, orthodoxus ait: *οὐ χρὴ σαφῶς εἰπεῖν, non fas eſt clarè loqvi, fieri enim poſſet, non initiatos adeſſe.* Eraniſta reſpondet, *qvod ænigmatica ſit reſponſio.* Et Cyrillus Hieroſolymitanus *catech.6.* excuſat, ſi qvid obſcurè de tantis myſteriis proferatur: *De myſteriis*, inqvit, *apud catechumenos clarè non loqvimur, ſed ſæpè multa dicimus involutè, ἐπικεκαλυμμένως, ut qvi norunt fideles intelligant.* Hinc adeò crebra in Chryſoſtomi homiliis occurrit formula: *ἴσασιν οἱ μεμυημένοι*, norunt initiati, qvod dicitur. *ἴσασιν οἱ πιστοὶ τὸ λεγόμενον*, ſciunt fideles qvod dicitur. *ἴσασιν οἱ μυσταγωγούμενοι* ſciunt, qvi in myſteria deducti ſunt, &c. Vid. Iſ. Caſaubon. *exerc.16. adv. Baron. n.43.p.491.*

XLI. In ipsâ adminiſtratione Euchariſtiæ noluérunt præſentes eſſe, qvi nondum initiati erant, & qvibus proinde nondum ſufficienter informatis ludibrio eſſe poterant divina iſta myſteria, qvanqvam reliqvo cúltui divino intereſſe eos non prohibebant, uti patet ex Concilio Carthaginienſi IV, *can. 84.* & verbis Auguſtini apud Gratian. *c.7. diſt.34.* Abſolutâ igitur ſacrorum librorum lectione, cui adeſſe, qvanqvam diverſis in locis, poterant promiſcuè omnes, cùm Euchariſtiæ ſacramentum celebrandum eſſet, per diaconorum præconia dimittebantur catechumeni, energumeni, & pœnitentes. Ita Dionyſius, ſive qviſqvis autor eſt libri *de hierarchiâ Eccleſiaſticâ: Poſtea extra templi ambitum collocantur catechumeni, & unà cum eis obſeſſi, ἐνεργούμενοι, atq; pœnitentes. manent autem ii, qvi divinarum rerum adſpectu & communione digni ſunt.* Et paulo poſt: *Catechumenos autem & energumenos, qviq; in pœnitentiâ ſunt, ſanctæ hierarchiæ mos patitur qvidem audire ſacram pſalmorum modulationem, divinamq; ſacrarum ſcripturarum recitationem, ad ſacra autem opera, qvæ deinceps ſeqvuntur, atque myſteria ſpectanda, non eos convocat, ſed perfectos oculos eorum, qvi digni ſunt.* Sic & Maximus Monachus Conſtantinopolitanus, *lib. de Eccleſiaſticâ myſtagogiâ cap.14. Poſt divinam ſancti Evangelii lectionem & catechumenorum, & reliqvorum, qvi divinâ oſtendendorum ſacramentorum contemplatione indigni ſunt, fit per ſacros miniſtros dimiſſio & ejectio.* Qvi illi reliqvi ſint, Dionyſii verba modo adducta, & qvæ ſupra ex Conſtitutionibus Apoſtolicis protulimus, ſatis dilucidè exponunt. Ex qvibus patet, tria hominum genera à myſteriis celebrandis excluſa, atqve inter eos talem ordinem ſervatum fuiſſe, ut primò catechumeni, deinde energumeni, & ultimò pœnitentes exeſſe juberentur. Autor Conſtitutionum Apoſtolicarum qvartum hominum genus addit, idque inter energumenos & pœnitentes collocat, eorum ſcilicet

qvi baptiſmum petunt, qvos competentes ab aliis vocari arbitror, qvique peculiarem catechumenorum ſpeciem conſtituunt.

XLII. Catechumeni ſcil. erant pagani ſive gentiles, ſed qui Spiritûs S. gratiâ præveniente excitati ad Eccleſiam venerant, ut membra ejus fierent, & jam in primis Chriſtianæ religionis elementis informabantur. Eorum duo fuiſſe genera, ex *canone 5.* Concilii Neocæſarienſis, & *can. 14.* Concilii Niceni I pateſcit, *ἀκρωμένων* ſcilicet, ſive audientium, & *εὐχομένων* ſive orantium, qvi & *γονυκλίνοντες* genuflectentes, & competentes vocantur. Illos imperfectiores, hos perfectiores dicunt ad dictum canonem Neocæſarienſem Commentatores Græci, Balſamon, Zonaras & Ariſtenus. Illi erant, qui nuper acceſſerant, & poſt Scripturarum atqve divinorum Evangeliorum auditionem ſtatim exire tenebantur. Hi verò adultiores jam in fide Chriſtianâ facti orationem, quæ recitabatur ſuper catechumenos expectabant, & in eâ genu flectebant, neqve egrediebantur priùs, quàm à diacono proclamatum fuiſſet, *οἱ κατηχούμενοι προέλθετε*, Catechumeni procedite, aut exite. Primis illis nihil amplius, qvàm audire, permiſſum erat, unde & audientes dicebantur; alteri autem provectiores jam erant in articulis fidei & baptiſmo aptiores, atque idcircò orationem ſuper catechumenos expectabant, à quâ *εὐχόμενοι* dicebantur, & ſucceſſu temporis, ſi in articulis fidei ſatis inſtructi eſſent competentes, quod baptiſmum ſibi peterent. Quod ſi quis ex competentibus flagitium aliquod commiſiſſet, in ordinem audientium referebatur, & ſic gradu quaſi movebatur. Audientes autem peccati alicujus convicti extra Eccleſiam conſiſtere cogebantur. Conf. Guilielm. Beveregius *annot. ad Concil Niceni I can. 14. & Concil. Neocæſar. can. 5.*

XLIII. Optimè ſe iſta haberent, niſi aurem nobis vellicaret autor conſtitutionum Apoſtolicarum, *in loco ſupra adducto.* Dum enim ſuper utroſque & ſuper catechumenos & ſuper eos, qui baptiſmum petunt, orationes factas commemorat, *cap. 6. 7. & 8.* & utroſque poſt preces eis deſtinatas exire jubet, utique etiam audientibus precationis beneficium impertitum fuiſſe ſeqvitur. Nec enim alios *τῶν κατηχουμένων* nomine intellexiſſe videtur, quàm audientes. Competentes autem vocat illuminandos, *cap. 8.* quo nomine eos etiam inſignit Hieronymus *in epiſt. ad Pammach.* Non videtur excuſari poſſe pſeudoClemens, niſi admittamus ulteriorem *τῶν κατηχουμένων* diſtinctionem, qvam nobis ſuggerit Gabriel Albaſpinæus Epiſcopus Aurelianenſis, *lib. 2. Obſerv. 2.* ubi quatuor in catechumenatu obſervat gradûs:

Cu-

Cuicunq;, inqvit, *divinitùs lux obortа quædam mentem injeciſſet, ut Chriſtianus fieret, privatâ qvâdam in domo, qvæ præſtigiæ anileſq; ſuperſtitiones paganiſmi eſſent, edocebatur: neq; tamen divini verbi ſeu concionum audiendarum, qvæ apud audientes habebantur, facultas dabatur, inde ad altiorem qvaſi gradum provehebatur, ad excerpendas ipſas conciones, qvo in gradu vocabantur audientes. Poſteaq; ad tertium deducebatur, ubi particeps conſorſq; precum & orationum fieret, qvæ apud catechumenos tertii gradûs pronunciabantur, poteratq; in genua in ipsâ Eccleſiâ procumbere. Catechumeni iſti orantes & genu flectentes dicebantur. Ad extremum rebus omnibus illis ex communi conſvetudine tranſactis, ſacro fonte, datis ad eam rem nominibus, abluebantur, ut inter electos collocarentur, unde competentes nominabantur, &c.* Competentium hoc nomen, non poſtqvam abluti fuiſſent, ſed anteqvam abluerentur ſuſtinebant, & fortaſſe per exiguum temporis ſpacium, qvandoqvidem baptiſmi petitio communiter Dominicâ in ramis palmarũ fieri ſolebat, qvo die etiam ſymbolum eis prædicabatur *c. ſymbolum 55. de conſecrat. diſt. 4.* idq; publicè, cùm ex decreto Concilii Bracarenſis II per integros viginti dies id docerentur. *c. 54. ead.* ipſa autem baptizatio die vel vigiliâ paſchatos & pentecoſtes celebrabatur. *c. 10. ſeq. de conſecrat. diſt. 4.* Sic igitur de tertii gradûs catechumenis accipienda erit precatio, qvam refert pſeudo Clemens. Inſuper autem, qvod idem refert, etiam qvarti gradûs catechumeni poſt preces abſolutas exire juſſi fuerunt, quandoquidem ſacris deinceps myſteriis peragendis intereſſe nemini licebat, niſi baptizato.

XLIV. Hæc ſcilicet eſt, de qvâ aliquando in Patrum ſcriptis legitur, miſſa catechumenorum, qvod ſcil. dimittantur tùm poſt peractas preces catechumeni, ita explicante Remigio Monacho Antiſiodorenſi, qvi Gallorum Apoſtolus vulgo dicitur, & vixiſſe fertur circa annum DCCCXC. *in expoſit. miſſ. Miſſa*, inqvit, *dicta eſt, ut Iſidorus ait, ab emittendo. Nam tempore, qvo ſacerdos incipit conſecrare corpus dominicum, dicendum eſt à diacono poſt Evangelium, ſi quis catechumenus eſt, procedat foràs. Et qvia tunc emittuntur Catechumeni ab Eccleſiâ, qvi non debent intereſſe ſacris myſteriis ideò dicitur miſſa ab emittendo.* Similia habet Rabanus Maurus, Epiſcopus Moguntinus, *lib. 1. Inſt. Cler. c. 32. Miſſa eſt tempore ſacrificii, qvando catechumeni foràs mittuntur, clamante Levita: Si qvis catechumenus remanſit, exeat, & inde miſſa, quia ſacramentis altaris intereſſe non poſſunt.* Et propterea jubet Concilium Carthaginenſe IV, *can. 84.* apud Gratianum *c. Epiſcopus 64. de conſecrat. diſt. 1. Epiſcopus nullum prohibeat ingredi in Eccleſiam, & audire verbum DEI ſi-*

ſive gentilem, ſive Judæum, ſive hæreticum, usq; ad miſſam catechumenorũ. Ex qvo factum, ut ipſa pars illa cultûs divini, cui licuit intereſſe nondum baptiſatis, miſſa catechumenorum diceretur: Sic enim uſurpatum legitur hoc vocabulum in Concilio Valentino, qvod in Hiſpaniâ anno DXXIV habitum eſt, *can. 1. Inter cætera hoc eſſe cenſuimus obſervandum, ut ſacroſancta Evangelia ante munerum illationem in Miſſâ catechumenorum, in ordine Lectionum poſt Apſtolum legantur, qvatenus ſalutaria Chriſti præcepta vel ſermones Sacerdotes, non ſolùm fideles ſed etiam Catechumeni, ac pœnitentes & omnes, qvi è diverſo ſunt, audire licitum habeant? Sic enim Pontificum prædicatione auditâ, nonnullos attractos ad fidem evidenter ſcimus.* Et apud Ivonem Epiſcopum Carnutenſem *epiſt. 219. Qvi audiebat miſſam catechumenorum, ſubterfugiebat miſſam Sacramentorum,* h. e. qvi audiebat partem cultûs divini cum catechumenis & reliqvis non baptizatis, ſubterfugiebat reliqvum cum fidelibus & baptizatis cultum, qvo Euchariſtia celebrabatur. Sic enim diſtingvitur miſſa catechumenorum à miſſâ fidelium etiam apud Albinum Alcuinum *lib. de div. offic.*

XLV. Cur verò Chriſtiani veteres noluerint catechumenos intereſſe Sacramentorum myſteriis, ſollicitè inqvirit Iſaacus Caſaubonus *exercit. 16. n. 43. circa fin.* & tres præcipuas ex patrum ſcriptis adducit has rationes: *Prima eſt*, inqvit, *ſublimitas eorum, quæ occultabant, & ut Cyrillus Hieroſolymitanus loqvitur*, τὸ ὕψωμα τῶν διδασκομένων. -- *Nam qvis à fide alienus paganus, aut Catechumenus in fide nondum confirmatus, myſterium noſtræ per aqvam regenerationis aut manducationis carnis Chriſti in cœnâ Domini ſine ſcandalo aut riſu audiat? -- Altera cauſa eſt, ut hoc ſilentio accenderetur cupiditas Catechumenorum. -- Tertia, qvam obſervamus, cauſa eſt ſtudium vindicandi à contemptu res ſacras, & contra, majeſtatis cujuſdam opinionem illis conciliandi. -- Qvem ſcopum aſſecutos ſe credebant veteres Chriſtiani, ſi de myſteriis aut omninò apud vulgus non loquerentur, aut obſcurè, remotisqve à communi intelligentiâ dictionibus & loqvendi generibus uterentur.*

XLVI. Obſervant tamen eruditi, accepiſſe catechumenos ἀντίδωρον quoddam, qvod locum obtineret τοῦ δώρου ſive Euchariſtiæ, idque fuiſſe fruſtum panis ex oblationibus fidelium deſumtum, & benedictum quidem, ſed non in uſum Euchariſtiæ, verùm in ſymbolum unitatis fidei, ut hoc veluti pabulo eorũ vita & communio augeretur & foveretur, neve illi in ipſis Chriſtianæ vitæ primordiis, atque dum fingebantur & animabantur, ſucci inopiâ deficerent. Itaqve hoc illis erat loco Sacramenti, & Sacramentum qvoddam analogum.

gum. Vid. Caſaubon. *exercit.16. n.33.* Gabr. Albaſpin. *lib.2. Obſ.35. & 36.* Sed & hoc obſervat idem Albaſpinæus *obſ. 2.* ſi cui contigiſſet catechumeno, caſu aliquo ac fortuito ſacrificiis intereſſe, aut oculis illa ſacra intueri, eum protinus ſacro fonte abluendum fuiſſe, tametſi neque catechumenatum abſolverit, nedum inchoarit. Et hæc de Catechumenis, quos primo loco poſt prædicationem verbi ex cœtu fidelium ire juſſerunt Diaconi.

XLVII. Seqvuntur energumeni, qvi & dæmoniaci & arreptitii vocabantur, qvod â dæmone ſcil. vexarentur, & miſerum in modum corriperentur, atqve in terram arrepti â dæmonibus eliderentur, uti deſcribuntur *c. communiter 4. diſt.33.* In *can. 17.* Synodi Ancyranæ dicuntur χειμαζόμενοι, h. e. ut Ariſtenus explicat ex Dionyſii ſententiâ, οἱ ὑπὸ πνεύματος πονηροῦ κατεχόμενοι. Sive ut Dionyſius Exiguus vertit, qvi ſpiritu periclitantur immundo. Vid. Guil. Beveregius *ad can. 11. Concil. Niceni I.* Tales autem primis Eccleſiæ temporibus multo plures fuiſſe, qvàm per Dei gratiam hodiè inveniuntur, Hiſtoria Eccleſiaſtica teſtis eſt. Id enim bono fine permiſit divina providentia, ut per ejectionem dæmoniorum, qvod ſingulare tùm in Eccleſiâ Chriſtianâ fuit donum, eo magis innoteſceret & celebraretur prædicatio Evangelii. Adqve idcircò dæmoniorum ejectio inter ſigna, qvæ credentes dicuntur ſecutura, numeratur *Marc. XVI, 17.* Et Laicis etiam, qvi Chriſti fidem ſuſceperant, donum iſtud datum fuiſſe, autor eſt Tertullianus *de coron. mil. cap. 11.* ubi teſtatur, etiam â militibus ejectos fuiſſe ſpiritus immundos.

XLVIII. Tales energumeni non ab Eccleſiaſticis tantùm officiis excludebantur, ſed etiam â communione Euchariſtiæ; & nec ad preces qvidem cum fidelibus admittebantur. *Si qvis dæmonem habeat,* dicitur *can. Apoſt. 79. ne fiat Clericus, ſed neqve cum fidelibus precetur,* h. e. tamdiu non ſubſiſtat in Eccleſiâ, ut preces fidelium circa Euchariſtiam orari ſolitas exaudiat, ne fortè, ut ait Balſamon, ſi qvid mali aut inhoneſti egerit, ac dæmoniacas voces emiſerit populum Dei conturbet, atqve officium divinum impediat. Sic & in Concilio Arauſicano I, *can. 16.* uti legitur apud Severinum Binium, conſtitutum eſt: *Energumeni non ſolùm non aſſumendi ſunt ad ullum ordinem Clericatus, ſed & illi qvi ordinati jam ſunt, ab impoſito officio ſunt repellendi.* Cur canonem iſtum cum aliis ejusdem concilii in ſummis ſuis omiſerint Bartholomæus Caranza & Franciſcus Longus â Coriolano, dicere non habeo, præſertim cùm Coriolanus perpetuò ferè ſeqvatur Binium. Non minus etiam in concilio

Toletano XI *can. 13.* conſtitutum eſt: *Communiter diffinimus, ut nullus de iis, qvi aut in terrâ arrepti à dæmonibus eliduntur, aut qvolibet modo vexationis incurſibus efferuntur, vel ſacris audeant miniſtrare altaribus, vel indiſcursè ſe ingerant ſacramentis divinis: exceptis illis, qvi corporum incommoditati dediti, ſine hujusmodi paſſionibus in terrâ probantur eliſi, qvi tamen & ipſi tamdiu erunt ab officii ſui ordine & loco ſuſpenſi, qvousqve unius anni ſpacio per diſcretionem Epiſcopi inveniantur ab incurſu dæmonum liberati.* Apud Gratianum *diſt. 33.* canon hîc falsò adſcribitur Pio Papæ.

XLIX. Qvin imò tàm abjecti erant ab cœtu fidelium dæmoniaci, ut ne qvidem propter oblationes ad altare factas nomina eorum recitarentur, & nec manuale eorum miniſterium in Eccleſiâ admitteretur. Utrumqve ſcil. prohibuit Concilium Eliberinum, *can. 29. Energumenus, qvi ab erratico Spiritu exagitatur, hujus nomen neqve ad altare cum oblatione recitandum, neqve permittendum, ut ſuâ manu in Eccleſiâ miniſtret.* Videntur ipſæ etiam eorum oblationes rejectæ, cùm & receptio earum, & recitatio nominum communionis qvandam ſpeciem præ ſe ferrent. At omni modo cavebant, ne cum illis ullâ ratione communicarent, ne cum dæmonibus ipſis communicaſſe viderentur. Qvâ ratione etiam, qvod manu ab illis fiebat, infectum qvodammodo & contaminatum credebatur, & Eccleſiæ probroſum, ſi qvid à Dæmone, qvi per energumenos operaretur, reciperent. Deinceps tamen in Concilio Carthaginienſi IV, *can. 91.* juſſi fuêrunt energumeni verrere pavimenta domorum Dei. Verba refert Gratianus *c. 11. diſt. 5. de conſecr. Omni die exorciſtæ energumenis manûs imponant. Energumeni verò pavimenta domorum DEI verrant* (*intrent*, habet editio Contii, ſed perperam & ſine ſuffragio) *qvibus aſſidentibus in domo DEI victus qvotidianus per exorciſtas opportuno tempore miniſtretur.* Id factum putat Albaſpinæus *ad Concil. Elib. can. 29.* ob id maximè, qvod in Eccleſiis pernoctarent, ut Dæmonum terrore atqve metu liberarentur.

L. Cùm igitur energumenis unà cum fidelibus preces fundere non liceret, & tamen non minùs atqve catechumenis homilias & ſermones ad populum audire permiſſum eſſet, ſolebant qvidem illi per iſtum divini cultus tractum ſacræ congregationi adeſſe, ſed ita, ut ſingularem in parte templi, qvæ Νάρθηξ dicta fuit, & à catechumenis etiam ſeparatam ςάσιν haberent. Sed & expectare poterant, donec preces pro catechumenis abſolutæ & hi dimiſſi eſſent. Succedebant enim immediatè poſt catechumenos, & ipſi qvoqve deinceps peractis à diacono & Epiſcopo aut presbytero precibus ſingularibus

bus egredi cogebantur. Στάσιν illam in ichnographiâ, qvam delineavit, exhibet Guilielm. Beveregius *in not. ad Concil. Nicen. I fol. 71.* De precibus verò & proceſſu, qvem cum energumenis obſervavit Diaconus, eleganter loqvitur Chryſoſtomus, *homil. 3. & 4. contra Anomœos. In ſacris illo tempore*, inqvit, *Diaconus à dæmone & furore teterrimo arreptos adducit, & caput jubet inclinare: ut qvos unà cum fratribus orare non liceat, (qvia tàm acerbè vexantur, ut vocem reddere neqveant) ſuâ DEUS miſericordiâ & potentiâ ad eorum utatur defenſionem & auxilium. Vincula enim prava, gravia & ferro validiora dæmonum agitatio eſt. Ut ergo, qvo judex tempore prodire & pro tribunali ſedere ſolitus eſt, carcerarii vinctos educunt, proqve fori ſeptis & cancellis collacant, ſqvalidos, ſordentes, capillatos, pannoſos & miſerandos: Sic Chriſto velut pro tribunali ſeſſuro, inqve Sacramentis brevi apparituro, ex ſtatuto Patrum Diaconus energumenos, qvaſi vinculis retentos adducit, & capita jubet acclinare: non ut rerum, qvas commiſérunt vel examen modo ſubeant, vel pœnas luant, ſed ut communes ab omni populo præſente pro eis preces concorditer fiant.*

LI. Reſtat, ut de pœnitentium ordinibus nonnulla addamus, qvandoqvidem circa illos etiam Diaconorum officium occupatum fuit. Dici autem non poteſt, qvàm ſevera olim in Eccleſiâ Chriſtianâ circa delinqventes exercita fuerit diſciplina, & qvantâ aſperitate caverint Chriſtiani tùm temporis, ut qvam à baptismo hauſerant puritatem, eam nullâ aſperſam vitii alicujus maculâ ac fœditate externâ conſervarent. Qvibusdam enim criminibus nullam omninò veniam indulgebant; qvibusdam autem tàm laborioſos pœnitentiæ gradûs per aliqvot annos ſubeundos præſcribebant, ut ad Saracenos aliqvando deficerent, vel etiam ad paganos, qvi criminibus à Canone vetitis ſe obſtrinxiſſent. Qvi duriſſimos Concilii Elibertini ſive Illiberitani canones primum, ſecundum, tertium, ſextum & reliqvos, quibus poſt baptismum in facinora prolapſos ab omni reconciliatione excluſérunt, reditumqve ad Eccleſiam denegarunt, attentè perlegerit, vix credet, tantam acerbitatem ab Eccleſiâ ullo tempore uſurpari potuiſſe. Ex qvo factum, ut Elibertinum iſtud Concilium non ab omnibus, nec per omnia probatum ſit, & Cardinalis Baronius *ad an. 305. num. 41.* haud fruſtra ſcribat, videri ſibi ſanctiſſimos iſtos patres Novatianorum limites attigiſſe.

LII. Si qvis verò ad pœnitentiam publicam admiſſus eſſet, de hâc enim, non de eâ, qvæ privatim ſuſcepta fuit, nunc ſolliciti ſumus, variè is pro qvalitate delicti & duriter ſæpè

pè per diſciplinam Eccleſiaſticam exercebatur, anteqvam Eccleſiæ plenariè reſtitueretur. Ejus autem non una fuit ſpecies, ſed conſtituebantur gradûs, qvibus pro conditione delicti ſubjectos eſſe oportebat delinqventes. Gregorius Archi-Epiſcopus Neocæſarienſis, qvem Thaumaturgum dicunt, *in epiſtolâ canonicâ can. ult.* eos his enumerat verbis: Ἡ πρόσκλαυσις, *fletus ſeu luctus eſt extra partem Oratorii, ubi peccatorem ſtantem oportet fideles ingredientes orare, ut pro ſe precentur.* Ἡ ἀκρόασις, *auditio eſt intra portam in porticu, ubi oportet eum, qvi peccavit, ſtare usq; ad catechumenos & illinc egredi. Audiens enim, inqvit, Scripturas & doctrinam ejiciatur, & precatione indignus cenſeatur.* Ἡ ὑπόπτωσις, *ſubjectio ſeu ſubſtratio eſt, ut intra templi portam ſtans cum catechumenis egrediatur.* Ἡ σύστασις, *congregatio ſeu conſiſtentia eſt, ut cum fidelibus conſiſtat, & cum catechumenis non egrediatur: Poſtremo eſt participatio Sacramentorum.*

LIII. Et hi qvidem erant pœnitentiæ gradûs ſeu pœnitentiam ordines. *Primus* ſcilicet & infimus erat eorum, qvibus ingredi templum non licebat, ſed ante fores expectare tenebantur, ibiqve multis cum lachrymis ingredientes precabantur, ut pro ſe & ſui reconciliatione precibus Dei miſericordiam exorarent. *Alter* ordo erat audientium, eorum ſcil. quibus in narthece ſtare, & divinas Scripturas atqve conciones audire permiſſum erat. *Tertius* genuflectentium erat, eorum ſcil. qvibus intra Eccleſiæ ſepta poſt ſuggeſtum ſtare permiſſum erat, qvosqve cum catechumenis exire oportebat. Priusqvam autem dimitterentur, in genua procidebant coram Epiſcopo, qvi & ipſe cum populo procidens & ſtatim èxurgens manûs iis imponebat. *Qvartus* ordo erat conſiſtentium, eorum ſcil. qvi cum reliqvis fidelibus ſtantes orabant, & ad finem usqve actionum ſacrarum perſiſtebant, nec tùm tamen ad Sacramenta admittebantur. Tandem ipſi qvoqve poſt exactos hos pœnitentiæ labores, per plenariam reſtitutionem, Euchariſtiæ participes reddebantur, & iisdem beneficiis cum reliqvis fidelibus fruebantur. Vid. Chriſtoph. Juſtell. *ad Cod. can. Eccleſ. univ. p. 159.* Iſ. Caſaub. *exercit. 16. adv. Baron. num. 43. pag. 487.* Gabr. Albaſpinæus *lib. 2. obſerv. 22. ſeqq.* ubi in qvibusdam â Caſaubono diſſentit. Guilielm. Bevereg. *ad can. 11. Concil. Niceni I,* ubi notat, τοὺς προσκλαίοντας non propriè pœnitentes, ſed potiùs pœnitentiæ Candidatos fuiſſe, utpote qvi nondum ab Eccleſiâ inter pœnitentes admiſſi, ſed tantùm ad Eccleſiæ fores ſtantes, luctu & lacrymis eos, qvi ingrederentur, ſupplices exoraverint, ne ſacris Eccleſiæ limitibus diutiùs arceren-

cerentur, ſed ſacras iſtas portas ingredi ipſi qvoqve permitterentur.

LIV. Qvod tempus attinet in his pœnitentiæ ſpeciebus abſolvendum, non idem promiſcuè omnibus gradibus, nec omnibus delictis aut delinqventibus idem præſcriptum aut deſtinatum fuit. In Baſilii Archiepiſcopi Cæſarienſis in Cappadociâ ad Amphilochium Iconii Epiſcopum ſcriptâ epiſtolâ Canonicâ *can. 56. & multis ſeq.* qvibusdam delictis certa temporum ſpacia præfinita fuerunt intra qvæ expiari illa â pœnitentibus poſſent. Sic enim ſe habet *canon 56. Qvi ſuâ ſponte interfecit, & poſtea pœnitentiâ ductus eſt, viginti annis Sacramento non communicabit. Viginti autem anni ſic in eo diſpenſabuntur. Debet qvatuor annis deflere ſtans extra fores oratorii & fideles ingredientes rogans, ut pro eo precentur, ſuam iniqvitatem pronuncians. Poſt qvatuor autem annos inter auditores recipietur, & qvinqve annis cum ipſis egredietur: ſeptem autem annis cum iis, qvi in ſubſtratione orant, egredietur. In qvatuor annis ſolum ſtabit cum fidelibus, ſed non erit oblationis particeps. Iis autem expletis erit Sacramentorum particeps.* Seqvitur deinde canon 57. *Qvi non voluntariè interfecit, undecim annis Sacramentis non communicabit. Undecim autem anni ſic in eo diſpenſabuntur. Duos qvidem annos deflebit, tres autem annos inter auditores perſeverabit, in qvatuor ſubſtratus, & anno ſolùm conſiſtet, & deinceps ad ſacra admittetur.* In ſeqventibus, adulteris, fornicatoribus, furibus, Sodomitis, perjuris, veneficis, incantatoribus & aliis ſimilia tempora inter ordines pœnitentium explenda præſcribuntur. Sed idem tamen Baſilius *can. 74.* diſpenſandi facultatem conceſſit Epiſcopis, prout viderint in pœnitente virtutis ſtudium, & pœnitentiæ ſuſceptæ promptitudinem. Et in hoc ſcil. differentiam annotat Balſamon *ibid.* inter judices ſeculares, & Epiſcopos. *Illi enim*, inqvit, *pœnas â lege conſtitutas nec poſſunt augere, nec minuere ſine juſſu Imperatoris; hi verò pro ſuo arbitratu pœnas & augent & minuunt, & ideò in eorum eſt poteſtate non ſolùm pœnarum tempora minuendi, ſed etiam pœnas commutandi.* Qvam eandem differentiam ante Balſamonem prolixiùs expoſuit Photius *in Nomocan. tit. 9. cap. 39.* De hâc autem diſpenſandi facultatè Epiſcopis competente videri poterunt, qvæ eruditè differit Petrus de Marca, *de concord. ſacerd. & imp. lib. 3. cap. 13.*

LV. Qvæ diximus hactenus de catechumenis, energumenis & pœnitentibus, lucem afferunt non tantùm conſtitutionibus Apoſtolicis, ex qvibus, qvale ſit circa iſta tria hominum genera officium diaconi oſtendimus, ſed etiam verbis

Iſidori, ut intelligamus, qvid & qvale ſit officium precum, qvod adſcripſit diaconis, & qvomodo ipſe præmoneat preces ad Dominum & orare hortetur. In dictis enim conſtitutionibus, (qvæ licet mentiantur Apoſtolorum nomina, nec ab eis compoſitæ ſint, & nec â Clemente Romano qvidem, qvod multi perſvaſum habent, antiqvæ tamen ſunt & veteris autoris, aut etiam plurium opus confuſaneum,) qvamplurima habentur capita, *in libro octavo*, qvibus, qvâ ratione Diaconus populum ad preces exhortari debeat, explicatur. E. g. in *cap. 5. in fin.* dicitur: *Cunctis conſurgentibus edicat diaconus ex loco alto, ne qvis adſit audientium, ne qvis infidelium. Et ſilentio facto dicat: Orate catechumeni. Et omnes fideles attentè pro ipſis orent, dicentes: Kyrie eleiſon.* Et *cap. 6. Poſtea dicat diaconus: Exite catechumeni in pace, & poſtqvam exierint, dicat: Energumeni qvos ſpiritus immundi agunt adhibete cuncti preces DEO, — — inclinate energumeni & accipite benedictionem, &c.* Et ſic in cæteris. Qvæ omnia hîc exponere, aut adſcribere prolixum nimis eſſet.

LVI. Qvia igitur neqve catechumeni, neqve energumeni, neqve pœnitentes, exceptis illis, qvi conſiſtentes dicti fuérunt, ſacræ communioni intereſſe licuit, officium diaconi erat, ſingulis ordinibus poſt peracta circa unumqvemqve ſolennia denunciare, ut exirent, & ab reliqvis fidelibus recederent. *Sanctis hæc conceſſa ſunt*, inqvit Chryſoſtomus, *in epiſt. ad Hebr. homil. 17. hoc enim & Diaconus tunc acclamat, ſanctos vocans, altiori loco ſublimis ſtans, magnâ voce, terribili clamore, qvaſi qvidem præco, manum in altum tollens, erectus, omnibus manifeſtus, alios qvidem vocatos introducit, alios autem prohibet, & excludit, lingvâ qvidem, ſed efficaciùs, qvam ſi hoc manu faceret. Olympiacis qvondam præco altum inclamans, ſi qvis hunc accuſat, ne fortè fur, ſervus, aut pravorum alioqvi morum: ſic in his animæ exercitiis noſter præco unum capite qvemqve tenens, ſed interiora omnium ſimul capita producens, ipſos ſibi non alios accuſatores ſtatuit, qvaſi dicat: Si qvis ſeipſum accuſat, ſancta, inqvit, ſanctis. Si qvis non eſt ſanctus, non accedat, &c.* Eodem modo ritum hunc explicat Cyrillus Alexandrinus, *in Joh. lib. 12. c. 50. Prohibemus*, inqvit, *â Sacramentis Catechumenos, qvamvis veritatem jam cognoverint, & fidem magnâ voce confiteantur: qvia nondum locupletati Spiritu S. ſunt, qvi habitat in iis, qvi baptiſmate conſummati. Unde cum baptiſmum receperint, qvia Spiritus S. habitare in illis creditur, â tactu & communione ſalutaris Chriſti corporis non prohibentur. Idcirco &*

& accedentibus ad benedictionem myſticam miniſtri myſterii magnâ voce clamant: SANCTA SANCTIS! Solis ſanctificatis ſpiritu tactum & ſanctificationem corporis Chriſti congruere ſignificantes, &c. Pertinent eò formulæ, qvarum meminit Chryſoſtomus, ab Diaconis uſurpari ſolitæ: ὅσοι κατηχούμενοι προ-έλθετε, ἢ κατηχούμενοι προέλθετε, μή τις τῶν κατηχουμένων, &c.

LVII. Hæc dimiſſio miſſa dicebatur. In proprio enim ſignificatu miſſa idem eſt, qvod ἄφεσις, ſive dimiſſio. Et hæc miſſa, uti ſupra obiter mentionem fecimus, duplex erat. Prior cum finitis lectionibus Sacræ Scripturæ & precibus illis, qvibus poterant intereſſe catechumeni, energumeni & alii non initiati, voce diaconi jubebantur exire; qvibus ſacram Liturgiam ſpectare fas non erat: Poſterior cum ſacris peractis & Euchariſtiæ celebratione finitâ poſt εὐχὴν ἀπολυτικὴν â diacono pronunciatam populo diſcedendi fiebat poteſtas. Caſaub. *exercit. 16. adv. Baron. num. 58.* Prima miſſio ſpecialis erat certorum hominum, catechumenorum, energumenorum & pœnitentium, ſecunda univerſalis erat reliqvorum fidelium omnium, in qvâ formula Diacono uſitata hæc erat: ITE, MISSA EST, hoc eſt, finita & completa eſt Liturgia. Peractis enim ſacris fidelium qvisqve mittebatur domum, eaqve miſſio ſive dimiſſio â Græcis ἀπόλυσις dicebatur. Qvo verbo Diaconus populo poteſtatem abeundi denunciabat. Uti in ſacris gentium olim Sacerdos ad plebem converſus altâ voce exclamabat: λαοῖς ἄφεσις, hoc eſt: populi dimiſſi ſint. Vid. Johan. Steph. Durant. *de ritib. Eccleſ. lib. 2. cap. 1. num. 5.*

LVIII. Redimus ad Iſidorum, & qvæ ibi porrò recenſet officia diaconi, videbimus. Ait, ad diaconum pertinere recitationem nominum. Olim enim in precibus, quas Sacerdos ad altare faciebat, commendabantur nomina eorum, quorum erant oblationes, & pro qvibus intercedendum erat apud DEUM. Meminit ejus ritûs Innocentius I, *in epiſt. 1.* qvæ eſt ad Decentium Epiſcopum Eugubinum *num. 2. De nominibus* inqvit *recitandis, anteqvam preces ſacerdos faciat, atqve eorum oblationes, qvorum nomina recitanda ſunt, ſuâ oratione commendet, qvâm ſuperfluum ſit, & ipſe pro tuâ prudentiâ recognoſcis, ut, cujus hoſtiam nec dum DEO offeras, ejus ante nomen inſinues, qvamvis illi incognitum ſit nihil. Priùs ergò oblationes ſunt commendandæ, ac tunc eorum nomina, qvorum ſunt oblationes, edicenda, ut inter ſacra miniſteria nominentur, non inter alia quæ ante præmittimus, ut ipſis myſteriis viam futuris precibus aperiamus*

mus. Habetur ap. Gratian. *c. ult. de conſecrat. diſt. 1.* Vult autem Pontifex, ut non ante recitentur nomina offerentium, qvàm preces ipſæ ad DEUM fundantur. Idqve repetiit lege ſuâ Carolus Magnus apud Anſegiſum Abbatem, *lib. 1. cap. 54.* Et qvia non offerentium tantùm, ſed aliorum etiam benè meritorum nomina recitanda erant, videtur id Diaconis incubuiſſe, ut nomenclatoris partibus fungerentur, & presbytero ſeu Epiſcopo ſacra peragente, ipſi nomina, pro qvibus intercedendum eſſet, recitarent. Conf. Gabr. Albaſpin. *lib. 1. obſ. 7.*

LIX. Dicit Iſidorus: *ipſe* (ſcil. Diaconus) *præmonet preces ad Dominum, ipſe hortatur orare, ipſe clamat.* Qvod, qvomodo factum fuerit, ſupra expoſui. Addam hîc verba Cæſarii Arelatenſis, qvi floruit poſt annum D. (uti contra Trithemium Abbatem & Cardinalem Bellarminum defendit Gerh. Joh. Voſſius *in hiſt. Pelagian. lib. 1. cap. 53.*) hunc in modum ſcribentis *homil. 34. Rogo vos & admoneo fratres chariſſimi, ut qvotieſcunqve juxta altarium à Clericis oratur, aut oratio diacono clamante indicitur, non ſolùm corda, ſed etiam corpora fideliter inclinetis. Nam dum freqventer, ſicut oportet, & diligenter attendo, Diacono clamante: flectamus genua, maximam partem populi, veluti columnas, erectos ſtare conſpicio, qvod Chriſtianis, dum in Eccleſiâ oratur, omninò nec licet, nec expedit. Non enim propter nos, ſed propter vos diaconus clamat, &c.* Clamare dicit Diaconum, qvandoqvidem ſummâ vocis contentione preces indicabat, & veluti præco qvidam, magnâ voce, & terribili clamore manus in altum tollens populum de faciendis admonebat. uti loqvitur Chryſoſtomus *loco ſupra cit.*

LX. Tandem ait Iſidorus, Diaconum pacem annunciare, qvæ annunciatio per formulas, PAX VOBIS, aut, DOMINUS VOBISCUM, expediri ſolebat. Gloſſ. *ad hunc Iſidori text. ſub. diſt. 25.* Ex qvo intelligimus, ipſos etiam Diaconos, non Epiſcopos tantùm aut prespyteros hâc ſalutatione uſos fuiſſe. Id qvod etiam in terminis fortioribus confirmat Hieronymus, *lib. de ſeptem ord. Eccleſ. apud Gratianum c. diaconi 23. diſt. 93. Tunc demum,* inqvit, *ut aures habeamus ad DEUM, diaconus acclamat, ipſe prædicat, ipſe hortatur, ipſe etiam commonet adſtantibus ſacerdotibus, ne leviter hanc vocem, qvâ loqvitur hæc, & pacem annunciat audiant, aut negligenter adſpiciant, &c.* Sed enim hodiè diaconum non uti eâ ſalutatione: Dominus vobiſcum, niſi dum legit Evangelium, vel cereum paſchalem benedicit, poſt alios ſcribit Joh.

Steph.

Steph. Durantus *de ritib. Eccleſ. lib. 7. c. 15. num. 4.* Plurima verò talia ideò mutata videntur, ut diaconorum, qvam infra deſcribemus, arrogantia reprimeretur, & Epiſcopis atqve presbyteris ſingularis aliqva tribueretur prærogativa.

LXI. Extra & ultra ea, qvæ ad Iſidori ductum retulimus, diaconorum officia, plurima alia obſervare licet, ſed minoris momenti, & vix tanti, ut ſingula deſcribantur. Talia paſſim occurrunt in Conſtitutionibus Apoſtolicis, ex qvibus nonnulla qvaſi per Satyram colligemus. *Lib. 2. c. 57.* dicitur, de ordine auditorum ſervando in templo: *Si qvis repertus fuerit, qvi ſedeat loco non decenti, increpetur à diacono, traducaturq; in locum, qvi eum deceat. -- Locis verò occupandis præſit diaconus, ut quiſq; eorum, qvi ingrediuntur, in locum ſuum ſe conferat, & nemo præter decorum ſedeat. Similiter diaconus populum ſpeculetur, ne qvis murmure obſtrepat, dormitet, aut nutus faciat. -- Diaconi autem poſt precationem alii oblationi Euchariſtiæ operam dent, miniſtrantes corpori Domini cum timore, alii obſervent turbam, & faciant, ut ſilentium teneant: Diaconus verò qvi Epiſcopo aſſiſtit dicat populo: Nemo contra aliqvem, nemo in ſimulatione, &c.* Sic & *lib. 8. cap. 11. Pueri ſtant apud ſuggeſtum, & præſit eis alius diaconus, ne turbent ordinem.* Alii item diaconi deambulent & contemplentur Viros & mulieres, ne qvis fiat ſtrepitus, ne qvis nutûs faciat, aut muſſitet aut dormitet. Diaconi autem ſtent ad januas, qvibus Viri in templum ingrediuntur, & hypodiaconi ad januas, qvibus mulieres, ne qvis egrediatur, neve aperiatur janua tempore *oblationis, qvamvis ſit aliqvis fidelis, &c.* Et *cap. 12. Edicat diaconus, ne qvis ex catechumenis, ne qvis ex audientibus, ne qvis ex infidelibus: ne qvis ex hæreticis. Qvi primam precationem feciſtis, exite. -- His peractis adhibeant diaconi dona ad altare Epiſcopo, & presbyteri ad dextram & lævam ejus, ut diſcipuli magiſtro aſſiſtant. Duo verò diaconi ex utráq; parte altaris teneant flabella ex tenuibus membranis, aut ex pennis pavonis, aut ex linteo, ut parva animalia volitantia abigant, ne in calicem incidant.* -

LXII. Plura addere nolo. Ex dictis autem conſtat, qvodnam fuerit diaconorum in ſacris officium, & qvàm variè ſe id habuerit, non primis qvidem ſtatim Eccleſiæ temporibus, ſed poſt aliqva haud exigua ſpacia, & integra aliqvot ſecula. Videntur autem ampliorem poteſtatem habuiſſe, ipſis Apoſtolis adhuc viventibus, & in Eccleſiæ primordiis, qvàm hodiè habere ſolent in Eccleſiâ Latinâ. Coërcere ſcil. haud raro oportuit antehac eorum ἀλαζονείας & muneris ad ſe non pertinentis temerariam occupationem,

qvâ non presbyteris tantùm, ſed ipſis etiam Epiſcopis qvandoqve ægrè faciebant. Cumqve nec tùm qvidem temperari ſemper potuiſſet hæc ipſorum ambitio, videtur hinc eorum conditio haud paulo depreſſior & reſtrictior facta fuiſſe, ne occaſionem haberent ſuperioribus ſuis ulteriùs inſultandi, & criſtas adverſus eos erigendi. Sed de iſtâ ambitione Diaconorum infra erit dicendi locus commodior.

LXIII. Unicum, qvod hujus loci eſt, addo, diſqviri ſcilicet inter Doctores, qvid ſit *apud diaconum exomologeſin facere*, qvâ phraſi utitur Cyprianus, *lib. 3. epiſt. 17.* Verba ita ſe habent: *Occurrendum puto fratribus noſtris, ut qvi libellos à Martyribus acceperunt, ſi incommodo aliqvo & infirmitatis periculo occupati fuerint, non expectent præſentiam noſtram. qvin apud presbyterum qvemcunqve præſentem, vel ſi presbyter non fuerit, & urgere exitus cœperit, apud diaconum qvoqve exomologeſin facere delicti ſui poſſint, ut manu ei in pœnitentiam impoſitâ veniant ad Dominum cum pace, qvam dari martyres, literis ad nos factis deſideravérunt.* Loqvitur Cyprianus de illis, qvi idololatriæ crimine ſe polluérunt, & gravi morbo decumbentes reconciliari Eccleſiæ deſiderant, exhibitis eam in rem literis ſyſtaticis, qvas à Martyribus accepérunt. Graviſſimum autem eſſe peccatum idololatriæ, Scripturæ omnes teſtantur, & ipſa rei natura, cùm ſpirituale ſit adulterium, ſimulqve ſacrilegium, qvo amor, timor & honor ſoli Deo debitus ad idola, qvibus Devs gloriam ſuam dare non vult, *Eſ. XLII, 8.* in juſtè transfertur, ut propterea graviſſimum & extremum delictum meritò dicatur Cypriano *epiſt. 12.* ſummus ſeculi reatus Tertulliano *lib. de idolol.* A tàm gravi igitur delicto num abſolvere qveat diaconus, qvod videtur ſtatuere Cyprianus, non una omnium eſt ſententia.

LXIV. Sunt, qui ſibi perſvadent, exomologeſin apud Diaconum facere, nihil aliud eſſe, quàm aliquem à pœnis ſatisfactoriis aut ab excommunicatione liberari à diacono. Verùm id non placet Gabrieli Albaſpinæo *lib. 2. obſ. 27.* qui nullam commodam rationem ſubeſſe dicit, cur potiùs ab excommunicatione, quàm à peccato ſolverentur, cur in Eccleſiæ potiùs, quàm Dei gratiam reſtituerentur tàm gravi peccato polluti. Dum verò ex alterâ parte ſibi obſtare putat, quod poteſtas delicta condonandi nunquam olim Diaconis conceſſa fuerit, ipſe novam comminiſcitur interpretationem, quæ hæc eſt: Præſupponit, in Eccleſiâ Africanâ aliquando obtinuiſſe, lapſis ut ignoſcere veniamque indulgere poſſent martyes, non ſolùm participes eos faciendo meritorum, quæ martyrio & tormentis conſecuti eſſent,

eſſent, ſed etiam plenè abſolvendo, quod plerique omnes, qui in fodinis aut triremibus detinerentur, ſacerdotes eſſent aut presbyteri. Ex quo concludit, à martyribus ita abſolutos omni culpâ & crimine vacaſſe, neque ulterius aliquâ Sacerdotis abſolutione opus habuiſſe; manûs autem à diacono ideò impoſitas fuiſſe, non ut ſocietati fidelium reſtituerentur, aut jus communionis, qvod peccando amiſerant, recuperarent, ſed ut ritûs tantùm & ceremoniæ ſervarentur & adderentur, quippe quæ in carcere perfici non potuerint. Nec obſtare, quod exomologeſin fieri velit Cyprianus, quam facere neceſſe non habet, qui ab omni crimine & offensâ purgatus & abſolutus eſt; hoc enim etiam à Tertulliano fidelibus & ſanctis tribui, quod exomologeſin faciant, cùm à Deo veniam debitorum poſtulant, plerumque enim repeti ceremonias, etſi rem ipſam aſſecuti ſimus.

LXV. Erudita hæc eſt Albaſpinæi commentatio, quæ tamen non omne tollit dubium. Primùm enim, quod ait, cauſam nullam ſubeſſe, cur abſoluti à martyribus excommunicatione potius, quàm peccato liberati ſint, dilui poteſt ex eo, quod commentatur idem *lib. 1. obſerv. 20.* dum diſtingvit inter martyres ſacerdotes & Laicos, & utroſque quidem abſolvendi poteſtatem habuiſſe ait, ſed ſacerdotes pœnam & culpam, laicos verò pœnam duntaxat & pœnitentiæ tempus remittere potuiſſe. Neque igitur præſupponere nunc potuit, martyres omnes ſacerdotes fuiſſe, & abſolutos ab illis omni culpâ & crimine vacaſſe. Deinde *eâdem obſervatione 20.* conjecturam facit Albaſpinæus, Martyrum commentationem & abſolutionem nulli penitùs niſi poſt eorum mortem profuiſſe, hoc eſt, ſi quis veniam à martyre impetraſſet, eum ab Eccleſiâ neqve receptum, neque ad communionem admiſſum fuiſſe, niſi poſt mortem ejus martyris, à quo liberatus dicebatur. Hoc ſi eſt, poterunt verba Cypriani ita explicari, ut vivente adhuc martyre à diacono ſaltem, ſi præſens non fuerit presbyter, abſolvatur, qui exomologeſin graviter decumbens fecerit. Tertiò agnoſcit idem Albaſpinæus *d. l.* improbari à Cypriano conſvetudinem, quâ à martyribus abſoluti ad Euchariſtiam admittebantur, antequam manûs ab Epiſcopo & Clero imponerentur. An ergò putabimus, cenſuiſſe Cyprianum, plenè abſolutos fuiſſe iſtos tales, nec opus habuiſſe manûs impoſitione, niſi propter ceremoniam, & ne ritus ille omitteretur? Imò verò ſi per abſolutionem martyrum jus communionis quod peccando amiſſum erat, recuperatum fuit, non videntur peccaſſe Sacerdotes, qui taliter abſolutos ad Eucha-

Euchariſtiam admiſerunt, aut certè ſtatuendum erit, jus communionis recuperatum nondum fuiſſe.

LXVI. Quicquid verò ſit de iſtâ martyrum poteſtate & autoritate, quam ipſimet Eccleſiæ Patres in dubium vocarunt, uti refert Albaſpinæus *d. l. 1. obſ. 20.* non videtur tamen exomologeſis apud diaconum facta, & ſecuta deinde hujus abſolutio pro nudâ ceremoniâ haberi debere. Faciamus enimverò, abſolvendi poteſtatem boni ordinis & diſciplinæ gratiâ ſolis Epiſcopis & presbyteris competiiſſe, excluſis diaconis, certum tamen eſt, Epiſcopo abſente vel conſentiente plurima poſſe Diaconum, quæ ex ſe non poſſet, uti ſupra de baptiſmo exemplum dedi. Inter Canones Apoſtolicos trigeſimus nonus ita ſe habet: *Preſbyteri & diaconi ſine ſententiâ Epiſcopi nihil perficiant.* Eum limitat & reſtringit Balſamon ad ea, quæ ad Epiſcopum pertinent. Et Zonaras, *Presbyteris*, inquit, *& Diaconis qvi ſub Epiſcopis per ſingulas regiones dant operam ſacris, à ſe ipſis qvid agere non eſt conceſſum. Veluti punire & ſegregare, qvos volunt, ſtatimq; vel ſegregationem laxare, vel minuere, vel intendere. Pontificialis enim ſunt iſta poteſtatis. Ac niſi indultum ſit iis ab Epiſcopo, tale qvid facere non eſt eis permiſſum, &c.* Etiamſi igitur excommunicatos abſolvere & in gratiam recipere regulariter nõ liceat diaconis; ſi tamen Epiſcopus id permiſerit, uti in verbis ſupra adductis facit Cyprianus, diaconus utique ex permiſſione tali eandem exercebit poteſtatem, quam exercet Epiſcopus. Satiùs enim fuerit ultimâ inſtante horâ, & exitu urgente, uti loquitur Cyprianus, relaxare leges Eccleſiaſticas, & per diaconum pœnitentibus reconciliationem denunciare, quàm in excommunicatione obeuntibus omne ſolatium denegare.

LXVII. Ex iſto verò Cypriani loco etiam hoc obſervo, exomologeſeos vocabulum pro ſimplici confeſſione accipi, nec adeò ſemper pœnitentiam publicam denotare, etiamſi vel delictum pœnitentiam publicam meruerit, vel etiam delinquens eam ſubire paratus ſit. Tertullianus *lib. de pœnit.* exomologeſin ita deſcribit: *Exomologeſis proſternendi & humilificandi hominis diſciplina eſt, converſationem injungens miſericordiæ illicem de ipſo qvoqve habitu atq; victu mandat, ſacco & cineri incubáre, corpus ſordibus obſcurare, animum mœroribus dejicere, illa qvæ peccavit, triſti tractatione mutare, cæterùm paſtum & potum pura noſſe, non ventris ſcilicet, ſed animæ causâ, plerumq; verò jejuniis preces alere, ingemiſcere, lacrymari, & mugire dies noctesqve ad Dominum DEUM ſuum, presbyteris advolvi & charis DEI adgeniculari, omnibus fratribus lega-*

legationes deprecationis ſuæ injungere, &c. Sed hæc omnia peragi haudquaquam poſſunt ab eo, qui graviter decumbens ultimam mortis horam expectat, quique vitales ſpiritûs vix ducere adhuc poteſt. Unde nec univerſale eſt, quod notat Guil. Beveregius *ad can. 11. Concilii Nicæni I num. 7.* ἐξομολόγησιν apud Cyprianum denotare ὑπόπτωσιν, tertium ſcil. pœnitentiæ gradum, quem ſupra expoſuimus.

CAPUT IX.

De conditione & ſtatu Diaconorum in Conciliis & Synodis.

I. *Synodus de fidei controverſiis & diſciplina vel conſervanda vel reſtauranda.* II. *Ejus exemplum Apoſtoli præbuerunt,* III. *In qva ſimul cum Apoſtolis ſeniores ac reliqvi fideles convenerunt.* IV. *Et ſic admittendi omnes ordines, qvi judicandi facultate pollent.* V. *Diaconorum jus ſuffragii in Concilio.* VI. *Itemqve presbyterorum, exemplis demonſtratum.* VII. *In primis Athanaſii Diaconi,* VIII. *Baſilii, Aëtii, Eunomii.* IX. *Qvod Epiſcoporum ambitione ſublatum.* X. *Qvare ex ſolis epiſcopis deinceps coacta ſint Concilia.* XI. *Jus ſuffragii deciſivi, penes qvos ordinarie ſit?* XII. *Ordo celebrandi concilii. Diaconi ſtantes in conſpectu Epiſcoporum.* XIII. *Ejus deſcriptio apud Binium interpolata.* XIV. *Diaconi adventantes in Concilium introducunt,* XV. *Epiſcoporum ſuorum vices aliqvando ſuſtinuerunt.* XVI. *Sed Concilium Emeritenſe hoc abrogavit.* XVII. *Notariorum in Concilio munere functi Diaconi.*

I. DIximus hactenus de officio Diaconorum in ſacris. Sequitur, ut videamus, quantum potuerint in Conciliis. Sumo autem concilii vocabulum in ſenſu Eccleſiaſtico cuique notiſſimo, quatenus denotat conventum piorum, eruditorum & gravium Virorum ex omnibus Eccleſiæ ordinibus, ut de fidei controverſiis & diſciplinâ ex verbo DEI diſpiciant ac judicent ad DEI gloriam ac Eccleſiæ ſalutem. Et eſt ſanè talis conventus ſæpè neceſſarius non quidem ſimpliciter, ſed neceſſitate, ut vocant, expedientiæ, ut finis, qui intenditur, faciliore viâ obtineatur. Si tamen de diſciplinâ vel conſervandâ vel reſtaurandâ agen-

gendum fuerit, negari nequit, magis tùm eſſe neceſſariam ſynodum, quam ſi de fidei articulis aut doctrinâ moveatur quæſtio, quandoquidem fides unica tantùm eſt, ex Scripturâ ſacrâ tantùm, & ex nullo alio principio petenda, diſciplina autem pro diverſitate gentium & circumſtantiarum ſalvo vinculo fidei variare poſſit, ita ut in hâc per conventionem & pacta mutare ſæpiuſculè quid liceat, quod non licet in rebus fidei.

II. Ut verò Eccleſia normam haberet, quam ſequeretur in ejuſmodi Synodis habendis, exemplo ſuo prævérunt Apoſtoli *Actor. XV, 6. ſeqq.* deſtinato ut videtur animo, nullâ planè neceſſitate adacti. Nec enim tunc temporis opus erat hâc diſceptatione, ut ad hanc quæſtionem determinandam plures convenire neceſſe eſſet Apoſtolos, cùm ſinguli eam determinare potuiſſent, qvippe infallibilitatis dono prædìti, & in omnibus negociis Eccleſiaſticis divinâ inſpiratione inſtructi atque illuminati? Ex quo in proclivi eſt colligere, ſingulari providentiâ divinâ actum talem geſtum eſſe, ut innoteſceret naſcenti Eccleſiæ, quâ ratione corruptelis vel in doctrinâ vel in diſciplinâ orituris mederi & fibulam injicere poſſet. Nimirum, ut ii, quibus in Eccleſiâ animarum cura committitur, Apoſtolorum & Seniorum ſucceſſores in unum congregati collatis ſententiis illud pro lege ſtatuant, quod in Dei gloriam & animarum ſibi commiſſarum ſalutem conducere viſum fuerit. Hæc eſt prima & ſimpliciſſima conciliorum Eccleſiaſticorum norma, ex quâ unicè nunc, quales perſonæ iſti controverſiæ decidendæ adhibitæ fuerint, qvique adeò aſſeſſores & membra iſtius Concilii extiterint, nobis conſiderandum erit. Hoc enim conſtituto facilis deinde erit deciſio, quales perſonæ admitti in Conciliis debeant.

III. In iſto autem Apoſtolorum concilio probè notentur verba, quæ habentur *verſ. 22. viſum eſt Apoſtolis & presbyteris σὺν ὅλῃ τῇ ἐκκλησίᾳ cum tota Eccleſiâ.* Et *verſ. 23.* non Apoſtoli tantum & Seniores, ſed etiam fratres, οἱ ἀδελφοὶ illius ſcil. totius Eccleſiæ membra literas conſcribunt, quod argumentum eſt, non Apoſtolos tantùm & Seniores, ſed reliquos etiam fideles Hieroſolymis exiſtentes conveniſſe. Deinde fit etiam mentio ſermonis, qvi à converſis Judæis habitus fuit, *verſ. 5.* qvod ſine dubio in ipſo Concilio factum eſt, ubi ἐξανέστησαν, ſurrexerunt. Qvod igitur, *verſ. 6.* de Apoſtolis tantùm & Senioribus dicitur, qvod convenerint ad diſpiciendum, id fit per Synecdochen partis pro toto, qva veluti notâ utitur Lucas, qvia mos hic erat Apoſtolorum, ut in cauſis communibus convocarent Eccleſiam, qvemadmodum ex *Act. XVI, 5.* videre licet, ideò *h. l.* poſtea *verſ.*

verſ. 17. dicit totam multitudinem ſiluiſſe. Similis Synecdoche apparet ex *Act. XVI, 4.* ubi decreta ſynodi hujus Hieroſolymitanæ vocantur δόγματα κεκριμένα ὑπὸ τῶν Ἀποστόλων καὶ πρεσβυτέρων, placita, qvæ decreta fuérunt ab Apoſtolis & Senioribus, cum tamen *cap. antecedente XV* dixiſſet: *Viſum eſt Apoſtoſtolis & Senioribus cum totâ Eccleſiâ.* Qvod ſi inſuper attendatur πρόπεμψι Antiochena facta ab Eccleſiâ *verſ. 3.* & adventantium exceptio per Eccleſiam, Apoſtolos & presbyteros, *verſ. 4.* & decreti executio, *verſ. 22. & 23.* ubiqve & in omni negocio totam & integram Eccleſiam ex Clericis & Laicis conſtantem præſto fuiſſe, haud fruſtra dicemus. Ut jam taceam, ipſos etiam presbyteros ab aliqvibus duplices ſtatui, Eccleſiaſticos ſcilicet & Laicos, ex verbis Pauli *1. Tim. V, 17.*

IV. Ex his conficitur, judices in Conciliis circa credenda omnes eſſe fideles, ſive ex omnibus Eccleſiæ ordinibus admitti debere, qvi judicandi facultate pollent. Eſt enim concilium nihil aliud, qvam Eccleſia repræſentativa, non qvidem qvoad ſingula generum, ſed qvoad genera ſingulorum, qvod conſtet ex omnibus ordinibus Eccleſiarum, qvi apud nos in Doctores & auditores, in Eccleſiâ Romanâ in Clericos & Laicos diſpeſcuntur. Qvia verò ratione qvalitatis intrinſecæ non ſunt omnes æqvè habiles ad dijudicandum, ſed illi præcipuè, qvi ſacras literas didicérunt, idcircò judicandi poteſtas præcipua penes paſtores eſt, qvorum ſuffragia dicuntur proficiſci è judicio prophetico, qvia iſti ſunt Prophetæ & Theologi, & in Scripturis plerumqve magis exercitati qvam Laici, qviqve proinde verum Scripturæ ſenſum, qvi inveſtigatur, promptiùs eruere poſſunt; ſuffragia autem Laicorum ferè ſunt è judicio diſcretivo, dum ſenſum Scripturæ ſibi propoſitum, num analogiæ fidei conformis ſit, examinant, & ſecum deliberant. Ac proinde ſufficit ad judicium Laicorum in Conciliis, ſi ea, qvæ à Doctoribus deciduntur, poſt ſufficientem propoſitionem & diſcuſſionem poſſibilem rata habeant. Ut maximè ergò Laici non admittantur illicò in ſocietatem cognitionis & diſcuſſionis, excludendi tamen non ſunt à ſocietate determinationis, & publicationis, ſive univerſalis obligationis, qvemadmodum nec excluſi fuérunt ab Apoſtolis. Imò verò poteſt aliqvis Laicus non minùs eruditus, & in Scriptura δυνατὸς eſſe, qvàm alia qvævis perſona Eccleſiaſtica, qvem proinde etiam ad diſcuſſionis actum & ſuffragia ferenda admitti debere, fruſtra omninò, & ſine ratione negatur. Optimè Joh. Gerſon *in declar. veritat. qvæ credendæ ſunt. coroll. 4. judicium & concluſiones fidei, licet autoritati-*

vè ſpectent ad prælatos & Doctores, ſpectare tamen poteſt ad alios, qvàm Theologos deliberatio, ſicut & cognitio ſuper his, qvæ fidem reſpiciunt, ita etiãm ut ad laicos hoc poſſet extendi, & plus aliqvando, qvam ad multos clericorum.

V. Conſeqvens hinc eſt porrò, etiam Diaconos ad concilia admitti debere, & ad illos etiam pertinere jus ſuffragii ferendi, ſi qvidem idonei fuerint. Cùm enim Laicis primum illud jure ſuo, & qvatenus ſunt membra Eccleſiæ, competat, denegari id nullo modo poterit Diaconis, qvippe arctiori vinculo per officium, qvod ſuſtinent, Eccleſiæ addictis. Et diaconos etiam primo illi, qvod Hieroſolymis celebratum eſt, Concilio interfuiſſe, probabile eſt, qvippe qvi ad multitudinem fidelium, qvæ tùm congregata fuit, pertinuérunt, & ſine dubio inter eos fuérunt tantum non præcipui, qvi Antiochenos excepérunt. Et qvis verò excludere voluiſſet Stephanum, qvi plenus gratiâ & fortitudine faciebat prodigia & ſigna magna in populo? *Act. VI, 8.* Qvis excludere voluiſſet Philippum, qvem Spiritus S. nomine Evangeliſtæ dignatus eſt? *Act. XXI, 8.* Qvod ſi igitur inter diaconos aliquis ſuæ in Scripturâ peritiæ tantam habeat fiduciam, ut inter reliqvos eruditos audiri ſe poſſe putet, cum non ad deciſionem tantùm qvæſtionis, ſed ad ipſam etiam conſultationem & diſqviſitionem admitti debere, ſine dubio ſtatuiſſent Apoſtoli.

VI. Addere libet exempla alia, ut perſpicuum inde reddatur, obſervatum ita fuiſſe etiam ab Eccleſiâ, qvæ poſt Apoſtolica tempora floruit. In vitâ Victoris Papæ, qvam Liber Pontificalis, uti vulgo vocatur, exhibet, hæc leguntur verba: *Et fecit concilium & collatione factâ cum preſbyteris & diaconibus, accerſitoq; Theophilo Alexandriæ Epiſcopo, conſtituit,* &c. Si collatio facta eſt cum diaconibus, ipſi utiqve ad ſuffragia conſultativa admiſſi fuérunt, cùm collatio aliter fieri non poſſit. Ita cùm in cauſa Novati Romæ concilium habendum eſſet, conveniſſe ſcribit Euſebiꝰ *lib. 6. cap. 43.* ſexaginta Epiſcopos, presbyteros verò ac diaconos multo plures. Et in concilio Antiocheno adverſus Paulum Samoſatenum congregatos fuiſſe ſcribit idem *lib. 7. c. 28.* ſexcentos h. e. plures alios Epiſcopos, præter eos, qvos enumeraverat, unà cum presbyteris & diaconis, & *c. 29.* laudat Malchionem presbyterũ, qvod diſputatione cum Samoſateno habitâ, ſolus eum confutare potuerit, & *cap. 30.* refert epiſtolam Synodalem ad Dionyſium Urbis Romæ & Maximũ Alexandriæ Epiſcopos ſcriptam, & nomine non tantùm Epiſcoporũ, ſed etiã ipſius Malchionis & reliqvorũ presbyterorũ ac diaconorũ exaratam, planè ſecundũ ſtylũ Apoſtolicũ,

qvem

qvem ſupra retulimus. Ex qvo diſcimus, non Epiſcopos tantùm ſed presbyteros etiam controverſias tractaviſſe, & in concilio vocem habuiſſe, qvæ nec diaconis denegata fuiſſet, ſi qvis inter eos tàm promtum ſe exhibere potuiſſet. Inter eos, qvi ſuffragatores fuerunt in Concilio Arelatenſi I, plurimi referuntur diaconi, imò & exorciſtæ. Sic porrò in Concilio Eliberitano præter Epiſcopos etiam presbyteri & diaconi cum omni plebe comparuiſſe dicuntur, & notat Severinus Binius, Garciam Loayſam in antiqvo Codice inveniſſe, poſt ſubſcriptiones Epiſcoporum, nomina etiam presbyterorum ſubſcripta. Synodus Sinveſſana, qvæ in cryptâ Cleopatrenſi Marcellinum Pontificem Romanum idololatriæ reum judicavit & damnavit, non ex Epiſcopis tantùm, ſed etiam ex triginta presbyteris & tribus diaconis conſtitit. Sed nolo ulterius exemplis coacervandis inſiſtere; plura qvi cupit, adeat Marcum Antonium de Dominis, *de Rep. Eccleſ. lib. 7. cap. 3. num. 34.* Thom. Bilſon, *de perpet. Eccleſ. guberń. cap. 16. pag. 468.* Johan. Hülſemann. *in manual. contra Hager. diſp. 19. n. 5.*

VII. Taceri tamen non debet exemplum Athanaſii ſummi illius adverſus Arium Chriſtianæ fidei defenſoris. Cùm enim Nicæam ubi Concilium indictum fuerat, innumeri cum Epiſcopis veniſſent presbyteri & diaconi, uti teſtatur Euſebius *de vit. Conſtantini lib. 3. cap. 8.* & Caſſiodorus *in hiſt. tripart. lib. 2. cap. 1.* Athanaſius qvoqve tùm temporis Diaconus Eccleſiæ Alexandrinæ cum Epiſcopo ſuo Alexandro ad Concilium profectus eſt, atqve ibi cum Ario de fide acutiſſimè diſſeruit, adeò ut magnam rerum ibi geſtarum partem ipſe ſuſtinuerit. Sozom. *lib. 1. hiſt. Eccleſ. c. 16.* & propterea non nimia pars Nicænæ Synodi dicatur Nicephoro *lib. 8. cap. 15.* Latiùs id certamen explicat Baronius *ad ann. 325. num. 50.* his verbis: *Præ cæteris ipſe Athanaſius Arii & Arianorum omnium in ſe odium atqve invidiam provocavit, --- qvem Ariani cùm viderent Catholicæ veritatis præ ſe ferre acerrimum defenſorem, qvibusdam qvæſtionibus eum tentare cœperunt. Verùm & ipſe Arius aperto Marte ipſum invadens expugnare conatus eſt; at in caſſum tela conjecit in hominem fidei ſcuto contectum, qvo omnes inoffenſus ictûs excepit, & verbi DEI ancipiti gladio hoſtes exagitans, oculos cunctorum in ſe convertit; qvod maximam hoſtium invidiam concitavit, adeò ut manus omnium eſſent contra eum, & manus ejus adverſus omnes ſtrenuè dimicarent, &c.* Tanta ſcil. inter tot Epiſcopos in tàm celebri concilio fuit unius Diaconi eminentia, tantum ingenii acumen, ut dignus æſtimaretur, qvi in pleno conſeſſu verba faceret,

& impium hæreſiarcham confutaret.

VIII. Sic & deinceps in Synodo Conſtantinopolitanâ, qvæ anno CCCLIX habita fuit, inter anteſignanos utriusqve partis diaconi fuerunt, ex parte Baſilianorum ſcil. præter Baſilium Ancyræ Epiſcopum, Baſilius alius, diaconus adhuc; ex parte heteroouſiaſtarum autem Aëtius & Eunomius, ambo diaconi. Cumqve Baſiliani cum Aëtio diſputare metuerent, & ſub prætextu, qvod non conveniret diaconis cum Epiſcopis congredi, collationem prorſus declinarent, reſpondiſſe dicuntur Aëtius & Eunomius, controverſiam nunc non eſſe de dignitate, ſed veritatis inqviſitionem agitari, uti refert Philoſtorgius Eunomianæ hæreſi addictus *lib. 4. cap. 12.* Qvicqvid verò de hâc Baſilianorum tergiverſatione ſtatuendum aut credendum ſit, manet tamen illud, Diaconos qvandoqve inter Collocutores in Conciliis fuiſſe, egregiamqve navaſſe operam, adeò ut Heteroouſiaſtarum tota in Aëtio diacono tùm temporis poſita eſſet fiducia. Nec puduit tùm temporis Epiſcopos audire qvemcunqve, qvi orthodoxam fidem propugnare ſuâ induſtria poſſet. Tantùm abeſt, ut ex ſolis Epiſcoporum ſuffragiis conciliorum decreta colligerentur.

IX. Et ita qvidem aliqvando obtinuit in Eccleſiâ. Sed poſtqvam Epiſcopi ſuâ, qvam jure divino habebant, poteſtate non contenti, ambitionis nec modum nec finem ponerent, & ſinguli qviqve per potentiam epiſcopalis nominis, qvam ſibi ipſi illicitè absqve Eccleſiâ vendicaverant, totum qvod Levitarum erat, in ſuos uſus redigerent, nec hoc ſolum, qvod ſibi adſcriptum erat, vendicarent, ſed cunctis auferrent univerſa. uti conqveritur Hieronymus apud Gratianum *c. diaconi 23. diſt. 93.* Diaconis etiam in conciliis os obturatum & vox intercluſa fuit. Imò verò, ne aliqvis eſſet inpoſterum inter eos, qvi conari tale qvid poſſet, non eruditis amplius diaconatûs officium conferebant Epiſcopi, ſed indoctis planè, & in Scripturâ Sacrâ parum exercitatis, dum legendi tantùm facultate pollerent, in hoc unico, ut Evangelium atque Epiſtolas Paulinas legere poſſent, diaconi officium conſiſtere putantes. At longè alia fuit priſtina Eccleſiæ facies, in cujus hiſtoriâ ſæpiſſimè invenies diaconos cum Epiſcopis eruditione certantes, imò & eos ſuperantes, qvos proinde in Conciliis audire, & cum adverſariis Chriſtianæ fidei committere non dedignati fuerunt Epiſcopi.

X. Et hæc eſt una, atqve nî fallor præcipua ratio, cur ex Epiſcopis tantùm deinceps coacta fuerint Concilia. Alias duas ſuggerit Marcus Antonius de Dominis *d. l. 7. de Rep.*

Rep. Eccleſ. cap. 3. n. 32. 33. Prima generalia potiſſimum concernit concilia. *Qvia enim*, inqvit, *Concilia generalia & nationalia pleniora præparantur per concilia provincialia minus plena, propterea ſenſus provincialium Conciliorum deferri debet ad plenarium & magis generale per perſonas in provinciis, imò & in ſingulis Eccleſiis in rebus divinis inſigniores. hi verò ſunt Epiſcopi. Ideoqve Epiſcopos duntaxat ordinariè vocabant Imperatores. --- Interdum tamen omiſſo Epiſcopo Eccleſiæ particulares miſerunt ad generale Concilium abbatem aliqvem, qvippe in ſacris literis magis eruditum & aptiorem in his tractandis, qvàm fuerat Epiſcopus, &c.* Alteram rationem his exponit verbis: *Qvia vix ullum concilium fit, in qvo canones pro Eccleſiaſticâ diſciplinâ externoqve regimine non edantur. Cum verò regimen externum Eccleſiaſticum ſit penes ſolos Epiſcopos, neqve presbyteri, neqve diaconi, neqve Laici, ubi talia tractantur, locum habent.* Utraqve hæc ratio admodum probabilis eſt, & qvia ſæpè propter ſolam diſciplinam congregata fuérunt concilia, aut ſaltem propter eam præcipuè, factum deinceps eſt, ut presbyteri & diaconi, cùm ſe â talibus tractatibus excludi viderent, univerſa concilia ipſimet amplius non inviſerent, etſi aliqvibus intereſſe liceret. Idqve eo magis deinceps invaluit, poſtqvam bonæ literæ πανολεθρίαν & exilium paſſæ barbariei irruenti ceſſérunt, & non in ſcholis tantùm, ſed etiam in Eccleſiis locum dedérunt, exiguam ſibi apud Epiſcopos, imò neqve apud hos qvidem ſemper manſionem retinentes. Qvàm rudes enim & illiterati ſæpè fuerint Epiſcopi, exempla paſſim referuntur. Vid. Collector antiqvitatum Britannicarum, qvas evulgandas curavit Matthæus Parkerus, Archiepiſcopus Cantuar. *in vit. Joh. Ufford.* Richard. Montacut. *par. 2. Orig. Eccl. ad ann. Chriſti, 5. â bapt. num. 183.* Joh. Limnæ. *jur. publ. lib. 8. cap. 1. n. 26. ſeq.* Qvin & ſuperiore ſeculo, etſi inter Epiſcopos aliqvi docti eſſent, multo tamen plures adeò indocti erant, ut vix latinè ſcirent loqvi, & qvod multo pejus eſt, eorum aliqvi nec benè latinè legere noſſent, uti loqvitur Alfonſus â Caſtro Minorita *de punit. hæret. lib. 3. cap. 5.* qvi & de Romanis Pontificibus teſtatur, eorum plures adeò illiteratos fuiſſe, ut Grammaticam penitùs ignorarent *lib. 1. adv. hæreſ. cap. 4.*

XI. Hôc igitur jure ſuffragii in Conciliis exercendo excidérunt Diaconi. Qvod etſi unqvam eis competiiſſe negent nonnulli, & ſtatuant, ſolos Prælatos majores eosqve omnes, id eſt, Epiſcopos in Conciliis generalibus & provincialibus habere jus ſuffragii deciſivi ordinariè, ex privilegio autem & conſvetu-

ſvetudine etiam Cardinales, Abbates & Generales Ordinum, licet Epiſcopi non ſint; ex presbyteris autem & aliis Clericis minoribus tantùm vocari, & vocatos hoc modo fuiſſe olim, áliqvos viros doctos, qvi juvent in diſputando vel aliis miniſteriis; rectè tamen reſpondet Marcus Ant. de Dominis *d. l. n. 33.* poteſtatem ſuffragii nihil aliud eſſe, qvam jus dicendæ ſententiæ cum ipſius explicatione & probatione. Nec proinde admitti in Concilio aliqvos poſſe ut judices, alios ut diſputatores, cum judicium conciliare conſiſtat in illius ſententiæ approbatione, qvæ ſupra alias plus ponderis habere oſtenſa fuerit. *Qvare*, inqvit, *in Concilio nemo habere debet vocem judiciariam, niſi ſit ſimul diſputator, & aſſignet rationem, cur illi ſententiæ adhæreat, & aliam repellat, & rationem qvidem ex Scripturis duntaxat, & ex antiqvitate deductam, &c.* Et qvis verò dicere velit, Athanaſium in Concilio Nicæno jus ſuffragii non habuiſſe? qvem tamen, ut ſupra retuli, non minimam partem Nicænæ Synodi dixit Nicephorus. Sed ita obtinuit paulatim & ante plurima jam ſecula, ut nulla diaconorum in Conciliis amplius haberetur ratio.

XII. Extat antiqva deſcriptio, ſub titulo: *Ordo celebrandi concilii*, ſeu *qvomodo initianda ſit Synodus, agenda & ſolvenda.* qvam Decreto Gratiani â ſe edito ſubjunxit, & ex manuſcripto Iſidori libro transſcripſiſſe ait Antonius Contius. Ex eâ, qvæ ad rem præſentem faciunt, hîc notabimus: *Horâ diei primâ ante Solis ortum ejiciuntur omnes ab Eccleſiâ, obſeratisqve foribus cunctis ad unam januam, per qvam Sacerdotes ingredi oportet, oſtiarii ſtabunt: & convenientes omnes Epiſcopi pariter introibunt, & ſecundum ordinationis ſuæ tempus reſidebunt. Poſt ingreſſum omnium Epiſcoporum atqve conſeſſum vocentur deinde presbyteri, qvos cauſa probaverit introire. nullus ſe inter eos ingerat diaconorum. Poſtea ingrediuntur diacones probabiles, qvos ordo popoſcit intereſſe, & coronâ factâ de ſedibus Epiſcoporum, presbyteri â tergo eorum reſidebunt, qvos tamen ſeſſuros ſecum metropolitanus elegerit. Qvi utiqve & cum eo judicare aliqvid & definire poſſunt. Diacones in conſpectu Epiſcoporum ſtabunt. Deinde ingrediantur Laici, qvi electione conjugali intereſſe meruerint. Ingrediantur qvoqve notarii, qvos ad recitandum vel excipiendum ordo reqvirit, & obſervabunt januam. Sedentesqve in diuturno ſilentio ſacerdotes & cor totum habentes ad DEUM dicturus eſt Archidiaconus: ORATE. ſtatimqve omnes in terram proſtrabuntur tàm Epiſcopi, qvàm bresbyteri. — Finitâ autem oratione, & reſponſo ab omnibus AMEN, rurſum dicat Archidiaconus: ERIGITE VOS.* Con-

Confeſtim omnes ſurgent, & cum omni timore DEI & diſciplinâ tàm Epiſcopi & presbyteri ſedeant. Sicqve omnibus in ſuis locis in ſilentio conſedentibus diaconus albâ indutus, codicem canonum in medium proferens capitula de conciliis agendis pronunciat, &c.

XIII. Extat eadem deſcriptio apud Severinum Binium in principio Conciliorum ab eo collectorum, ſed interpolata, & aliqvot capitibus, inprimis qvod de interventu & ingreſſu Regis conceptum eſt, aucta. Vult autem Binius, deſumptam eam eſſe ab Iſidoro Mercatore ex Concilio Toletano IV, *cap. 4.* & non eſſe generalem hunc ordinem, ſed tantùm fortè ſervatum in Toletanis vel aliis in Hiſpaniâ celebratis conciliis. At verò etſi in *d. c. 4.* ſimilis aliqva deſcriptio inveniatur, multo brevior tamen & conciſior ea eſt, nec ſtatui certò poteſt, primitùs eam in dicto Concilio fuiſſe adornatam, cùm ſæpè ad verbum repetat Concilium poſterius, qvod ab anteriore aliqvo ſtatutum fuit. Cæterùm ex eâ liqvet, ad miſſos qvidem fuiſſe in locum Concilii diaconos tùm temporis, non tamen ut ſententiam dicerent, ſed ut ſtarent, veluti κωφὰ πρόσωπα, & obſervarent Epiſcopos; uni tantùm permiſſum fuiſſe, ut albâ indutus Codicem Canonum in medio poneret, & ex eo capita aliqva prælegeret, qvod ſanè exile miniſterium eſt, & penè nullius momenti.

XIV. Fuit verò etiam hoc diaconorum in Conciliis officium, ut adventantes in Concilium introducerent. Colligitur id ex Athanaſii *apol. 2.* ubi de Arianorum modo procedendi ut concilium orthodoxis formidabile redderent, verba facit. Conſveverant ſcil. Ariani in Synodos aulæ Imperatoriæ proceres ſibi faventes invitare, qvod non erat illicitum, ſed ut terrerent & præſiderent, qvod omninò improbum fuit. Hoc igitur reprehendit Athanaſius, & ait: *Qva fronte talem conventum ſynodum appellare audent, cui Comes præſedit, & ubi Speculator apparebat? & Commentarienſis ſive Carcerarius pro diaconis Eccleſiæ adventantes introducebat? ubi Comes verba faciebat? cæteri præſentes in ſilentio erant, vel potiùs Comiti obſeqvium ſuum accommodabant? ubi qvod communiter Epiſcopis placuit, ab illo impediebatur? Ille imperio utebatur, nos à militibus ducebamur, vel potiùs juſſis Euſebianorum ſententiisq; ipſe Comes inſerviebat, &c.* Conqveritur ſcil. Athanaſius, commentarienſem diaconorum partes ſuſtinere & adventantes in Concilium introducere, qvod omninò terrori fuit & introducendis, & reliqvis omnibus, qvi cum Arianis non faciebant. Potuérunt autem variæ ſubinde incidere cauſarum figuræ, propter

qvas tali introductione opus erat, vel qvia ſeriùs qvis adveniſſet, vel qvia aliàs Concilii auxilio opus eſſet. Qvia enim clauſæ & obſeratæ erant januæ, non videtur qvisqvam admiſſus, niſi licentiam impetraſſet. Unde in antiqvâ illâ Concilii habendi deſcriptione ſtatuitur: *Si presbyteri reliqvi, aut diacones, Clericus ſive Laicus de his, qvi foris ſteterunt, Concilium pro qvâlibet re crediderint appellandum, Eccleſiæ metropolitanæ archidiacono cauſam ſuam intiment, & ille Concilio denunciet, tunc illis & introeundi & proponendi licentia concedatur.*

XV. Tandem etiam illud notandum eſt, diaconos aliqvando in Conciliis Epiſcoporum ſuorum vices ſuſtinuiſſe, & decretis Synodalibus ſubſcripſiſſe. Diſertè id juſſit, & mandato ſuo inſeruit Conſtantius Imperator, cùm poſt terræ motum & ruinam Nicomedienſem Nicææ concilium indixiſſet, ut ineunte æſtate ibi convenirent Epiſcopi, exceptis his, qvi corporis infirmâ valetudine eſſent: ita tamen ut iſti presbyteros aut diaconos ſuo loco mitterent, qvos vellent, qvi ipſorum ſententiam ſignificarent, & de rebus ambiguis conſulerent, ſimulqve omnes inter ſe de omnibus conſentirent, referente Sozomeno *lib.4. cap.16.* Idqve deinceps receptum fuit etiam in occidente, potiſſimùm in Conciliis Hiſpanicis. In Concilio Toletano V, in fine hæc legitur ſubſcriptio: *Petrus in Chriſti nomine Decanus, agens vicem Domini mei Antonii Epiſcopi his decretis annuens ſubſcripſi.* Sine dubio legendum: *Diaconus.* Omnino enim idem eſt ille qvi ſubſcripſit Concilio Toletano VI, his verbis: *Wamba Diaconus, qvi & Petrus, Eccleſiæ Segobienſis, agens vicem Antonii Epiſcopi ſubſcripſi.* Jungitur ei in hoc Concilio Toletano adhuc alius: *Severinus, ſanctæ Eccleſiæ Valentinæ Diaconus agens vicem Muſitacij epiſcopi, ſubſcripſi.* In Concilio Toletano VII, ſubſcripſerunt Ambroſius Diaconus agens vicem Epiſcopi Menteſani, Aqvila Diaconus agens vicem Epiſcopi Bigaſtrenſis, & Matacellus Diaconus vicarius Epiſcopi Malacitani. In Concilio Toletano VIII, ſubſcripſerunt Diaconi vicarii Epiſcoporum ſuorum numero qvinqve. In nono unus. In decimo duo. In aliis, alii, plures, aut pauciores.

XVI. Id verò deinceps mutavit Congregatio Epiſcoporum in Concilio Emeritenſi *cap. 5.* prohibuitqve, ne qvis ampliùs Epiſcoporum vices ſuas deferat diacono, ſed presbyterum potiùs mittat ſi ipſe ex ſonticâ cauſâ aliqvâ venire impediatur. *Juxta canonicum ordinem tempore, qvod Concilium per Metropolitani voluntatem & Regiam juſſionem electum fuerit agere, omnes confini-*

ſinitimos Epiſcopos in unum oportet adeſſe, nec pro tali re qvælibet cauſa opponi debet ad excuſationem. Qvod ſi contingerit aliqvem de fratribus retineri ab infirmitate, qvaliter non poſſit venire, aut per regiam juſſionem injunctum acceperit aliqvid agere, ut ſit, per qvod non poſſit Concilio intereſſe; qvicqvid tale acciderit, Metropolitano ſuo fideliter intimet cuncta per ſuam epiſtolam manu ſuâ ſubſcriptam, ut poſtmodum qværatur, anne excuſationem faciat aliqvam. Ad ſuam tamen perſonam non aliter, niſi aut Archipresbyterum ſuum diriget, aut ſi Archipresbytero impoſſibilitas fuerit, presbyterum utilem, cujus dignitas cum prudentiâ pateat, â tergo Epiſcoporum inter presbyteros ſedere, & qvæqve in eo Concilio fuerint acta ſcire, & ſubſcribere. Injuſtum enim hoc accipit cœtus noſter, ut qvisqvam Epiſcoporum diaconum ad ſuam perſonam dirigat. Hic enim qvia presbyteris junior eſſe videtur, ſedere cum Epiſcopis in Concilio nullâ ratione permittitur. Qvemcunqve ergò ex presbyteris dirigere elegerit, inſtructum per informationem dirigat, ut ratio poſcit, &c. Qvod igitur diu hactenus Toleti obtinuit, id Emeritenſes Patres abrogatum ivêrunt, & minùs decorum Concilio putarunt, ſi Epiſcopi partes ſuſtineret Diaconus. Habuêrunt enim tales vicarii nomine Epiſcoporum ſuorum jus ſuffragii in conciliis, qvod ex epiſtolâ Aviti Epiſcopi Viennenſis ad provinciæ ſuæ Epiſcopos, qvâ eos ad Synodum Epaonenſem invitat, adverſus Panormitanum probat Petrus de Marca *de concord. ſacerdot. & imp. lib. 6. cap. 13. n. 3.*

XVII. Leve eſt, nec dignum adeò, qvod prolixè per exempla probetur, in Synodis exceptorum qvandoqve vel Notariorum munere functos fuiſſe diaconos. Sic enim apud Epiphanium *hæreſ. 71.* in colloqvio qvod cum Photino habuit Baſilius Ancyræ Epiſcopus, inter exceptores & ταχυγράφους referuntur Anyſius diaconus Baſilii & Calicrates exceptor Ruffini præſidis provinciæ, ac Olympius & Nicetes memoriſtæ ſive â memoriâ ipſius Baſilii & Eutyches ac Theodulus notarii Baſilii. Et tales exceptores plerumqve adhibiti fuérunt numero plures, ab ipſis partibus diſſidentibus ſelecti, & juramenti religione adſtricti, ut omnia, qvæ fiunt & dicuntur, fideliter conſignent, utve acta adeò conſcribant eâdem diligentiâ atqve fide, qva ſcribi debent acta judicialia.

Capvt X.

De obſervantia & aliis officiis, qvæ Epiſcopis & Presbyteris debuerunt Diaconi.

I. *Epiſcoporum, atqve Presbyterorum, nulla primitus differentia.* II. *Epiſcoporum ambitus ex Hieronymo deſcriptus.* III. *Diaconorum infra illos dignitas, & hinc ſecuta incommoda.* IV. *Dignitatum in Eccleſia gradus.* V. *Ipſi diaconi ſua dignitatis fecere jacturam,* VI. *Ambitionis, ſuperbia, invidiaqve vitio incitati.* VII. *Prater canonem fieri qvid dicatur.* VIII. *Seſſio Diaconorum.* IX. *Secretarium pro bemate uſurpatum.* X. *In præſentia presbyterorum Diaconis nec ſedere, nec loqvi ſine permiſſu licuit.* XI. *De hac re canones aliqvot repetiti Concilii Carthaginienſis* IV. XII. *Canon* VII *Qvinisexti Trullenſis,* XIII. *Explicatus.* XIV. *Apoſtolorum Eccleſiaqve Doctorum ambitio.* XV. *Mos coram presbytero, judice, ſtandi.* XVI. *Presbyteri in conſpectu Epiſcoporum ſteterunt.* XVII. *Neceſſitas ſtandi Diaconis cauſſa reluctandi.* XIIX. *Diaconi Epiſcoporum perpetui comites.* XIX. *Epiſcopo cum presbyteris & Diaconis indiſſolubilis nexus,* XX. *in adminiſtratione, diſpenſatione.* XXI. *Occidentalium adverſus Pontificem nimia veneratio.* XXII. *Epiſcoporum in ſupprimendis Diaconis artes.* XXIII. *Canon* VI *Concilii Bracarenſis* III. XXIV. *Duplex inde Luſitania Epiſcoporum* ἀμάρτημα *ſignatum.* XXV. *Iniqvum Sanctionis, Epiſcopi Aurelianenſium, in diaconum ſuum facinus.*

I. Capite antecedente dixi, & ex antiqvâ concilii habendi atqve celebrandi deſcriptione probavi, oportuiſſe in publicis ejusmodi congregationibus diaconos in conſpectu Epiſcoporum ſtare, & per hanc rationem in Concilio Emeritenſi decretum fuiſſe, ne qvis Epiſcoporum deinceps Diaconum ſubſtituat, ut in Concilio partes ſuas agat, aut nomine ſuo ſuffragium ferat. Id verò prioribus temporibus aliter obtinuiſſe certum eſt, qvibus diaconi ampliore honore digni habiti fuerunt, præſertim cum inter Epiſcopos & presbyteros nulla adhuc differentia eſſet, & ex duobus tantùm his ordinibus, presbyteris ſcil. & diaconis, tota hierarchia Eccleſiaſtica conſtaret. Et obſervabatur qvidem tùm inter eos aliqva dignitatis prærogativa, talis

his tamen, qvalis deinceps tribui cœpit, ὑπεροχὴ Epiſcopis nondum competebat, ſed qvia utriq; & presbyteri, qvi etiam Epiſcopi dicebantur, & diaconi in Chriſtianæ fidei propagatione laborabant, mutuâ qvoqve charitate ſe invicem complectebantur, mutuiſqve auxiliis ſibi invicem ſubveniebant. Poſtqvam autem plus ſibi per πλεονεξίαν ſumere cœpiſſent Epiſcopi, & ſuam qvotidiè ſupra presbyterorum ordinem augerent dignitatem, & presbyteri ſimiliter ad imitationem Epiſcoporum eminere ſupra alios vellent, factum eſt, ut diaconi tandem extra omnem dignitatem poſiti non reverentiam tantùm utriſqve, ſed alia etiam officia præſtare cogerentur.

II. Deſcribit iſtam Epiſcoporum πλεονεξίαν, & ſupra Diaconos ἐξοχὴν Hieronymus apud Gratianum *c. diaconi 23. diſt. 93.* cujus aliqva verba hîc inſerere non erit à ſcopo noſtro alienum. *Diaconi ſunt*, inqvit, *qvos in apocalypſi legimus, ſeptem angeli Eccleſiarum, hi ſunt ſeptem candelabra aurea: hi ſunt voces tonitruorum virtutum operatione præclari, humilitate præditi, qvieti, humiles, evangelizantes pacem, annunciantes bona, diſpenſiones & rixas & ſcandala reſecantes: docentes: ſoli DEO colloqventes in templo, nihil penitus de mundo cogitantes: dicentes patri & matri, non novi vos: & filios ſuos non agnoſcentes. Sine his Sacerdos nomen non habet, ortum non habet, officium non habet, hic miniſter DEI dicitur, qvia ſcriptum eſt: major eſt qvi miniſtrat, qvam cui miniſtratur, & ſicut eſt in Sacerdote conſecratio: ita in miniſtro ſacramenti diſpenſatio. Sacerdotibus etiam propter præſumptionem non licet de menſa Domini calicem tollere, niſi eis traditus fuerit à diaconis. Ita enim Dominus noſter omnipotens univerſa diſpoſuit, ut qvi majorem ſe eſſe crediderit, minor eſſet, & qvi minor videretur major exiſteret. Deniqve qvàm hoc verum ſit, tu ipſe perpende. Levitæ componunt menſam Domini: Levitæ Sacerdotibus cum ſacramenta benedicunt, aſſiſtunt: Levitæ ante Sacerdotes orant, ut ſi diſtinctio locorum creditur in mundo etiam in altari DEI videant ſibi Epiſcopi, qvi ſuperbi ſunt, diaconos anteponi. Si humilitatem diligunt, majores ſe eſſe in eo, qvod ſunt humiles, recognoſcant. Tunc demum ut aures habeamus ad DEUM Diaconus acclamat, ipſe prædicat, ipſe hortatur, ipſe etiam commonet adſtantibus Sacerdotibus, ne leviter hanc vocem, qvâ loqvitur hæc, & pacem annunciat, audiant, aut negligenter adſpiciant. Sufficit huic ordini tantum fuiſſe per DEUM conceſſum, ut non ſolus Sacerdos in templo DEI totum agere & implere videatur.*

III. Hactenus in laudes & encomia diaconorum diffuſus fuit Hieronymus, ut contemni eos & adeò

deprimi non debere, perſvaderet Epiſcopis & presbyteris, qvos etiam ſuperari ab illis dicit in qvibuſdam. Seqvitur nunc apud eundem, qvantum Diaconi infra dignitatem Epiſcoporum poſiti fuerint, qvantaqve inde ſecuta fuerint incommoda. *Nunc autem*, inqvit, *ex qvo in Eccleſiis, ſicut in Romano Imperio, crevit avaritia, periit Lex de Sacerdote, & viſio de Prophetâ. Singuli qviq; per potentiam Epiſcopalis nominis, qvam ſibi ipſi illicitè abſqve Eccleſiâ vendicaverunt, totum, qvod Levitarum eſt, in ſuos uſus redigunt: nec hoc ſolùm qvod ſibi adſcriptum eſt, vendicant, ſed cunctis auferunt univerſa. Mendicat infelix in plateâ Clericus, & ſervili operi mancipatus publicam à qvolibet poſcit eleemoſynam: qvi ex eo magis deſpicitur à cunctis, qvo miſer & deſolatus juſtè putatur ad hanc ignominiam deveniſſe. Solus Epiſcopus incubat bonis, ſolus utitur miniſterio, ſolus univerſa ſibi vendicat, ſolus partes invadit alienas, ſolus occidit univerſos. Hinc propter avaritiam ſacerdotum ſæpè odia conſurgunt: hinc Epiſcopi accuſantur à Clericis, hinc principum lites, hinc detractionis cauſa, hinc origo fit criminis. Etenim ſi unuſquiſqve ita in hoc mundo viſibili aliqvid poſſidere jubetur, ut ſua tantùm poſſeſſione ſit contentus, ac res non invadat alienas, non agrum pauperi tollat, non vineam, non ſubjectorum aliqvod, non famulos, non fructum; qvanto magis qvi Eccleſiæ DEI præeſt, debet ita ſervare in omnibus juſtitiam, ut ſolum ſibi vendicet, qvod ſui juris eſſe cognoſcit, aliena non rapiat, aliena non contingat, æqvalem ſe cæteris faciat: & ſicut ſine his in miniſterio non vivit, ita in diſpenſatione non vivat, &c.*

IV. Totus contextus oſtendit, reprehendere Hieronymum non avaritiam tantùm Epiſcoporum, ſed etiam eorum ſuperbiam, qvâ diaconos penè pro nullis habebant, & ut eo magis contunderent, bonis omnibus exuebant, reditusqve eis deſtinatos ſuos faciebant: Non ita deſpiciendos eos eſſe ait, qvos Dominus Epiſcopis adjunxit, ut ſimul cum illis ſacra peragerent, in qvamplurimis præirent. Nec tamen hoc voluit Hieronymus, ita æqvales inter ſe eſſe debere utroſqve, ut nulla omninò diſtinctio appareret. Siqvidem idem ipſe apud eundem Gratianum *can. ſeq.* graviter diſſerit, qvâ ratione ſubeſſe debeant presbyteris Diaconi. Qvam ergò inculcat æqvalitatem, ita accipienda eſt, ut omnis contemtus abeſſe debeat, utqve mutuo honore ſe invicem afficiant, ſalvâ tamen reverentiâ & obſervantiâ, qvam diaconus, ut inferior debet Epiſcopo, ut ſuperiori. Hanc enim naturalis ratio dictitat, qvæ bonum ordinem, ut retineat & conſervet, gradatim ſæpè adſcendit, & erga ſingulos reverentiæ cultum exigit.

Sic itaq; auctâ hierarchiâ receptum eſt, ut Pontifici presbyter, presbytero diaconus, diacono ſubdiaconus, ſubdiacono acolytus, acolyto exorciſta, exorciſtæ Lector, Lectori oſtiarius, oſtiario abbas, abbati monachus in omni loco repræſentet obſeqvium, ſive in publico, ſive in gremio Eccleſiæ *c. à ſubdiacono 5. diſt. 93.*

V. Qvod autem diaconi deinceps tantam dignitatis ſuæ jacturam fecerint, videntur ipſimet fortunæ ſuæ fabri extitiſſe, dum adverſus Epiſcopos ſuos ſæpiſſimè inſurrexêrunt, & reverentiâ omni poſthabitâ peſſimè iis inſultârunt, atqve ſic diſciplinam Eccleſiaſticam magno cum ſcandalo evertêrunt. Unde neceſſe deinceps fuit, cùm in ordinem redigi aliter non poſſent, ut à dignitate, qvâ ſuperbiebant, dejicerentur, & multo inferiore poſtea loco haberentur. Extat apud Gratianum *c. pen. diſt. 93.* fragmentum epiſtolæ, qvâ Cyprianus ſuo tempore, h. e. circa annum Chriſti CCL conſultus reſpondet Rogatiano Epiſcopo à diacono ſuo atrocibus injuriis & contumeliis atqve conviciis proſciſſo, idqve exemplum præbet exſuperantis ἀλαζονείας jam pridem à diaconis uſurpatæ. Tota & integra epiſtola extat *lib. 3. ep. 9.* in oper. Cypriani & apud Binium *tom. 1. Concil. pag. 188. Graviter*, inqvit, *& dolenter commoti ſumus, ego & Collegæ mei, qvi præſentes aderant, frater chariſſime, lectis literis tuis, qvibus de Diacono tuo conqveſtus es, qvod immemor ſacerdotalis loci tui, & officii ac miniſterii ſui oblitus, contumeliis & injuriis ſuis te exacerbaverit. -- Meminiſſe autem Diaconi debent, qvoniam Apoſtolos id eſt, Epiſcopos & præpoſitos Dominus elegit; diaconos autem poſt adſcenſum Domini in cœlos Apoſtoli ſibi conſtituêrunt, Epiſcopatus ſui & Eccleſiæ miniſtros. Qvod ſi nos aliqvid audere contra DEUM poſſumus, qvi Epiſcopos facit, poſſunt & contra nos audere diaconi, à qvibus fiunt.* (Hoc eſt, non poſſunt contra nos audere qvicqvam diaconi, non magis, qvàm nos adverſus Deum) *Et ideò oportet diaconum, de qvo ſcribis, agere audaciæ ſuæ pœnitentiam, & honorem ſacerdotis agnoſcere, & Epiſcopo præpoſito ſuo plenâ humilitate ſatisfacere. Hæc ſunt enim initia hæreticorum, & ortus atq; conatus Schiſmaticorum malè cogitantium, ut ſibi placeant, ut præpoſitum ſuperbo tumore contemnant. Sic de Eccleſiâ receditur, ſic altare prophanum foris collocatur, ſic contra pacem Chriſti & ordinationem, atqve unitatem DEI rebellatur, &c.*

VI. Dubium non eſt, eodem ambitionis, ſuperbiæ & invidiæ vitio incitatos plurimos alios Diaconos Epiſcopis ſuis ægrè feciſſe, ſi præſertim ingenio & judicio ſe præſtantiores animadvertiſſent. Sic enim evenire ſolet, ut qvi ingenio valent, & majori habilitate ac dexteritate pollent,

lent, præeminere cæteris, ac plus fortunæ, plus felicitatis conſeqvi, ſuâqve ſorte non contenti aliena invadere laborent, eosque qvi impedimento ſibi ſunt, peſſimè ſæpè & multis conviciis excipiant. Tales qvamplurimos inter Diaconos ſeculo tertio & qvarto ineunte fuiſſe, argumentum eſt, qvod eâ de re in Concilio Oecumenico Nicæno deliberari oportuit. Erant ſcilicet ab eo tempore, qvo Eccleſia ceremoniis amplioribus alligari cœpit, inter officia ſacerdotalia & diaconalia certi limites poſiti, qvi finium regundorum actionem ſubminiſtrare poterant, ſi qvis alterius officium invaſiſſet. Id verò cum contigiſſet ſæpenumero, nec in ordinem cogi poſſent diaconi, ſic tandem decrevit Synodus Nicæna *can. 18.* apud Gratian. *c. pervenit diſt. 93. Pervenit ad ſanctum magnumqve Concilium, qvod in qvibuſdam locis & civitatibus diaconi presbyteris Euchariſtiam præbeant, qvod neq; canon, neq; conſvetudo tradidit, ut qvi poteſtatem offerendi non habent, his, qvi offerunt corpus Chriſti, porrigant. Illud etiam innotuit, qvod jam qvidam ex diaconis etiam ante Epiſcopos euchariſtiam attingant. Omnia igitur iſta auferantur, & diaconi intra propriam menſuram maneant, ſcientes, qvod miniſtri ſunt Epiſcoporum, & presbyteris inferiores exiſtunt; accipiant autem ſuo ordine euchariſtiam, poſt preſbyteros vel Epiſcopo dante vel presbytero. Sed nec ſedere in medio presbyterorum diaconis liceat, id enim ſit præter canonem & ordinem. Si qvis autem obedire noluerit, poſt has definitiones deſinat eſſe diaconus.*

VII. Præter canonem, **παρὰ κανόνα**, dicitur fieri, ſi diaconus ſedeat in medio presbyterorum. Præſumtio igitur hinc naſcitur, ante hunc canonem Synodi Nicænæ extitiſſe alium alterius cujuſdam ſynodi, qvi id prohibuerit, qvique hodiè non extat amplius. Vix enim qviſquam antiqvius aliquod teſtimonium de hoc ſedendi ordine proferet, qvàm qvod ex canone hoc Nicæno petitur. Niſi qvis per canonem, regulam à naturâ præſcriptam, qvod inferior cedere & ſubeſſe debeat ſuperiori, intellectam velit. Verùm ejus rei curam aliis committo. Ego enim circa interpretationem magis ſollicitus ſum, nec tam de eo, qvod de Euchariſtiæ diſpenſatione & ſumtione, qvàm qvod de ſeſſione dicitur. Id enim Theodorus Balſamon explicat de ſeſſione, qvæ fit ad ſanctum altare, *ἐν τῷ ἁγίῳ θυσιαστηρίῳ*, ſive, ut paulo ante loquitur *ἐν ταῖς συνάξεσι*, (de qvâ voce videri poterit Caſaubonus *exercitat. 16. contra Baron. n. 42.*) ut excuſet ſcil. morem ſuo tempore receptum, qvo in congregationibus, qvæ ſunt extra ſacrum tribunal, *ἔξω τοῦ βήματος*, diaconi ante ſacerdotes ſedere ſolebant,

bant,

bant, qvod ipſe tamen fieri dicit propter officia, qvæ illis à Patriarchâ commiſſa & collata eſſent. Sed qvæ promiſcuè non excuſant, uti apparet *ex c. 7.* Synodi Qviniſextæ in Trullo habitæ, qvod legitur ap. Gratian. *c. ult. diſt. 93.* Eum ſecutus Guilielmus Beveregius *in not.* explicat de συνθρόνῳ, ſive certâ ſede presbyteris in bemate aſſignatâ, qvam occupare diaconi prohibiti fuerint. Et eſt qvidem ita, uti ait Beveregius, quod totus hic canon de euchariſtiâ celebrandâ agat, qvodque adeò de conventibus ſacris & cultui divino deſtinatis iſta prohibitio accipi debeat; ſine dubio tamen eadem illa etiam ad alias congregationes extenſa fuit, ut ubiqve jus προεδρίας ſalvum & integrum maneret Epiſcopis & presbyteris. Et propterea rectè commentatur Alexius Ariſtenus *ad eund. can.* ideò prohiberi diaconum ſedere inter presbyteros, ne ſupra eos inveniatur ſedere.

VIII. Extenſivam iſtam, qvam dixi, interpretationem, ſi non in ipſo Concilio Nicæno, non multò tamen poſt locum inveniſſe & factam eſſe docet canon 20. Concilii Laodiceni, qui generaliter loquitur, & ſeſſionem diacono in præſentiâ presbyterorum prohibet his verbis: *Non oportet diaconum coram presbytero*, ἔμπροσθεν πρεσβυτέρου, in conſpectu, in oculis presbyteri *ſedere; ſed juſſione presbyteri ſedeat*, ἀλλὰ μετὰ κελεύσεως τοῦ πρεσβυτέρου καθεζέσθω. *Similiter autem diaconus honorem habeat à ſeqventibus, id eſt à ſubdiaconis & ab omnibus clericis.* Gratian, *c. non oportet 15. d. diſt. 93.* Generaliter inqvam loquitur textus, neque patitur reſtrictionem ad congregationes ſacras in bemate factas, ſed de quibuſcunque conventibus Presbyterorum & diaconorum intelligi debet. Qvin ad privàtos potiùs qvàm ad publicos conventûs pertinere videtur id, qvod dicitur, μετὰ κελεύσεως, juſſu & permiſſu presbyteri diacono ſedere licere, qvia ſtandi iſta obligatio decentiùs intra privatos parietes remittitur, juſſus etiam ἐν-σκηνώναις magis interponitur, qvàm in publico.

IX. Qvod ſecutum eſt Concilium Arelatenſe II. *c. 15.* repetiit, quod Concilium Nicænum ſtatuerat, verbis tamen brevioribus & aliquantum immutatis: *In ſecretario Diaconis inter presbyteros ſedere non liceat, vel corpus Chriſti, præſente presbytero, tradere non præſumant. Qvod ſi fecerint, ab officio diaconatûs abſcedant.* Per ſecretarium Beveregius *d. l.* diaconicum intelligi negat, ſed uſurpari hic ait iſtud vocabulum pro ipſo bemate. In diaconico enim presbyteros ſedere non ſolere, nec diaconis ibi ſedere prohiberi. At verò, quid Secretarium eo tempore denotaverit in Galliâ Narbonenſi, in quâ ſita fuit Arelate ſedes concilii, in aliâ

ejuſdem Galliæ Narbonenſis civitate, Agathâ nimirum, poſt annos centum explicavit concilium aliud, Agathenſe inde dictum, *can. 66. Qvoniam non oportet inſacratos miniſtros licentiam habere in ſecretarium, qvod Græci diaconicon appellant, ingredi & contingere vaſa dominica.* Non igitur apud Gallos Narbonenſes aliud fuit Secretarium, aliud diaconicum. Et gratis dicit Beveregius, in diaconico presbyteros ſedere non ſolere. Qvippinî enim ſedere illic licuerit, quò non prohibitus fuit ingreſſus? At ſolis inſacratis miniſtris ſecretarium ingredi prohibitum fuit.

X. Sed ne quis dubitet, etiam in privatis conventibus presbyteros iſta πρεσβεῖα τῆς τιμῆς habuiſſe, ut ſedere poſſent ipſi, non verò diaconi, niſi ſuo juſſu & permiſſu, clarioribus verbis & diſertè magis ſtatuérunt ſub finem ſeculi IV Patres in Concilio Carthaginenſi IV, *can. 39. & 40.* apud Gratianum *d. diſt. 93. c. 19. Diaconus ſedeat jubente presbytero in qvolibet loco.* Item, *Diaconus in conventu presbyterorum interrogatus loqvatur.* In qvolibet loco, ajunt, non in publico tantùm, aut ſacro bemate, ſed ubicunque convenerint. Nec lingvæ uſus Diacanos in præſentiâ presbyterorum permittitur, niſi interrogati fuerint, quod ſummæ demiſſionis & tantùm non ſervilis conditionis argumentum eſt. Sed in eodem tamen concilio idem ſibi dictum putare debuérunt presbyteri, quod *canone 34.* Epiſcopis mandatum fuit, ne ſedentes ſtare preſbyteros paterentur. Pariter etiam presbyteros ſuo iſto honore, qui à diaconis exhiberi debuit, modeſtè uti oportuit, quanquam in reſpectu ad presbyterum multo inferior fuerit eo tempore conditio diaconi, quam presbyteri in reſpectu ad Epiſcopum.

XI. Cum verò diaconi identidem ſibi hanc poteſtatem ſine conceſſione aut conſenſu presbyterorum ſumerent, iterare & repetere adductos canones ſubinde oportuit, ut ſuæ conditionis memores ſupra presbyteros ſeſe extollere deſinerent. Hoc modo Gelaſius I, Papa *epiſt. 9.* quæ ad Epiſcopos Lucaniæ ſcripta eſt, quâque plurima ad diſciplinam Eccleſiaſticam pertinentia ſignificavit, etiam hoc admonitum voluit, non debere diaconos in presbyterio reſidere, cum divina celebrantur, vel Eccleſiaſticus quicunque habetur tractatus. Pariter Concilii Agathenſis Patres *can. 65.* ad verbum repetiérunt canonem Laodiceni concilii ſupra adductum. Et hæc perpetua nota eſt mali nondum extirpati, ſed repullulantis & vires recipientis, ſi priorum ſynodorum decreta repetere neceſſe fuerit. Frequens igitur fuit hæc diaconorum κακοήθεια, ut presbyteros ſuos contemnerent, & eorum ſedes occuparent,

rent, atque ſuperiores eſſe magnis viribus contenderent.

XII. Inſeruit inſuper Gratianus compilationi ſuæ *in fine diſt. 93.* Concilii Qviniſexti Conſtantinopoli in Trullo habiti canonem ſeptimum, quem paulo auctiorem ex ipſis fontibus hîc adſcribemus. *Qvoniam in nonnullis Eccleſiis diaconos officia Eccleſiaſtica habere didicimus, & ex hoc nonnullos eorum arrogantia & licentiâ fretos ante presbyteros ſedere, ſtatuimus, ut diaconus, etiamſi in dignitate, id eſt, in qvovis ſit officio Eccleſiaſtico, ante presbyterum ne ſedeat, præterqvam ſi proprii patriarchæ vel Metropolitani vicem gerens adſit in aliâ civitate ſuper aliqvo capite. Tunc enim, ut locum illius implens, honorabitur. Si qvis autem tyrannica adductus audacia tale qvid efficere auſus fuerit, is ex proprio gradu dejectus, ſit omnium ultimus ejus ordinis, in cujus eſt catalogo in ſuâ Eccleſiâ, &c.* In jure Græco Romano ab Johanne Leunclavio collecto ſect. 2. tit. 4. epitome hujus canonis ita ſe habet: *Diaconus, qvi habet officium, niſi perſonam referens ſui Patriarchæ vel metropolitani alicujus rei cauſâ in aliam Urbem venerit, ante presbyteros ſedens, omnium ultimus eſto.*

XIII. Qværit hîc Balſamon & Zonaras, cur hoc canone Diaconus priorem ſedem occupans gradu tantum dejiciatur, non ordine, ut olim conſtituit Synodus Nicæna, qvæ depoſitionis pœnam indixit. Et reſpondet uterque, canonem Nicænum agere de diaconis, qui dum ſacra myſteria peraguntur, in ſacrario medii inter presbyteros conſedére, qvo qvidem tempore eos maximè ſacerdotibus inſervire atq; adſtare oportuerat; Synodi verò πενθέκτης canonem remiſſiùs agere ideò, quia tractet de iis, qvi extra ſacrarium alio qvocunque conſeſſu digniorem ſibi inter ſacerdotes locum arrogárint. Si qvis igitur honeſtiorem ſedendi locum impudenti temeritate ſacerdotibus præripuerit, eum in arrogantiæ ſuæ pœnam non à miniſterio qvidem per hunc canonem repelli, ſed à ſuo tantùm gradu removeri & in ultimum reponi. Verùm expoſitio hæc merè eſt conjecturalis. Qvid enim ſi dicamus, quoad pœnam derogatum fuiſſe Canoni Nicæno, & aſperiorem illam commutatam in remiſſiorem? Nec enim infrequens id eſt, in legibus tùm civilibus, tùm Eccleſiaſticis, ut pœnæ exacerbētur, qvandoque mitigentur, prout ſtatus Eccleſiæ aut politiæ poſtulat. Nec tamen reprehendo propterea Græcorum iſtorum interpretationem, cùm utique levius delictum ſit, in loco privato, quàm in ſacro & publico, προεδρίας jus uſurpare.

XIV. Cæterùm mirum non eſt, inter Eccleſiaſticas perſonas, qvæ veluti in ſpeculâ conſtitutæ reliquis

omnibus exemplo eſſe debent, jam inde ab initio qvaſi Eccleſiæ, freqvẽs admodum iſtud vitium fuiſſe, nec vel unicũ præteriiſſe ſeculum, quo non publicâ aliquâ cenſurâ cohibere oportuerit iſtas inferiorum adverſus ſuperiores ſuos machinationes. Siquidẽ ipſi etiam Apoſtoli ab οἰήσεως vel etiam ſuperbiæ crimine prorſus liberi non erant, quippe qui de primatu in Regno cœlorum, etiam præſente Magiſtro ſuo, altercabantur. Et ipſi primi homines ſuâ ſimplicitatis conditione & dote, qvam Dei dono & præſcripto acceperant, minimè contenti, poſt blandas Satanæ voces, prudentiores & ſapientiores atq; ipſi Deo ſimiles eſſe volebant, h. e. deſiderabant ſublimem, eminentiſſimũ, & perfectiſſimũ ſtatum Dei in ſcientiâ, potẽtiâ, præſentiâ, gloriâ, vitâ, dominio & reliquis ejuſmodi axiomatibus divinis. Ignoſcendum igitur eſt qvandoq; miniſtris Eccleſiæ, ſi qvid tale ex fragilitate humanâ auſi fuerint, cùm & ipſi homines ſint, & nihil humani à ſeſe alienum eſſe ſentiant. Sed & corripiendi qvandoq; ſunt ſeveriùs, neq; connivendum ampliùs, ſi obſtinatiores fuerint, nec ſuâ ſorte contenti ea involent & invadant, qvibus ipſi prorſus impares ſunt, & ex hoc diſciplinã Eccleſiaſticam fœdiſſimâ ſuâ arrogantiâ perturbent.

XV. Nec verò hoc tantùm prohibitum fuit diaconis, ut nullam περὶ πρωτείων presbyteris moverent litem, nec priores ſedes occuparent, id enim tolerari utcunq; poterat, qvanquam & hoc multis difficile eſſet; ſed etiam ipſa ſedendi conditio eis denegata fuit, niſi presbyteri præſentes juſſiſſent & conceſſiſſent. Id verò ſubjectionem valdè demiſſam & tantùm non ſervilem arguere videbatur, cui ſe adſtringere ægrè poterat homo ingenuus. Sanè non exiguus eſt honor ille, qui ſedenti à ſtante defertur, & fit amplior, ſi alter ſtare tenetur, dum id, quod in facultate naturali eſt, per ſupervenientem prohibitionem alterius impeditur. Non certè putavit ſibi decorum C. Plinius cum tribunus eſſet, ut ulteriùs cauſis agendis operam daret, qvod deforme arbitraretur, cui aſſurgere, cui loco cedere omnes oporteret, hunc omnibus ſedentibus ſtare, *lib. 1. epiſt. 23.* Cauſidici enim ſive qvi cauſam alienam orabant, jus ſedendi non habebant, ut maximè honorati eſſent, ſed ſtandi neceſſitatẽ ſubire tenebantur *l. 6. in f. C. de poſtuland.* Qvin & illis Honoratis, qvibus in provinciis conſidendi cum judicibus ſeu Rectoribus provinciarum in ſecretario, cum de cauſis cognoſceretur, jus erat, ſi ipſi lites habebant, eo tempore & iis horis, qvibus ipſorummet cauſæ in ſecretario tractabantur, conſidendi cum judice facultas denegabatur. *l. 1. C. de offic. civil. jud.* Et hoc ſcilicet ex dignitate erat judicis, & ſingulare ἀξίωμα, ut litigantes ſtando ei reverentiam exhiberent, ipſe verò ſederet. Qvalem dignitatem etiam Epiſco-

piſcopis & presbyteris ſive communicatam, ſive ſumtam diximus, ut diaconi coram eis ſtarent, ſed qvam neceſſitatem plurimi ſubinde contrario facto eludebant.

XVI. Præterire hic neqveo, etiam presbyteros aliqvando cum diaconis in conſpectu Epiſcoporum ſtetiſſe, idqve factum invenio in concilio Romano ſub Sylveſtro Papa, qvod anno Chriſto CCCXXIV, celebratum fuit, ubi *ſub cap. 1.* hæc leguntur verba: *Dum hi omnes* (Epiſcopi ſcil. qvi enumerati ſunt) *veniſſent in Synodum & alii, qvorum cyrographus cucurrit, & opinio ſanctitatis, ſedérunt in eaſdem aſpectu thermarum ſupradictarum. Presbyteri autem Romani omnes, & Diaconi, clerusqve vel gradus ſeqventes ad terga Epiſcoporum ſtetérunt. Nemo enim ſedit in eodem loco, niſi tantùm Epiſcopi & Sylveſter epiſcopus Pontifex Urbis Romæ.* Binius in notis & ante eum Baronius *ad ann. 324. num. 125.* putant, id tunc tantùm modeſtiæ cauſâ contigiſſe, aliud autem in Eccleſiâ Romanâ aliàs receptum fuiſſe, idq; probant teſtimoniis Hieronymi & Concilii Carthaginienſis IV, qvæ ſupra adduximus. Verùm recentiora hæc ſunt, qvàm ut exceptionem Concilio Romano ſuggerere qveant. Nec tamen diſſentiam à Binio & Baronio, cùm presbyterorum ſemper melior fuerit in Eccleſiâ & apud Epiſcopos conditio, qvàm diaconorum, qvippe qvi eodem illo tempore, anno nimirum ſeqvente CCCXXV, in Concilio Niceno *can. 18.* τοῦ ἐπισκόπου ὑπηρέται Epiſcopi miniſtri dicti fuérunt, qvod nomen presbyteris nunqvam tributum fuit.

XVII. Fecit autem iſta ſtandi diaconis impoſita neceſſitas, ut, cùm refractarii illi qvàm ſæpiſſimè eſſent, & difficulter id jugum admitterent, presbyteri rigidè hunc ſibi honorem expoſcerent, nec ſatis exhiberi crederent, niſi ipſi perpetuò ſederent & ſubſelliis qvaſi affixi eſſent, diaconis perpetuò ſtantibus. Et eò tandem pertinax utriusqve ordinis contentio progreſſa eſt, ut etiam, cùm ſtantes officio ſuo fungerentur diaconi, & evangelium coram populo legerent, presbyteri tamen minimè à ſeſſione exſurgerent. Id emendare conatus Anaſtaſius I Papa, circa annum Domini CCCXCVIII conſtituit, ut qvotieſcunqve ſancta Evangelia recitarentur, ſacerdotes non ſederent, ſed curvi ſtarent, uti habetur in Libro Pontificali, *in vitâ ipſius.* Vid. Baron. *ad ann. 402. num. 44.* Contigiſſe id apud Burgundiones præcipuè, fidem facit epiſtola Anaſtaſii prima apud Binium *tom. 1. Concil. pag. 550.* qvam ad omnes Germaniæ ac Burgundiæ Epiſcopos ſcripſit, his verbis: *Significaſtis qvosdam Sacerdotes in Eccleſiâ, qvando leguntur Evangelia ſedere, & Domini Salvatoris verba non ſtantes ſed ſedentes audire, & hoc ex majorum traditione ſe*

accepiſſe narrant: qvod ut nullatenus deinceps fieri ſinatis, Apoſtolicâ autoritate mandamus. Sed dum ſancta Evangelia in Eccleſiâ recitantur, Sacerdotes & cæteri omnes præſentes, non ſedentes, ſed venerabiliter curvi, in conſpectû ſancti Evangelii ſtantes Dominicâ verba attentè audiant & fideliter adorent. Vid. *apoſtolica 65. de conſecrat. diſt. 1.* Fuit enim antiqviſſimus hic in Eccleſiâ habitus, ut â ſtantibus Lectiones Evangelicæ audirentur. A qvo tamen more præter Burgundiones, etiam Indos receſſiſſe Philoſtorgius teſtis eſt *lib. 3. cap. 5.* Idemqve de Epiſcopo Alexandrino, ut ſpeciale, refert Sozomenus *lib. 7. cap. 19.* Cæterum â Burgundionibus potiùs & ex Germaniâ petenda fuit Baronio Conſtitutionis Anaſtaſianæ cauſa impulſiva, qvàm ex Auguſtino, qvi de Levitis Romanis formavit qvæſtionem.

XVIII. Properandnm nunc eſt ad alia. Inter officia Epiſcopo â diaconis debita etiam hoc fuit, qvod ſemper præſto eſſe aliqvi debuerint, & perpetui Comites, atqve obſervatores. Apud Gratianum *c. jubemus, de conſecrat. diſt. 1.* eâ de re Lucii Papæ legitur decretum: *Jubemus Apoſtolicâ autoritate, ut ſemper teſtes vobiſcum* (alloqvitur autem Epiſcopos Galliæ & Hiſpaniæ) *ſacerdotes & Levitas habeatis, & licet conſcientia propria ſufficere poſſit, tamen propter malevolos juxta Apoſtolum teſtimonium nos oportet habere boni ab his, qvi foris ſunt. Igitur duo presbyteri & tres diaconi in omni loco Epiſcopum non deſerant propter teſtimonium Eccleſiaſticum.* Hæc Lucii epiſtola decretalis etſi genuina non ſit, ſed ſuppoſititia & ab impoſtore compoſita, uti probat David Blondellus, *in Pſeudo Iſidoro p. 321.* circa hoc tamen diaconorum miniſterium facile fidem inveniet, ſi præſertim conferatur cum *can. cum paſtoris 2. q. 7.* apud eundem Gratianum, ubi ſic habent verba: *Cum paſtoris vita in exemplum debeat eſſe diſcipulis, plerumqve Clerici, qvalis in ſecreto ſit vita ſui paſtoris, neſciunt, qvam tamen ſeculares pueri ſciunt: de qvâ re præſenti decreto conſtituimus, ut qvidam ex Clericis vel etiam ex monachis electi in miniſterio cubiculi pontificali obſeqvantur; ut is, qvi in loco regiminis eſt, tales habeat teſtes, qvi verum ejus in ſecreto converſationem videant, & ex ſedulâ viſione exemplum profectûs ſumant.* Sed & Hieronymus *lib. 14. in Ezech. cap. 48.* diaconum â Pontificis latere non recedere debere monet. Et ſine dubio propterea diaconi Epiſcoporum miniſtri dicti ſunt, uti ſupra ex Concilii Nicæni decretis demonſtratum dedi. Teſtaturqve Antonius Mornacius *ad rubr. Cod. de epiſc. & cler.* habere Epiſcopos in hunc diem duos canonicos in comitatu & miniſterio, aut unum, qvi ex eâ cauſâ fructus præbendæ integræ percipiunt.

unt, perinde ac ſi intereſſent qvotidianis Eccleſiæ ſuæ ſacris.

XIX. Cùm ita qvotidiana eſſet, & perpetua Epiſcopo cum presbyteris & diaconis converſatio, & utrorumqve indiſſolubilis qvaſi in familiâ nexus, non ſanè difficile fuit aut Epiſcopis aut diaconis canonem Concilii Antiocheni ultimum obſervare, qvem in occidentalis Eccleſiæ uſum ita vertit Dionyſius Exiguus: *Epiſcopus Eccleſiaſticarum rerum habeat poteſtatem ad diſpenſandum erga omnes, qvi indigent, cum ſummâ reverentiâ & timore DEI. Participet autem & ipſe, qvibus indiget, ſi tamen indiget: tam ſuis qvàm fratrum qvi ab eo ſuſcipiuntur, neceſſariis uſibus profuturis, ita ut in nullâ qvâlibet occaſione fraudentur, juxta ſanctum Apoſtolum ſic dicentem: habentes victum, & tegumentum, his contenti ſimus. Qvod ſi contentus iſtis minimè fuerit, convertat autem res Eccleſiæ in ſuos uſus domeſticos, & ejus commoda vel agrorum fructûs non cum presbyterorum conſcientiâ diaconorumqve pertractet, ſed horum poteſtatem domeſticis ſuis aut propinqvis aut fratribus filiisqve committat, ut per hujusmodi perſonas occultè cæteræ lædantur Eccleſiæ, ſynodo provinciæ pœnas iſte perſolvat. Si autem & aliter accuſetur Epiſcopus, aut presbyteri, qvi cum ipſo ſunt, qvod ea, qvæ pertinent ad Eccleſiam vel ex agris, vel ex aliâ qvâlibet eccleſiaſticâ facultate ſibimet uſurpent, ita ut ex hoc affligantur qvidem pauperes: criminationi verò & blaſphemiis tàm ſermo prædicationis qvàm hi, qvi diſpenſant, taliter exponantur & hos oportet corrigi, ſanctâ ſynodo id qvod condecet, approbante.*

XX. Ex hoc capite ad rem præſentem pertinet iſtud, qvod Epiſcopus ſine presbyteris aut diaconis adminiſtrare res Eccleſiaſticas, & diſpenſare eas ſine illorum præſcitu neqveat, qvodqve ſi per colluſionem illis abutantur, aut in uſûs proprios convertant, puniri utiqve debeant. Dixi, oppidò facilem eſſe Epiſcopo talem adminiſtrationem, propterea qvod ex ſuperiùs allegatis decretis ſemper præſentes penes ſe habeat, aut certè habere debeat presbyteros & diaconos, qvos propterea ad diſpenſationem adhibere omni momento poteſt. Viciſſim, uti Epiſcopus ſine præſcitu diaconi adminiſtrare bona Eccleſiaſtica non debet, ſic neqve diaconus eleemoſynas dare ſine præſcitu Epiſcopi. Sic enim legitur in Conſtitutionibus Apoſtolicis, ſi illis credendum eſt, *lib. 2. cap. 31. Nihil verò prorſus ſine Epiſcopo faciat, neqve ulli qvippiam niſi illo conſcio & auctore tribuat. Etenim ſi clam Epiſcopo dederit egenti & calamitoſo, erit probro Epiſcopo, eumqve de injuriâ afflictorum inſimulat. Qvi autem Epiſcopum ſermone qvopiam aut facto vituperat, DEUM offendit,*

fendit, &c. Sic igitur mutuis officiis circa adminiſtrationem bonorum Eccleſiaſticorum ſibi tenentur invicem Epiſcopus & diaconus, ſed ita, ut Epiſcopo ſalva ſemper ſit reverentia, qvam ei diaconus debet.

XXI. Fuit verò etiam hæc reverentia ab Epiſcopis in multos abuſûs verſa, ut fieri ſolet, ſi qvando elatior animus in illam inciderit, nec contineri intra terminos ſuæ dignitatis poſſit. Scilicet ita comparatum eſt ingenium hominis, ut qvo plus illi concedatur, eo plus concupiſcat, nec ſatiari ſemper honore deſtinato qveat, ſed omnes in univerſum prærogativas non modo continendas, verum etiam acqvirendas ex dignitate ſuâ eſſe putet. In hâc enim fortunâ & elatione, qvâ Epiſcopi in Eccleſiâ ſuâ eminent, facillimè pertinacia & nimia cupiditas dominatûs innaſcitur. Ex qvo fit, ut cum præſtare ſe poteſtate videant reliqvis Eccleſiæ ſuæ miniſtris, & nimiâ ambitione plus indies concupiverint, difficile eis ſit[l], ſervare æqvitatem, qvæ juſtitiæ maximè propria eſt. Cumqve tanta Epiſcopatui, ſive ex Principum liberali conceſſione, ſive ex ipſorum Epiſcoporum præſumtione, annexa ſint axiomata, verendum utiqve eſt, ne â naturâ deſciſcat, qvi illi fortunæ non ſatis ſubacto & placido animo ſe permiſerit. Exempla nobis non longè petenda ſunt. Occidentalibus hiſce per Europam Eccleſiis ſunt ea qvaſi domeſtica, nec proinde ignota. Venerabantur Romanum Epiſcopum partim jure qvodam Eccleſiaſtico poſitivo, partim inolitâ conſvetudine, partim ſpontaneo & tacito qvodam conſenſu pleræqve occidentis nationes & populi, & nec ipſe datâ hâc occaſione ſibi deerat, ſed ſedis ſuæ rem agere & fimbrias dilatare probè noverat. In hoc gentium omnium cultu & religioſâ obſervantiâ ultra fines & limites longiùs egreſſus, etiam extra pomoeria ſua potentia ſibi ſumſit, atqve imperia & regna â ſuo pendere voluit arbitrio, ut ſceptra capeſſerent vel deponerent qvos ipſe juſſiſſet: viciſſim juratam fidem ſervarent ſubditi, qvamdiu permitteret, non ſervarent, ſi prohibuiſſet. In regimine verò Eccleſiaſtico etiam in propria viſcera ſæpenumerò ſæviit, qvandoqvidem hoc ſemper operam dedit, ut caveret, ne augeretur nimium poteſtas Epiſcopalis, neve in ſuâ qvisqve diœceſi Papæ ſibi partes ſumeret, exitio ſibi & curiæ ſuæ futurum ratus, ſi Epiſcopis Romam proficiſcendi nulla ampliùs eſſet cauſa idonea. In hunc finem peſſimè ſæpè excepit Epiſcopos ſibi renitentes, imò etiã non renitentes, & ſolùm hoc agẽtes, ut ſua ſibi in diœceſi ſuâ ſalva exiſteret autoritas, dum ejus tantùm ingenii eſſent, ut ſuſpicio inde exiſteret, improbare eos poſſe aulæ Romanæ inſtituta.

XXII.

XXII. Haud aliter Epiſcopi egêrunt cum ſuis diaconis. Cùm enim etiam hi qvàm ſæpiſſimè cornua obverterint Epiſcopis, & metuendum eſſet, ne fulmenta tandem lectum ſcanderent, autoritasqve Epiſcoporum perditum iret prorſus & intercideret, procedendum putarunt Epiſcopi á contrario,& ne minimum qvidem illis concedendum, qvod fomitem & occaſionem repetendæ ambitionis ſubminiſtrare poſſet. Utqve eo minùs promti deinceps & idonei talibus audendis eſſent, ferocemqve animum depônerent,& colla ſubmitterent, paulatim ſervilibus miniſteriis imbuere & famulis pares facere conati ſunt. Utqve minus illi refragarentur, neqve, qvid ageretur, illicò animadverterent, religionis & cultûs divini titulo fœdiſſimam ambitionem velare ſolebant. Nemo enim ſibi alienum ſervitium & dominationem concupivit,ut non ſpecioſa aliqva nomina prætexeret. Et nulla unqvã adeò ſceleſta cupiditas fuit, qvæ turpitudinem ſuam religionis colore non occultaverit.

XXIII. Ut exemplo fidem faciam, lubet adſcribere canonem ſextum aliàs qvintum Concilii Bracarenſis III, conditum anno Chriſti DC LXXV, ex qvo diſcere licet, qvàm impotenti tùm animo fuerint, qvosqve ſpiritus aluerint Epiſcopi in Luſitaniâ, qvantumve infra Epiſcopos depreſſi fuerint diaconi. *Bona qvidem res eſt, divina ſacerdotibus contrectare myſteria; ſed cavendum valdè eſt, ne hoc qvisq; ad uſum pravitatis ſua intorqveat, unde ſoli DEO de bono conſcientia placere debuerat. Scriptum eſt enim: Væ his qvi faciunt opus Domini fraudulenter & deſidiosè. Ut enim qvorundam Epiſcoporum deteſtanda præſumtio noſtro ſe cœtui intulit dirimenda, agnovimus qvosdam de Epiſcopis, qvod in ſolennitatibus martyrum ad Eccleſiam progreſſuri, reliqvias collo ſuo imponant, & ut majoris faſtus apud homines gloriâ intumeſcant, qvaſi ipſi ſint reliqviarum arca, Levitæ albis induti, in ſellulis eos deportent. Qvæ deteſtanda præſumtio abrogari per omnia debet, ne ſub ſanctitatis ſpecie ſimulata vanitas ſola prævaleat, ſi modum ſuum uniuscujusqve ordinis reverentia non agnoſcat. Et ideò antiqva in hâc parte & ſolennis conſvetudo ſervabitur, ut in feſtis qvibusqve diebus, arcam Domini cum reliqviis non Epiſcopi, ſed Levitæ in humeris geſtent, qvibus & in veteri lege onus idem impoſitum novimus & præceptum. Qvod ſi & Epiſcopus reliqvias per ſe deportare elegerit, non ipſe à diaconibus in ſellula vehatur, ſed potius pediſſeqva unà cum populis progreſſione procedente ad conventicula ſanctarum Eccleſiarum, Sanctæ DEI reliqviæ per eundem Epiſcopum portabuntur. Jam vero, qvi hæc inſtituta ſciendo adimplere diſtulerit, qvamdiu in hoc vitio fuerit, â ſacrificando ceſſabit.*

XXIV. Verba hæc duplex Epiſcoporum Luſitaniæ ἁμάρτημα deſignant, ſuperſtitionem ſcil. in circumferendis reliqviis commiſſam, & ὑπερηφανίαν, qvâ geſtari â diaconis ſibi honori ducebant. Prius illud non improbatur, qvandoqvidem jam eo tempore in ſuperſtitionem declinaverat Religio Chriſtiana; alterum autem graviter perſtringitur. De priori multus eſt Severinus Binius in notis ut probet, religioſè coli debere reliqvias ſanctorum. Nos verò uti maximè cavemus, ne irreverenter & ignominioſè tractentur aut abjiciantur oſſa ſanctorum, ita cultum aliqvem religioſum λατρείας aut δουλείας illis deberi conſtanter negamus. Et valdè placent verba Georgii Caſſandri, qvibus conſultationem de veneratione reliqviarum concludit, qvando ait: *cùm igitur veræ & compertæ reliqviæ, præſertim in his provinciis perpaucæ ſint, & multæ ex iis, qvæ oſtentantur, non temerè ſuſpectæ haberi poſſint, atqve illarum freqventatio & veneratio non multum pietati, plurimùm verò ſuperſtitioni vel qvæſtui ſerviant, multo conſultiùs videtur, ut ab omni reliqviarum oſtentatione abſtineatur, & populus ad veras Sanctorum reliqvias colendas, id eſt, exempla pietatis & virtutum, qvæ in ſcriptis vel ab ipſis vel de ipſis extant, imitanda provocetur.* Sed hæc non ſunt propriè hujus loci. Conf. Jacob. Gothofred. *ad l. 7. C. Theodoſ. de ſepulcb. viol.* Alterum magis huc pertinet, qvippe in qvo cenſura Concilii præcipuè occupata fuit. Sed illud præterire maluit Binius, qvod non videretur ex re ſuâ eſſe, ſi qvid adverſus Epiſcopos, qvorum gradum fortè affectavit ipſe, ſeveriùs diceret. Inſigne autem hoc fuit faſtûs Epiſcopalis ſpecimen, qvod humeris diaconorum circumgeſtari voluerint, qvod μόλις ἂν οἱ δοῦλοι καρτερήσειαν. Nec profectò propter reliqvias, qvas ferebant ipſi, excuſari poterant, cùm, ſi reliqviis iſte honor debitus fuiſſet, ſolitariè illis exhibere eundem, nec tam vaſtum Epiſcopi corpus ſimul portare licuiſſet. Sed enim talis fuit eo tempore Epiſcoporum erga diaconos ſuos συγκαταβάσεις.

XXV. Qvæ cauſa impulerit Sanctionem Aurelianenſium Epiſcopum, qvod diaconum inveſtituræ ſuæ die ex carcere liberatum, mox in eundem carcerem conjecerit, & curiæ deinceps ſeculari tradiderit, non conſtat. Iniqvè tamen cum eo actum fuiſſe, intelligi poteſt ex Ivonis Carnotenſis *epiſt. 53.* ubi acriter objurgat Epiſcopum Aurelianenſem, qvod diaconum iſtum ita tractaverit. *Inſinuatum eſt,* inqvit, *mihi per literas, qvod clericum illum, qvem in die veſtri introitûs ſecundum morem veſtræ civitatis, noſtrâ exhortatione de carcere liberaſtis, iterum carcera-*

cemli cuſtodia crudeliter mancipaſtis. Ea namqve die, qvâ vobis in miſsâ ſervierat, qvâ vobis in menſâ communicaverat, verberatum, ſpoliatum, per manus ſervorum trahi feciſtis ad carcerem, & curiæ traditum nullâ conſolatione refoviſtis, neqve de ejus liberatione curare voluiſtis. Nonne ſatis erat, rapinam bonorum veſtrorum perpeti, vel etiam perſonam veſtram, ſicut promiſeratis, carceri mancipari, qvàm clericus veſter non judicatus, non damnatus à vobis curiæ traderetur? ubi more furis, contumeliis & injuriis cotidianis cruciaretur. Non eſt hoc officium paſtoris, ſed mercenarii, &c.

Capvt XI.

De Officio Diaconi erga parochianos & alios.

I. *Diaconus cum Epiſcopo concurrit ad eundem finem, ſed inæqvaliter.* II. *Diaconi Epiſcoporum oculi.* III. *Cura animorum ad eos pertinet,* IV. *Item ægrotantium & infirmorum.* V. *Ubi ſcripta ſuppoſititia habeant teſtimoniorum vim.* VI. *Diaconi peregre adventantes exceperunt.* VII. *Martyribus in carcere miniſtrarunt, eos tumularunt.*

I. NOn Epiſcopi tantùm, ſed diaconi etiam in id ordinati ſunt, ut curam habeant populi ſibi commiſſi. Sic namqve conjunguntur *canone Apoſtolico 36. Si qvis ordinatus Epiſcopus non ſuſcipiat miniſterium & curam populi ſibi commiſſam, ſit ſegregatus, donec eam ſuſceperit: Similiter & presbyter & diaconus, &c.* Etſi enim inter miniſtros Eccleſiæ ordo qvidam ſit & diſtinctio ſecundum objecti determinationem, circa qvod qvisqve verſatur, & ſecundum utilitatem publicam, qvam qvisqve confert propriùs aut remotiùs ad conſervationem Corporis myſtici, cùm circa diverſa iſta objecta non omnes verſentur æqvaliter, neqve etiam verſari poſſint aut debeant æqvaliter; ad finem tamen ultimum, qvi eſt ſalus ſpiritualis, omnes concurrant neceſſe eſt, & diaconi adjumento debent eſſe Epiſcopis, ut finis iſte obtineatur. Non malè igitur dicitur in Conſtitutionibus

Apoſtolicis *lib. 2. cap. 44. Diaconus de re omni ad Epiſcopum referat, ut Chriſtus ad patrem. Verùm qvacunqve poteſt, factâ ab Epiſcopo poteſtate, moderetur per ſe, ſicut Chriſtus poteſtatem creandi & providendi â patre accepit: Qvæ verò majora ſunt, Epiſcopus judicet. Ceterùm ſit diaconus Epiſcopi auris & oculus, & item os, cor, & anima, ne Epiſcopus ſollicitudine multarum rerum, ſed graviorum tantùm urgeatur, ſicut Jethor Moſen inſtruxit, & Moyſes conſilium ejus amplexus eſt.*

II. Similia habentur in Clementis Romani epiſtolâ primâ; qvam refert Gratianus *can. 6. diſt. 93. Diaconi Eccleſiæ tanqvam oculi ſint Epiſcopi oberrantes & circumluſtrantes cum verecundiâ actus totius Eccleſiæ & perſcrutantes diligentiùs, ſi qvem videant vicinum fieri præcipitio & proximum eſſe peccato, ut referant hæc ad Epiſcopum & commoneri ab eo poſſit is, qvi in præcipitium lapſurus eſt, uti revocetur & non corruat in peccatum. Negligentiores qvoqve & eos qvi rariùs ad audiendum verbum DEI accedunt, nec ſolicitè ad Epiſcopi tractatum conveniunt, ipſi commoneant & hortentur. Si enim adſidui ſint ad audiendum, non ſolum vitæ æternæ ex ſalubri commonitione capiunt lucra, verum & qvæcunqve illæ ſunt triſtitiæ vel mærores, qvæ ex præſentis vitæ neceſſitatibus & cladibus temporum veniunt, qvæqve malorum ſermonibus in corde ſuo velut jacula defixa circumferunt, abjiciuntur omnia prædicatione veritatis & vitæ æternæ doctrina & eruditione purgata. Alioqvin ſi multo tempore auditum ſubtrahant â verbo DEI, & remaneant in cultu vitiorum, ſine dubio ſpinis erunt ac ſentibus occupati. Et qvid aliud niſi ad ignem talis hæc terra præparabitur? De his ergò, ut diximus, Diaconis cura ſit, &c.* Unde patet, qvo ſenſu Diaconi Epiſcoporum oculi dicantur, qvatenus ſcil. cœtum Eccleſiaſticum luſtrant qvaſi, & cujusqve ſtatum atqve conditionem in actibus pietatis explorant. Alio etiam ſenſu dicuntur Epiſcoporum oculi, qvatenus cuſtodiunt eos prædicantes, ne ab inſidiatoribus infeſtentur aut lædantur, in Euariſti *epiſt. 1.* Et in Anacleti *epiſt. 1.* jubetur Epicopus in ſolennioribus diebus ſeptem, aut qvinqve, aut tres diaconos, qvi ejus oculi dicuntur, & Subdiaconos atqve reliqvos miniſtros ſecum habere, *qvi ſacris induti veſtimentis in fronte & â tergo, & presbyteri è regione, dextrâ, lævaqve contrito corde & humiliato ſpiritu ac prona ſtent vultu, cuſtodientes eū â malevolis hominibus, & conſenſum ejus præbeant ſacrificio, &c.* De hâc cuſtodiâ diximus ſupra.

III. Qvod verò hîc loci oculorum Epiſcopi ſive diaconorum diximus eſſe officium, ad curam animarum, & ſollicitudinem pertinet, qvam

qvam pro parochianis ſuis unusqviſq; Eccleſiæ miniſter gerere debet. Vulgaris Canoniſtarum doctrina eſt, curam animarum dupliciter accipi. Qvandoque enim ab eis accipitur pro jurisdictione contentioſâ, & jure qvodam correctionis, quod conſiſtit in viſitando, inqvirendo, puniendo, excommunicando, abſolvendo & ſimilibus, qvæ morum correctionem ſpectant, qvodque proinde dignitati cohæret. Qvandoq; verò cura animarum ab eis ſtrictè ac ſimpliciter ſumitur pro poteſtate ligandi & ſolvendi, qvæ pertinet ad forum pœnitentiale, ejuſq; partes & munia ſunt confeſſiones audire, pœnitentiam injungere & abſolvere, excommunicare, Eccleſiaſtica Sacramenta adminiſtrare, prædicare ac proponere verbum DEI, & miſſas diebus Dominicis & feſtivis celebrare. Et hanc ajunt non poſſe eſſe penes alium quàm Sacerdotem. Anton. Bengeus & Franciſcus Pinſſonius *de benefic. rubric. de diviſ. benef. §. 21. num. 3. ſeq.* Petr. Gregor. *de benef. cap. 10. n. 11.* Joh. Honor. *tit. de præbend. num. 21.* Julian. Vivian. *de jur. patronat. lib. 2. c. 7. n. 27.* Nicolaus Garcias *de benefic. part. 1. cap. 6. n. 6.* His acceptionibus poſitis, Diaconi nullam poterunt habere curam animarum. Non priore modo, qvia nullam habent dignitatem, qvippe qvæ ſemper cum jurisdictione juncta eſt, qvam diacono competere negant Canoniſtæ; nec poſteriore, qvia ex ipſorum ſententiâ ſacerdos non eſt. At verò ſupra probavimus multo ampliorem poteſtatem Diaconis olim in Eccleſiâ conceſſam fuiſſe, qvàm hodiè eis permitti ſolet à Doctoribus Eccleſiæ Romanæ. Atque illa poteſtas curam animarum complectebatur, non præcisè, ut dignitatem ſupponit, aut ſacerdotium aliquod ſacrificio deſtinatum, ſed, ut ſalutem intendit ſpiritualem animabus conferendam, cujus proinde haud exigua pars eſt luſtratio illa & obſervatio circa vitam & mores cujuſque parochiani, ne in præceps ruat, & ſalutis ſuæ detrimentum patiatur.

IV. Fuit verò etiam ægrotantium & infirmorum cura diaconis commiſſa. Sic enim porrò loqvitur Clemens Romanus, *d. epiſt. 1. Sed & eos, qvi ſecundum carnem ægrotant, ſollicitè perquirant, & plebi, ſi fortè plebs ignorat, indicent de his, ut ipſi viſitent eos, & qvæ neceſſaria ſunt præbeant eis cum conſcientiâ ejus, qvi præeſt. Qvod tamen, etiamſi clam fecerint non peccabunt.* Eodem pertinet, qvod in ConſtitutionibusApoſtolicis *lib. 3. c. 19.* dicitur: *Sint verò diaconi ab omni maculâ & labe alieni, non aliter qvàm ipſe Epiſcopus, tantummodo faciliores, qvàm ille, ad vexationes in miniſterio ſubeundas. -- Si ergo Dominus noſter idemq; ma-*

giſter ſic ſe ipſe humiliter abjecit, qvomodo pudebit vos hoc facere fratribus infirmis & imbecillis? Vos dico, qvi veritatis operarii eſtis, & religionis propugnatores. Miniſtrate igitur benevolè ſine murmuratione, ſine ſeditione; non enim propter hominem, ſed propter DEUM hoc facitis, à qvo mercedem miniſterii veſtri in die viſitationis veſtræ reportabitis. Oportet igitur, ut vos diaconi omnes viſitetis, qvibus viſitatione opus eſt, & de calamitoſis & afflictis nunciate Epiſcopo veſtro: debetis enim eſſe ei anima, & ſenſu faciles & parati ad ſubeundas moleſtias, ac per omnia obedientes tanqvam Epiſcopo veſtro, imò patri & magiſtro.

V. Hîc verò nolim offendi benevolum Lectorem, quod teſtimonia quandoque colligamus ex ſcriptis ψευδεπιγράφοις, qualia ſunt, ut alibi demonſtratum dedi, conſtitutiones Apoſtolicæ, Epiſtolæ Clementis Romani, Anacleti, Evariſti, & aliorum. Etſi enim tanta eorum non ſit autoritas, ut in rebus fidei, & aliis quæ in diſputationem veniunt, juſtam probationem ſuppeditare poſſint; ſi tamen de operibus charitatis & officiis erga proximum ſermo fuerit, ſi non argumenta, ſaltem illuſtramenta ex ejuſmodi ſcriptis petere haud dubito. Et quis verò litem nobis movere aut negare velit, diaconos tale officium charitatis unquam exercuiſſe aut exercere debuiſſe, ut viſitarent ægrotos, ut obſervarent vitam & mores civium, ut miſeros & egenos ſignificarent Epiſcopo, ut eorum conditionem commendarent aliis? Quiſque inter fideles tale officium explere tenetur, etſi eſſe poſſint & debeant, quibus hæc cura ſpecialiter demandata eſt, quibuſque hoc principaliter incumbit onus, ſi ita appellare licet, quod ex charitatis lege debetur. Cumque negari nequeat, ab antiquitatis laude commendari ſolere iſta ſcripta, etſi autores ſuos ſtrenuè mentiantur, & multâ ſuperſtitione referta ſint, teſtimonia tamen aliqua ſubinde ex illis in re planâ & extra controverſiam poſitâ repetere nulla mihi religio eſt.

VI. Ex iiſdem ſcriptis oſtendi poteſt, diaconos etiam peregrè advenientes excipere, inque eorum conditionem inqvirere ſolitos fuiſſe. In Conſtitutionibus Apoſtolicis *lib. 2. c. 58.* decernitur: *Si aliqvis frater aut ſoror ex parœciâ advenerit, qui commendatitias afferant, accedat diaconus, & inqvirat, an fideles ſint, an Eccleſiaſtici: num hæreſi qvâpiam contaminati: ac rurſus ſoror, nupta ne an vidua ſit, atq; ita cum cognoverit fideles planè eſſe, & in doctrinâ domini idem atq; nos ſentire, deducat ſingulos eorum ad locum eis accommodatum. Si verò presbyter item ex parœciâ advenerit, excipiatur in commune à presbyteris: Si diaconus fuerit à diaconis; ſi autem Epiſcopus fuerit, cum Epiſco-*

Epiſcopo ſedeat, eodem honore ab eo acceptus, &c. Sic & in dictâ Clementis *epiſtolâ 1.* præcipitur: *Sed & de peregrinis ſimiliter Epiſcopo ſuggerant, refovendis.* Et additur: *& cætera his ſimilia, quæ ad cultum Eccleſiæ & diſciplinam ejus pertinent, Diaconis curæ ſint.* Quod indicium eſt, adhuc alia fuiſſe, in quibus diaconi officium occupatum eſſe debuit.

VII. Apud Cyprianum *lib.3. epiſt. 15.* mentio fit diu obſervatæ conſvetudinis, ut diaconi ad carcerem commeantes martyrum deſideria exaudirent, ut auxilio eſſent. Laudatque Euſebius, *lib.7. c.11.* diaconum quendam ſibi cognominem, Laodiceæ Syriæ deinceps Epiſcopum, quod à Deo ſpeciali fortitudine excitatus confeſſoribus in cuſtodiâ conſtitutis ſtrenuè miniſtraverit, & cadavera eorum non ſine periculo condiderit. *Euſebium*, inquit, *DEUS jam inde ab initio roboravit, impulitq;, ut confeſſoribus in cuſtodiâ poſitis miniſteria ſtrenuè exhiberet, utq; conſummatorum ac beatorum martyrum cadavera non ſine capitis ſui periculo ſepeliret, &c.* Nec verò hoc ab officio diaconorum alienum prorſus erat, qvippe qvod intèr opera charitatis præcipuum videbatur, & aliqvando non pietatis tantùm, ſed etiam cultûs partem conſtituebat. Sequentibus autem temporibus in Eccleſiâ Chriſtianâ certus ordo copiatarum inſtitutus fuit, qvi circa defunctorum obſequia occupati erant, eoſque ſi non Clericos, Clericis tamen proximos fuiſſe dicit Jacobus Gothofredus *ad l. 1. Cod. Theodoſ. de luſtrali conlat.* Conf. Franc. Balduin. *de legib. Conſtantini lib. 1. pag. 15.*

Caput XII.

De veſtitu Diaconorum.

I. *Diverſus Clericorum veſtitus ab habitu aliorum.* II. *Talis etiam Levitarum in veteri Teſtamento.* III. *Ejus ratio. Reverentia comparatur ex decenti veſtis ornatu.* IV. *Veſtes Clericales qvænam?* V. *Earum decor & honeſtas.* VI. *Contra luxuriantes interdictis adſeritur.* VII. *In Synodo Nicæna* II. VIII. *Cujus canon* XVI *intorquetur & prave explicatur:* IX. *Item Conſtantinopolitana* IV. *Φοϱέζειν. Stola.* X. *De luxu veſtium Clericalium Leonis* IV *& Innocentii* II *conſtitutiones.* XI. *Item Innocentii* III. XII. *Concilii Conſtantienſis decretum de manicis.* XIII. *Veſtes Clericorum luci-*

lucida colorataque prohibita. XIV. *Cardinales excepti. Birretum rubrum an religioſis Cardinalibus conveniat?* XV. *Clericorum in Britannia veſtes verſicolores.* XVI. *Diaconorum veſtes ſacris peragendis deſtinata.* XVII. *Orarium,* XVIII. *Fuit mantile aut faſcia.* XIX. *Orarii Etymon.* XX. *Epiſcopi qvoqve in Occidente orario induti.* XXI. *Item Presbyteri;* XXII. *In utroqve humero geſtarunt.* XXIII. *Uſus orarii ex mente Blaſtaris,* XXIV. *Balſamonis: utriúſqve ætas,* XXV. *& de illorum mente* Φίλικεριος. XXVI. *Orario ſignum datum.* XXVII. στιχάριον *Epiſcopis & Diaconis commune. Ejus differentia.* XXVIII. *Dalmatica, qvalis veſtis? Collobium.* XXIX. *Collobiis & Dalmatica uſi Diaconi.* XXX. *Ab initio propria veſtimenta Epiſcoporum.* XXXI. *Silveſter Romanis diaconis conceſſit.* XXXII. *Tonſura diaconorum.*

I. Cùm Clerici, & inter hos diaconi, ex primâ inſtitutione ſeparatum planè ab reliqvis civibus faciant ordinem, qvippe quos ἀφορίζειν ipſe juſſit Spiritus S. *Actor. XXX, 2.* non inconcinniter illi diverſo etiam utuntur habitu, per quem à reliquis ejuſdem Reip. civibus diſcriminari qveant. Refert Lampridius de Alexandro Severo, quod in animo habuerit, omnibus Officiis genus veſtium proprium dare, & omnibus Dignitatibus, ut à veſtitu dignoſcerentur, & omnibus ſervis, ut in populo poſſent agnoſci (quos ipſos etiam aliàs ſecundum ordinem & dignitatem veſtire oportebat, *l. 15. §. 2. ff. de uſufr.*) id verò Ulpiano, Pauloque diſplicuiſſe, dicentibus, plurimum rixarum fore, ſi ſic faciles eſſent homines ad injurias. Meminerant ſcil. iſti JCti, quod ſcribit Livius *lib. 33.* omnia talia diſcrimina, quibus ordines diſcernerentur, & concordiæ & æquæ libertatis minuendæ eſſe. Si tamen de ſacerdotibus interrogati fuiſſent iſti, nullus dubito, facilè conceſſuros fuiſſe illis diverſum veſtimenti genus, quo illicò ipſo occurſu noſcerentur, & hujuſmodi agnitione conditionem ſuam teſtarentur, uti loquitur Theodoſius Imp. *in l. 1. C. Theod. de habitu, qvo uti op. intr. Urb.*

II. Etiam in Levitico veteris Teſtamenti cultu ſacerdotibus ſingulares fuiſſe veſtes, quibus in ſacrificiis uſi fuérunt, ex ſacrâ Scripturâ abunde conſtat. Quouſque autem ſacrarum iſtarum veſtium uſus licitus, & num extra templum nullum diſcrimen veſtium inter ſacerdotes & plebem obſervatum fuerit, non una omnium eſt ſententia. Scripſerat Johannes Seldenus in Jurisprudentiâ Hebræorum verſatiſſimus, *lib. 2. de*

ſucceſſ.

ſucceſſ. in pontificatum cap. 7. Neqve veſtes hæ ſacra (quas ſcil. antea recenſuit) *alibi aut alio tempore Sacerdoti gerendæ, præterqvam dum vicem ſacram obſervans altaris miniſterio aſſiduus adeſſet. Peractâ vice in apothecis reponebantur; adeò ut extra templum, veſtitûs cultu, nec à plebe ceterâ differret Sacerdos.* Hanc verò aſſertionem comprobare noluit Robertus Sheringhamus Cantabrigienſis, & Seldenum, ut lapſum, redarguit, cui Seldenus viciſſim *lib. 3. de Synedr. vet. Hebr. cap. 11. num. 3.* reſpondet, prolixèque defendit ſuam iſtam ſententiam, quam tamen judicio Lectoris tandem ſubmittit. Sed iſta extra ſphæram noſtram ſunt, nec animus nobis eſt ὑπὲρ τὰ ἐσκαμμένα πηδᾶν, ne contemtui ſimus, ſi quid exciderit minùs accuratum. Nec vitio proinde verti nobis poterit, ſi judicium iſtiuſmodi tale deprecemur.

III. Quicquid verò ſit de Sacerdotibus Judæorum & aliarum gentium, ipſa ſvadet conditio & ſtatus talium perſonarum, ut σημειώδης & diſtinctus à reliquis earum ſit habitus. Quia enim Deo ipſi ſpeciali modo conſecrati, & in ejus miniſtros familiares adſciti atque inde diſpenſatores myſteriorum divinorum facti ſunt, qui Eccleſiaſticis officiis deſtinantur, congruum erit, propriâ veſte ita eos diſcerni, ut agnoſci poſſint ab omnibus, utve tuti magis ſint à ludibriis & injuriis hominum petulantium. Nec diffiteri quiſquam poteſt, etiam ex veſte reverentiam aliquam comparari. Magiſtratibus ſanè & judicibus decens veſtium ornatus ad hoc proficit, ut dignitatem & autoritatem ſuam tueri facilius poſſint, quæ haud parum minuitur, ſi in veſtibus ſordeat. Et hæc ſententia videtur fuiſſe populi Romani, qvando, teſte Plutarcho, infenſus fuit Catoni, quod Prætor renunciatus jus diceret, indutus abjectis & laceris veſtibus, ac ſi illo quotidiano & nimis obſoleto atque detrito veſtimento præturam contemtui exponeret. Nec alia fuit mens Imperatorum, qui officialibus ſuis magnificum atque diſtinctum veſtium genus præſcripſerunt, cùm & ipſa ratio civilium officiorum neceſſitatem quandam nitoris imponat, uti loquitur Plinius *lib. 6. epiſt. 32.*

IV. Quæ autem ſint veſtes Clericales, ſtatuunt Doctores plerique omnes cum gloſſa *ad Clement 1. de elect.* nullibi id determinatum eſſe: Quanquam enim *in cap. penult. X. de vit. & honeſt. Cler.* itemque *in Clement. 2. eod.* prohibita ſint illis certa veſtium genera, non tamen vice verſâ præſcriptum eſt, quibus uti debeant. Relinquendum igitur id eſſe uſui communi & conſvetudini, ut illæ veſtes Clericales eſſe cenſeantur, quæ communi Clericorum uſui in eâ provinciâ receptæ ſunt, &

ex quarum adſpectu à quocunque pro clericis habeantur. Auguſtin. Barboſa *ad c. pen X. de vit. & hon. Cler.* Thomas Sanchez. *de matrimon. lib. 7. diſp. 46. n. 6.* Joh. Azor. *inſtitut. moral. part. 2. lib. 7. cap. 13.* ubi refert, ſtatuere nonnullos, Clericos eodem cum Laicis habitu uti poſſe, ſi talis alicubi vigeat conſvetudo, quam tamen ipſe approbare non audet. Et graviter reprehendit Didacus Covarruvias *pract. quaſt. cap. 31. ſub n. 7.* eorum judicum ſententias qui clericos enſibus, armis & veſtibus omninò laicis uſos, nec proinde à Laicis quicquam differẽtes gaudere nihilominus velint privilegio fori, & ex hoc in judices ſeculares cenſuris minimè juſtis animadvertant. *Non temerè*, inquit, *poſſumus aſſeverare, hos Eccleſiaſticos judices nihil cenſere proprius jurisdictionis Eccleſiaſticæ, qvàm meros Laicos & ſceleratiſſimos homines in grave Reip. diſpendium, & divinæ atqve humanæ juſtitiæ læſionem à ſecularibus judicibus eximere.*

V. In genere verò hoc requiritur, ut veſtimenta Clericorum decentia ſint & honeſta, hoc eſt, uti ex Conſtitutionibus Ordinariorum explicat Joh. Azorius *d. l.* ut utantur veſte tàm exteriori quàm interiori talari, ſive uſque ad talos demiſsâ & nigri coloris, ut abſtineant itidem à caligis laicorum more confectis, aut crepidis inaniter inciſis, ſed ſimplicibus, & integris, ne geſtent camiſias ad manum vel collum, arte elaboratas aut criſpas, aut ut vulgus dicere ſolet, lactucatas. Item, ut pallium habeant Clericorum Ordini conveniens, qvo utantur contra pluviæ & frigoris incommoda, & ſemper cum talari tunicâ, & ut pileis itidem ſimplicibus utantur. Præterea, ut abſtineant à pretioſioribus pellibus & aliis odorum ſvavitatibus, &c. Proſtat eâ de re prohibitio facta anno MXC, in Concilio Melfitano, qvod in Apuliâ celebratum fuit, *can. 13. Ut omnia ſcandala, omneſq; occaſiones Laicis ſubtrahantur, ſciſſis veſtibus Clericos abuti ulterius prohibemus, & ne pompoſis induantur exuviis, admonemus.*

VI. Quàm graviter verò, & quam frequenter peccatum in hâc re à Clericis fuerit, tot in Conciliis repetitæ arguunt interdicta atque iteratæ monitiones. In Concilio Carthaginienſi IV, quod anno Chriſti CCCXCVIII celebratum fuit, *can. 45.* conſtitutum eſt: *Clericus profeſſionem ſuam & in habitu & in inceſſu probet: & nec veſtibus nec calceamentis decorem qværat.* Habetur apud Gratianum *diſt. 41. in fin.* In Concilio Agathenſi *can. 22.* quem adducit Gratianus *c. 23. diſt. 23.* ſimiliter generalibus verbis ſtatutum legitur: *Clerici, qvi comam nutriunt, ab archidiacono etiamſi noluerint, inviti detondeantur, veſtimenta etiam vel calciamenta eis, niſi qvæ religionem dece-*

ceant, uti aut habere non liceat. Idem repetitum in Concilio Matiſconenſi I, *can. 3.* additâ ſanctione, ſi qvis legi obtemperare noluerit. Ut nullus Clericus ſagum aut veſtimenta aut calceamenta ſecularia, niſi quod religionem deceat, induere præſumat. Quod ſi poſt hanc definitionem Clericus aut cum indecenti veſte, aut cum armis inventus fuerit, à Seniore ita coërceatur, ut 30 dierum incluſione detentus, aquâ tantùm & modico pane diebus ſingulis ſuſtentetur. In Concilio Romano, quod anno DCCXLIII habitum eſt *cap. 3.* conſtitutum fuit, *Ut epiſcopus presbyter & Diaconus ſeculari indumento minimè utantur, niſi ut condecet, tunicâ ſacerdotali; ſed nec dum ambulaverit in civitate, aut in viâ, aut in plateis, ſine operimento præſumat ambulare, præter ſi in itinere longo ambulaverit, &c.* Gratianus hunc canonem Zachariæ Papæ adſcribit *c. Epiſcopi 21. q. 4.* Sed concilio ſub Zachariâ habito eum reſtituit Antoniꝰ Auguſtinus *de emend. Grat. lib. 2. dial. 1.*

VII. In Synodo Nicenâ II (quæ ſeptima generalis à græcis dicitur, ſed perperam, uti notat Jacobus Uſſerius Armachanus, *de Chriſt. Eccleſ. ſucceſſ. & ſtat. c. 2. n. 4.*) iidem reprimere oportuit Clericorum nimium in veſtimentis luxum. Canonem ex eo decimum ſextum refert Gratianus, *c. omnis 21. q. 4.* ſed verbis obſcuris & minus appoſitis. Significantius ſenſum expreſſérunt metaphraſtæ alii his verbis: *Omnis luxus & ornatus corporeus eſt à ſacerdotali ordine & ſtatu alienus. Epiſcopos ergò vel clericos, qui ſe ſplendidis & inſignibus veſtibus exornant, ſe corrigere oportet; ſin autem permaneant, pœnis coërceri, ſimiliter & eos, qvi ſunt ungventis delibuti. Qvoniam autem radix acerbitatis ſurſum pullulans Catholicæ Eccleſiæ fuit inqvinamentum, Chriſtianos ſcil. accuſantium hæreſis, & qvi eam ſuſcepérunt, non ſolùm imaginum picturas averſati ſunt, ſed omnium etiam pietatem ac religionem extruſérunt, eos qvi piè & honeſtè vivunt, odio habentes; & in iis impletum fuit qvod ſcriptum eſt: Abominatio peccatori religio & verus DEI cultus. Si inventi itaqve fuerint nonnulli eos irridentes, qvi vilem & modeſtum amictum induti ſunt, pœnâ corrigantur. A ſuperioribus enim uſqve temporibus omnis Vir ſacratus cum moderato & boneſto indumento verſabatur. Qvicqvid enim non propter uſum ſed oſtentatorium ornatum aſſumitur, in luxus reprehenſionem incurrit, ut ait magnus Baſilius. Sed nec ex ſericis texturis variatum qvis veſtimentum habebat, neq; in veſtimentorum fimbriis adjecta erant alieni coloris additamenta. Ex divinâ enim lingvâ audiérunt, qvod, qvi mollibus veſtiuntur in ædibus regum ſunt.*

VIII. Theodorus Balſamon ad

hunc canonem pravam notat qvorundam ſui ſeculi explicationem, & quibus artibus eludere tentaverint legem Eccleſiaſticam: *Cum accuſarentur*, inquit, *qvidam Clerici ſplendidè induti, qvi veſtes Samittos dictas geſtabant, qvæ non ſolùm diverſi coloris antepannas ſeu fimbrias habebant, ſed etiam auro intexta, præterea autem & ſumtuoſas aureas literas; dicebant qvidam, editum eſſe Canonem propter eam, qvæ tunc erat in Eccleſiis, rerum confuſionem, & multam Clericorum à pietate alienationem; hodiè autem non habere locum Canonem, qvandoqvidem DEI gratiâ abſoluta eſt Eccleſiaſtica conſtitutio & pietas, & ad DEI honorem Clerici cum veſtibus ſplendidioribus verſantur: audivérunt autem ſe non rectè dicere. Eſt enim Canon univerſalis, & qvæ in eo ſcripta ſunt, debent in ſecula ſeculorum obſervari, & vim ſuam obtinere: qvi verò præter eum vitam inſtituunt, rectè puniuntur, niſi corrigantur.* Ita ſcilicet faciles ſumus in explicandis & intorquendis legibus, ſi qvæ noſtris actionibus adverſæ fuerint. Nec dubito eandem mentem ſedere adhuc plurimis aliis, qui ſibi in veſtibus holoſericis mirificè placent, ſuæque conditionis obliti Laicis conformari haud verentur.

IX. Aliam conſtitutionem ſub eâdem *cauſ. 21. q. 4.* refert Gratianus ex Synodo octavâ, qvæ Conſtantinopolitana IV eſt, his verbis: *Nullus eorum qvi connumerantur in clero, veſtimentum indecens habeat, ſive in civitate degens, ſive in itinere ambulans: ſed ſtolis utatur, qvæ conceſſæ ſunt Clericis. Si verò qvis tale qvid fecerit, per unam hebdomadam ſuſpendatur.* In græco eſt, ἐπὶ ἑβδομάδα μίαν ἀφοριζέσθω. i. e. excommunicetur, ſive ſegregetur. ἀφορίζειν enim plus eſt, qvam ſuſpendere. Iſte canon autem non eſt Synodi Octavæ, ſed Synodi Qvinisextæ in Trullo habitæ, numero vigeſimo ſeptimus. Ubi mirari ſubit, quod ſcribit Balſamon, ſtolam clero minùs convenientem eſſe. Ἀνοίκεως, inqvit, τῷ κληρικῷ στολή ἐστιν. Cum tamen ipſe textus jubeat Clericos uti ſtolis conſvetis & uſu receptis. Ἀλλὰ στολαῖς κεχρῆσθω ταῖς ἤδη τοῖς ἐν κλήρῳ καταλεγομένοις ἀπονεμηθείσαις. Stolam autem dixérunt Veteres omne, qvod corpus tegeret. Et qvanqvam Ulpianus *in l. 23. §. 2. ff. de aur. arg. leg.* ſtolam inter veſtimenta muliebria, qvibus Vir ſine vituperatione uti facilè non poſſit, connumeret, Nonius tamen autoritate Veterum confirmat, ſtolam etiam Virorum fuiſſe.

X. Qvæ ſub eâdem *causâ 21. q. 4.* apud Gratianum ſeqvuntur Leonis IV & Innocentii II conſtitutiones, eandem Clericis in veſtium uſu inculcant honeſtatem, ubi in priore, qvæ non Leonis ipſius, ſed Concilii Romani ſub eo habiti eſt, uti notat

tat Antonius Auguſtinus, *de emendat. Grat. lib. 2. dial. 1.* redditur ratio, qvæ ſuperiùs à nobis adducta eſt, ideò ſcil. ſine ornatu ſacerdotali extra domos apparere non debere clericos, ne ut aliqvis ſecularium injurias patiantur. Utiqve enim etiam veſtimenti genus injuriam æſtimare facit; qvandoqvidem ſæpè, qvi decenti veſte non incedit, injuriam ſibi illatam vindicare non poteſt. *Si qvis virgines appellaſſet* inqvit Ulpianus in *l. 15. §. 15. ff. de injur. ſi tamen ancillari veſte veſtitas, minùs peccare videtur, multò minùs, ſi meretriciâ veſte fœmina non matrumfamiliarum veſtitæ fuiſſent. Si igitur non matronali habitu fœmina fuerit, & qvis eam appellavit, vel ei comitem abduxit, injuriarum non tenetur.* Cùm enim diſtinctæ olim eſſent veſtes ancillarum, matronarum & meretricum, uti patet ex Tertulliani *libr. de cultu fœminar.* & Horat. *lib. 1. ſerm. ſat. 2.* non tàm gravis injuria fit matronæ, cùm ancillari aut meretriciâ veſte induitur, qvàm cum ſtolam ſuam geſtat. Peccat enim, qvæ alienâ veſte utitur, & injuriæ ſibi faciendæ cauſam præbet. Vid. Barnab. Briſſon. *lib. 1. antiqv. cap. 4.* Pari modo, etſi aliàs ex recentiore jure Canonico Clerici omni jurisdictione Eccleſiaſticâ exemti ſint, ſtatuunt tamen Doctores, Clericum in habitu Laicorum repertum non gaudere iſto fori privilegio. Vid. Capell. Tholoſan. *qvæſt. 253.* Joh. Papon. *lib. 1. tit. 5. areſt. 40. 42. 47. & tit. 6. areſt. 4.* Anton. Mornac. *add. l. 15. ff. de injur.* Sed hæc obiter.

XI. Vulgatiſſima aliàs inter Canoniſtas, & qvæ utramqve paginam in eorum ſcriptis facit, eſt conſtitutio Innocentii III, *in c. pen. X. de vit. & honeſt. Cler.* ubi plurima ejusmodi prohibet, qvæ ſtatui Clericali minus conveniebant. *Clauſa*, inqvit, *deferant deſuper indumenta, nimiâ brevitate vel longitudine non notanda. Pannis rubeis aut viridibus, nec non manicis aut ſotularibus conſutitiis, frenis, ſellis, pectoralibus, calcaribus deauratis, aut aliam ſuperfluitatem gerentibus, non utantur. Cappas manicatas ad divinum officium inter Eccleſiam non gerant, ſed nec alibi, qvi ſunt in ſacerdotio & perſonalibus conſtituti, niſi juſta cauſa timoris exegerit habitum transformari. Fibulas omninò non ferant, neqve corrigias auri vel argenti ornatum habentes: Sed nec annulos, niſi qvibus competit ex officio dignitatis, &c.* Ubi neceſſe non eſt, ut de ſingulis veſtimenti generibus ſolliciti ſimus, cùm uti veſtimenta ipſa, ita etiam nomina eorum ſæpè mutata fuerint. Videri ad eam conſtitutionem poteſt Antonius Dadinus Alteſerra. Et conferri porrò poteſt Clementina *2. eod.*

XII. Unicum adhuc addam decretum Concilii Conſtantienſis, qvod *ſeſſione 43.* confectum fuit:

Inter cæteros prælatorum & Clericorum exceſſûs hoc maximè inolevit, qvod ſpreta in veſtibus forma Eccleſiaſticæ honeſtatis plurimi delectantur eſſe deformes & cupiunt Laicis conformari, qvodqve mente gerunt, habitu confitentur. Unde præter cætera, qvæ circa veſtes, tonſuram & habitus clericorum tàm in formis qvam in coloribus, atqve comam ſeu capillus, vitamqve & honeſtatem Clericorum jura ſtatuunt, & qvæ nimium collapſa ſunt, tàm in ſecularibus qvàm in regularibus ſacro approbante Concilio innovamus & præcipimus diligentiùs obſervari: illum ſpecialiter abuſum, eodem approbante Concilio, decernimus penitùs abolendum, qvod in qvibusdam partibus nonnulli clerici & perſonæ Eccleſiaſticæ ſeculares & regulares etiam, qvod magis execramur, prælati Eccleſiarum, manicas ad cubitum pendentes, & longas cum magnâ ſuperfluitate veſtes etiam fiſſas retrò & in lateribus cum fodraturis ultra oram excedentibus etiam in fiſſuris deferunt, & cum talibus in Eccleſiis cum ſuperpelliceis ac aliis veſtibus ad cultum & officium Eccleſiaſticum ordinatis, etiam intra Eccleſias ipſas, in qvibus beneficiati exiſtunt, non verentur divinis officiis intereſſe. Hanc veſtium deformitatem in qvibuscunqve perſonis Eccleſiaſticis reprobamus ac uſum talium inhibemus, &c. Videntur Clericis in totum prohibitæ fuiſſe manicæ veſtium exteriorum, non pendulæ tantum ex humeris, ſed illæ etiam, qvæ brachiis veſtiendis induebantur, cùm & ſecularibus olim apud Romanos turpe fuerit manicatis tunicis incedere. Auguſtinus *de doctr. Chriſt. lib.3. c. 12. Sicut enim talares & manicatas tunicas habere apud Romanos veteres flagitium erat, nunc autem honeſto loco natis, cùm tunicati ſint, non eas habere flagitium eſt, &c.* Qvod ſecus erat apud Parthos, apud qvos, qvi principem locum habebant, anaxyridem triplam induebant, & manicatam tunicam, plebs verò erat in tunicis ſine manicis. Alexand. ab Alexandr. *lib.5. genial. dier. cap.18.* Cùm igitur apud Romanos mutati eſſent mores, & manicatæ tunicæ in uſu eſſe cœpiſſent, noluit tamen Eccleſia miniſtros ſuos his iisdem veſtibus uti, qvanqvam etiam apud hos ſeqvioribus temporibus receptæ illæ fuerint; ita tamen ut Conſtantienſis Synodi tempore manicæ adhuc pendulæ prohibitæ eſſent.

XIII. Potiſſimùm verò prohibentur Clerici veſtibus lucidis & coloratis uti, qvod ſplendeant nimis veſtes iſtiusmodi, & animo demiſſo haudqvaqvam convenire videantur. Innocentius III, *in d. c. pen. X. de vit. & honeſt. cler.* rubri qvidem & viridis coloris facit mentionem, verùm id ad cæteros etiam colores extendi debere rectè colligit Jacobus Menochius *de arb. jud. qvæſt.*

qvæſt. caſ. 392. n. 4. & ſub rubro ſpecies illas omnes, qvas refert A Gellius *l. 2. noct. Attic. c. 26.* comprehendi, dubium non eſt. Cur etiam viridis prohibitus ſit, facetam hanc nonnulli reddunt cauſam, qvod primus parens in viridi peccaverit. Sed eam meritò perſtringunt Antonius Bengeus & Franciſcus Pinſſonius *de beneſ. tit. de vit. & honeſt. Cler. caſ. 2. §. 5.* & aliam hanc ſubſtituunt, qvod uterqve Color, ruber & viridis maximè pompæ & gloriæ hominum adaugendæ inſerviant. Utroqve hoc colore in ſubſcribendis diplomatibus & reſcriptis uſos fuiſſe Imperatores Græcos, ex *l. 6. C. de diverſ. reſcript.* & Nicetâ Choniate colligit Wilhelmus Schickardus *in Tarich. proœm. pag. 16.*

XIV. Excepti verò fuêrunt â communi Clericorum numero Cardinales, uti vulgò dicuntur, Eccleſiæ Romanæ, qvibus purpuram & inſigne pilei rubri dedit Innocentius IV, Pontifex. Bapt. Platina *in ejus vit.* Barth. Chaſſanæus *in catal. glor. mund. part. 1. conſid. 38. concluſ. 4.* in ſignum ſcil. obligationis, qvâ ſe adſtringunt ad effundendum, qvando oportuerit, ſangvinem, pro Chriſto & ejus Eccleſiâ. Ita enim communiter ſignificativam ejus coloris vim declarant, qvi in veſtimentis perſonarum Eccleſiaſticarum myſteria qværunt. Disqviſitum hinc fuit ſuperiore ſeculo in Conſiſtorio Pontificis Romani, utrum liceat Cardinali religioſo deferre birretum rubrum, ad eum modum, qvo illud deferunt Cardinales non religioſi? præſertim cùm multis retro annis nunqvam Cardinales religioſi illo, tanqvam â religione alieno, uſi fuerint. Collegit & edidit eâ de re novem præſtantiſſimorum Canoniſtarum reſponſa Antonius Scappus JCtus Bononienſis & in Romanâ Curiâ Advocatus, qvi omnes ὁμοθυμαδὸν concludunt, nihil abſurdi eſſe, religioſum rubeo colore inſigniri, imò verò neceſſarium eſſe, ut qvisqve conformetur iſti collegio, in qvod cooptatus fuit. Edita ſunt reſponſa iſta Romæ anno 1592. ſub tit. *de birreto rubeo dando S. R. E. Cardinalibus regularibus.* Sed enim, qvid de Cardinalibus ſentiendum ſit, qvaſi per compendium expoſui ad Lancellotti inſtitut. *lib. 1. tit. 27. §. 24.*

XV. Etſi verò, qvas ſupra memoravi, & præter eas aliæ qvam plurimæ, ubiqve terrarum, editæ eſſent conſtitutiones circa rem Clericorum veſtiariam, illæqve identidem renovarentur, coërceri tamen ægrè potuit prona ad luxum petulantia. Idqve vitium maximè in Britanniâ invaluerat, adeò ut Bonifacius Moguntinenſis Archiepiſcopus graviùs aliqvando per literas increparet Athelardum Archiepiſcopum Cantuarienſem, qvod Clericis in-

veſtium ſplendore nimium indulgeret, moneretqve ſimul, ut ſi qvando Romam ire & Karolum Magnum viſitare vellet, Clericos vel Monachos verſicoloribus & ſplendidis veſtibus indutos comitatui ſuo ne adhiberet, qvod Gallorum clerus modeſtiam in apparatu ſervare ſoleret. uti ex Gildæ invectivâ refert Autor antiqvitatum Britannicarum *in vitâ Athelardi*, cujus Gildæ floſculos alios in Clerum Britannicum ςηλιτευτικοὺς veluti in tabellâ concinnavit Jacobus Uſſerius Archiepiſcopus Armachanus *Britann. Eccleſ. antiq. cap. 15. pag. 548. ſeq.*

XVI. Et hæc qvidem de veſtimentis ſtatui clericali convenientibus aut non convenientibus breviter dixiſſe ſufficiat, ut intelligi inde poſſit, qvatenus ſe in externo habitu inter cives ſuos gerere debeant diaconi. Qvod enim Clericis in genere prohibitum eſt, etiam diaconis prohibitum eſſe oportet. Cùm verò præter veſtes iſtas, converſationi civili congruas, aliæ inſuper miniſterio ſacro, & myſteriis peragendis deſtinatæ ſint, qvibus extra Eccleſiaſticam functionem nullus cæteroqvin uſus eſt, operæ pretium erit, nonnullas earum, qvas diaconis geſtare licuerit, breviſſimo commentario deſcribere. Ut enim de univerſis & ſingulis prolixo apparatu verba faciamus, easqve prout in Græcâ aut Latinâ Eccleſiâ, & utrobiqve in diverſis provinciis uſitatæ fuerint, longo ordine recenſeamus, noſtrum nunc non fert inſtitutum.

XVII. Diſceptatur inprimis de *Orario*, qvale fuerit, qvæ vocis origo, & qvis ejus uſus. Occurrit iſtud vocabulum tùm apud profanos, tùm apud Eccleſiaſticos Scriptores, qvorum teſtimonia collegit Fridericus Lindenbrogius *in Gloſſar.* qvod adjunxit codici Legum antiq. Et apud profanos qvidem Scriptores idem denotat, qvod ſudarium, linteum ſcil. ori tergendo deſtinatum. Talia oraria Aurelianum populo Romano dediſſe, Vopiſcus autor eſt, ad qvem videri poteſt Iſaacus Caſaubonus. Utrum verò eundem habeat ſignificatum etiam penes Eccleſiaſticos Scriptores, non una omnium eſt ſententententia. Affirmat Caſaubonus, qvem propterea acriter inſectatur Jacobus Gretſerus *ad Codin. Curopalat. lib. 1. obſerv. 16. §. 5.* magisqve probat Alcuini explicationem, qvi *lib. de div. offic. cap. 39.* illud per ſtolam interpretatur: *Orarium*, inqvit, *Stola dicitur, eò, qvod oratoribus h. e. prædicatoribus concedatur.* Idem tenuit olim in Colloqvio Johannes Hartus, uti videre licet apud Johan. Rainoldum *cap. 8. ſect. 4.* itemqve Severinus Binius *in not. ad Concilium Romanum II, ſub Sylveſtro can. 22.* & Joh. Stephanus Durantus *de ritib. Eccleſ. lib. 2. cap. 9. n. 14.* qvi tamen diverſum adhuc ſignificatum notant,

tant, qvod denotet aliqvando ſacerdotalem veſtem honeſtam & talarem. Noviſſimè Guilielmus Beveregius, *ad can. 22. Concilii Laodiceni*, Caſauboni ſententiam ſecutus eſt.

XVIII. Sanè Cauſaboni & Beveregii ſententia non videtur eſſe temeraria, ſi præſertim Ambroſii & Auguſtini teſtimonia attentiùs conſideraveris. Ambroſius de fratre ſuo Satyro refert, conſtitutum eum in naufragii periculo Sacramentum â fidelibus petiiſſe, illudqve ligari feciſſe in orario & orarium involviſſe in collo, atqve ita ſe dejeciſſe in mare, *Orat. funebr. de exceſſ. Satyri.* Satyrus ille neqve Sacerdos tùm fuit, neqve ex omni parte Chriſtianus, cùm perfectioribus adhuc initiandus eſſet myſteriis. Qvod ſi orarium, qvo utebatur Satyrus, ſtola fuit, qvomodo ligari in eo ſacramentum, qvomodo orarium in collo involvi potuit? Potius igitur eſt, ut orarium illud pro mantili habeamus, aut faſciâ, qvippe qvod tùm uſum longè commodiorem præſtare potuerit. Magis perſpicuum, niſi fallor, eam in rem eſt teſtimonium Auguſtini, qvi *lib. 22. de Civ. DEI cap. 8.* refert, qvâ ratione adoleſcens aliqvis oculum lapſum atqve pendentem loco ſuo revocatum ligaverit orario. Qvod ſi orarium iſtud ſtola fuit, qvæſo ego, qvæ tùm eſſe potuit ligaminis ratio? & qvæ oculi in loco ſuo cohibitio? Nec obſtare poteſt, qvod in humeris geſtare orarium oportuerit, uti mox dicemus, cùm & mantile, aut linteum adaptari & applicari humeris, & reliqvis veſtibus ita annecti qveat, ut veluti fimbriam aut limbum faciat, & ornamentum aliqvod præſtet. Et huc, nî fallor facit canon 27. Concilii Bracarenſis I, *Item placuit, qvia in aliqvantis hujus provinciæ Eccleſiis diacones abſconſis infra tunicam utuntur orariis, ita ut nihil differre à ſubdiacono videantur, ut de cætero ſuperpoſito ſcapulæ, ſicut decet, utantur orario.* Sed & pertinere huc videtur, qvod refert Damaſus Papa *in libro Pontificali*, ſive potiùs Anaſtaſius Bibliothecarius, Sylveſtrum Papam conſtituiſſe, ut diaconi Dalmaticis in Eccleſiâ uterentur, & pallâ linoſtimâ læva eorum tegeretur. Difficile tamen erit in re iſtâ qvicqvam decernere, cùm propter freqventiſſimas veſtium mutationes, qvæ cujusqve inter antiqvatas & prorſus abrogatas atqve deperditas forma, qvisqve uſus fuerit, plerumqve hodiè ignoretur, & per conjecturas tantùm explicari ſoleat.

XIX. De etymologiâ vocabuli itidem varia Doctorum eſt ſententia, tùm inter Græcos, tùm inter Latinos. Theodorus Balſamon ad *d. c. 22. Concilii Laodiceni* ἀπὸ τοῦ ὁρῶ derivat, qvod per τὸ φυλάσσω καὶ ἐπιτηρῶ hoc eſt, obſervo, explicat. Et qvia Matthæus Blaſtares *in Syn-*

tagm. alphabet. lit. E. cap. 9. eadem verba explicantia retinet, derivationem autem facit ab ὡρῶ, putat hinc Beveregius *d. l.* etiam in Balſamonis commentario ſcribendum eſſe ὡρῶ; qvod tamen neceſſe forte non eſt, cùm verbum ὁρῶ per adſpirationem ſufficienter mentem Balſamonis exprimat. Alii ἀπὸ τοῦ ὡραΐζειν deducunt, qvod eſt ornare, διὰ τὸ ὡραΐζειν τὸν διάκονον τῇ χάριτι, καὶ τῆς δόξης Θεοῦ τοῦ κάλλει περικοσμεῖν, uti loqvitur Simeon Theſſalonicenſis, h. e. qvia ornat diaconum gratiâ & ſplendore gloriæ divinæ. Qvi verò vocabulum iſtud origine Latinum faciunt, viciſſim in partes eunt. Alii enim ab horâ deductum putant, qvod hora ſeu tempus in ſacris peragendis eo indicetur, alii ab orando, alii ab ora veſtis cui annexum fuit, tandem alii ab ore, cui tergendo propriè deſtinatum fuerit, ut notatio vocis cum re ipſâ conveniat. Sed hoc argumentum non ſatis idoneum eſſe, ait Gretſerus *d. l.* non magis, ac ſi qvis dicere velit, óro idem eſſe qvod edo, eò qvod ab ore deducatur. Ego neqve hunc Gretſeri διασυρμὸν curandum puto, qvandoqvidem ab Etymologiâ qvæ ducuntur argumenta aliqvando procedunt, non ſemper, nec promiſcuè in omnibus. Merè grammatica hæc eſt concertatio, qvam noſtram ideò facere nolumus, ne contentioſum iſtud hominum genus, qvi in vocabulis ſuas delitias qværunt, in nos concitemus.

XX. Cæterùm Matthæus Blaſtares *d. l.* ſolis diaconis orarium tribuit. Τοῖς διακόνοις γὰρ, inqvit, δέδοται καὶ μόνοις τῷ λαῷ τῶν ὤμων τοῦτο περιτιθέναι. *Diaconis enim & illis ſolis conceſſum erat illud publicè humeris geſtare.* Idem docet Theodorus Balſamon ad *d. c. 22. Concil. Laodiceni:* Τὸ ὠράριον φορεῖν μόνων ἐστὶ τῶν διακόνων, *Orarium ferre eſt ſolorum diaconorum.* Et Zonaras: Τοῦτο γὰρ τῶν διακόνων ἐστί. *Diaconorum namqve id eſt peculiare.* Fortaſſe autem hoc in Eccleſiâ Græcâ aut Orientali obtinuit. In Occidente enim orarium etiam Epiſcopis & presbyteris in uſu fuiſſe, Conciliorum Hiſpanicorum decreta nos docent. In Concilio Toletano IV, *can. 39.* ſtatuitur, diaconum unico tantùm orario ornatum eſſe debere, eò qvod nec Epiſcopis, nec presbyteris duobus ſimul uti liceat: Si oraria duo nec Epiſcopo induere licet, nec presbytero, utiqve multò minus diacono, qvi miniſter eorum eſt. In Hiſpaniâ ergò præter diaconum etiam Epiſcopi & presbyteri ſua habebant oraria, ſed ſinguli unicum duntaxat.

XXI. De presbyteris perſpicuum magis teſtimonium petere licet ex Concilio Bracarenſi III, *can. 4.* qvod his verbis conceptum extat:

tat: *Cum antiqva Eccleſiaſtica noverimus inſtitutione præfixum, ut omnis Sacerdos, cùm ordinatur orario utroqve humero ambiatur, ſcilicet, ut qvi imperturbatus præcipitur conſiſtere, inter proſpera & adverſa, virtutum ſemper ornamento utrobiqve circumſeptus appareat. ---proinde modis omnibus convenit, ut qvod qvisqve percepit in conſecratione, hoc & retineat in oblatione vel perceptione ſuæ ſalutis, ſcilicet ut cum Sacerdos ad ſolennia miſſarum accedit, aut pro ſe DEO ſacrificium oblaturus, aut ſacramentum corporis & ſangvinis Domini noſtri Jeſu Chriſti ſumturus, non aliter accedat, qvam orario utroqve humero circumſeptus, ſicut & tempore ordinationis ſuæ dignoſcitur conſecratus; ita ut de uno eodemqve orario cervicem pariter & utrumqve humerum premens ſignum in ſuo pectore præferat crucis. Si qvis autem aliter egerit, excommunicationi debitæ ſubjaceat.* Extat apud Gratianum *c. Eccleſiaſtica diſt. 23.*

XXII. Obſervetur hîc, presbyteros in utroqve humero geſtaſſe oraria, cùm diaconi tantùm in unico, hoc eſt, ſiniſtro eadem habuerint. De presbyteris patet ex allegato canone Bracarenſi. De diaconis agit canon Toletanus, cujus ſupra feci mentionem, qvemqve recenſet Gratianus *can. 4. diſt. 25. Unum Orarium oportet Levitam geſtare in ſiniſtro humero, propter qvod orat, i. e. prædicat. Dexteram autem partem oportet habere liberam, ut expeditius ad miniſterium ſacerdotale recurrat.* Nempe manus dextera libera eſſe debuit, qvod præcipuus ejus uſus eſſet in admiſſione fidelium & excluſione ſive remotione catechumenorum & aliorum, qvibus myſteriis Chriſtianorum intereſſe non licuit. Hoc enim fuit officium Diaconi explicante Chryſoſtomo *in epiſt. ad Hebr. cap. 9. hom. 17.* ut in altiore loco ſtans, magnâ voce, terribili clamore, veluti qvidam præco, manus ſuſtollens in altum, alios qvidem vocaret, alios autem prohiberet, alios excluderet, alios introduceret. Et hoc fuit miniſterium ſacerdotale, qvod innuit Concilium, qvodqve expeditius peragi poſſe docet, ſi manus dextera libera ſit, nec orario adſtricta.

XXIII. De uſu hujus orarii dum ſollicitus eſt Gretſerus *d. l.* præmittit, non omnium veſtium ſacrarum uſum exqvirendum eſſe. Concedere hoc facilè poſſumus, qvibus valdè tædioſum eſt tot abſtruſas, & nullo fundamento ſubnixas, ſed ut plurimùm longè petitas cujusqve veſtis ſignificationes ex tàm vaſtis commentariis perfunctoriâ tantùm lectione addiſcere. Recenſet tamen Gretſerus uſum aliqvem

ex Matthæi Blaſtaris *ſyntagmate ſupra allegato*, ſed cum novâ animadverſione in Caſaubonum. Blaſtaris verba hæc ſunt: *Solis diaconis conceſſum eſt ſiniſtro humero orarium circumponere. Dictum eſt autem orarium ab ὠρῶ, qvod eſt cuſtodio & obſervo. nam diaconi qvi orarium ex humero ſuſpenſum gerunt, ſacrificantibus aſſiſtentes, & ſacras Liturgiæ preces obſervantes, Diaconis, qvi in ambone ſunt, Orario ſignificant, qvandonam tempus ſit ſeparandi voce publicâ catechumenos à fidelibus.* Ita vertit Gretſerus & reprehendit Caſaubonum, qvod mentem Blaſtaræ his verbis explicaverit: *Diaconus, qvi orarium geſtabat, eum qvi in ambone Sacram Scripturam legebat, admonebat, qvando vel ad fideles vel ad infideles deberet orationem flectere.* Textus Græcus, uti eum recenſet Gretſerus, ita habet: Οἱ γὰρ ἐξαρτῶντες τοῦτο διάκονοι, τοῖς ἱερουργοῦσι παριστάμενοι καὶ τὰς τῆς ἱερᾶς τελετῆς ἐπιτηροῦντες εὐχὰς τῷ ὠραρίῳ τοῖς ἐν τῷ ἄμβονι σημαίνουσι διακόνοις τὸν καιρὸν τῆς ὀφειλούσης γίνεσθαι ἐκφωνήσεως τῶν τε κατηχουμένων καὶ τῶν πιστῶν. Ita etiam ex manuſcripto legit Chriſtophorus Juſtellus *ad Cod. can. Eccleſ. univerſ. pag. 159.* Sed in aliis exemplaribus verbis ultimis inſeruntur adhuc alia hoc ordine: ἐκφωνήσεως ἐν τῇ ἐκτενῇ τῶν αἰτήσεων τῶν τε κατηχουμένων καὶ τῶν πιστῶν. i. e. *qvando oporteat fieri conceptis verbis prolatio precationum ad Catechumenos & fideles pertinentium.*

XXIV. Conſimilia ſunt verba Theodori Balſamonis, qvibus explicat *canonem 22.* Concilii Laodiceni. Διάκονοι γὰρ τοῖς ἱερουργοῦσι παριστάμενοι, καὶ ἐπιτηροῦντες τὰς τῶν ἁγίων εὐχῶν τελετὰς, καὶ τὰς τῶν πρεσβυτέρων ἐκφωνήσεις, διδόασιν εἴδησιν διὰ τοῦ ὠραρίου τοῖς ἐν τῷ ἄμβονι διακόνοις, τῆς ὀφειλούσης γίνεσθαι ἐκφωνήσεως, ἤγουν τοῦ καιροῦ τῆς ἐκτενῆς τῶν αἰτήσεων τῶν κατηχουμένων καὶ τῶν λοιπῶν. *Diaconi enim eis qvi celebrant aſſiſtentes, & ſanctarum orationum myſteria & presbyterorum prolationes obſervantes, eis qvi ſunt in ſuggeſtu diaconis per orarium ſignificant, qvando debeat fieri pronunciatio ſeu prolatio petitionum Catechumenorum & reliqvorum.* Dubium mihi non eſt, Blaſtarem, qvippe poſteriorem, exſcriptorem fuiſſe Balſamonis, & hinc eadem utriusqve reperiri verba. Scripſit enim Balſamon circa annum Chriſti MCXCI. Blaſtares vero circa annum MCCCXXXV.

XXV. Ut verò de utriuſqve mente certi reddamur, repetendum eſt ex iis, qvæ ſupra *cap. 8.* diximus, de officio

officio diaconorum circa preces pro catechumenis, pro energumenis, pro pœnitentibus, & pro fidelibus. Nempe ſingulis iſtis ordinibus ſpeciales deſtinatæ erant ab Eccleſiâ preces, qvas fundebat Epiſcopus, præviâ tamen precatiunculâ aliâ, qvâ diaconus eorum & reliqvorum præſentium corda præparabat, ut cum attentione deinceps ſolennes preces audirentur. Precibus iſtis abſolutis dimittebatur ordo ille, qvem concernebant preces, & alius accerſebatur. Ut igitur *εὐσχημόνως* omnia procederent, videtur Epiſcopus aut presbyter, qvi preces ſolennes recitabat, ſtetiſſe coram altari, & circumſtantes habuiſſe diaconos aliqvos; diaconus autem, qvi precatiunculam iſtam *παρασκευαστικὴν* præmittebat, ſtetiſſe in ambone aut ſuggeſtu, ut qvemlibet ordinē ſeorſim ad Epiſcopū vocare poſſet. Diaconi igitur illi, qvi apud Epiſcopum aut presbyterum erant, per orarium, qvod geſtabant, ſignum dabant diacono in ambone conſiſtenti, qvando ordo qviſqve vocandus, qvâve precatiunculâ præparandus eſſet. Hæc videtur ſimpliciſſima, & illis, qvæ ſupra diximus, tùm & verbis Blaſtaris convenientiſſima expoſitio, à qvâ certè non multum recedit expoſitio Caſauboni, reprehenſa à Gretſero. Tolerabantur enim etiam infideles & gentiles in Eccleſiâ, uſqve ad miſſam Catechumenorum *c. epiſcopus de conſecr. diſt. 1.* qvos & ipſos propterea expellere tenebatur diaconus.

XXVI. Et qvia igitur per orarium diaconi ſignum dare ſolebant alteris illis, qvi ordines præparabant, videtur utiqve illud faſciæ potius aut mantilis, qvam ſtolæ formam habuiſſe; neqve enim unqvam per ſtolam tàm commodè ſignum dari poterit, qvam per ſudarium aut linteum. Nec tamen aſſerere velim, ſudori detergendo, aut veluti muccinium aliqvod, uti Arnobius vocat, muco expellendo adhibitum fuiſſe, qvandoqvidem, uti Guilielmus Beveregius *d. l.* ex Simeone Theſſalonicenſi probat, *τὸ τρισάγιον* inſcriptum habuit, qvod excrementis humanis applicare nunqvam auſi fuiſſent Chriſtiani. Inſuper verò & hoc notetur de orario, miniſtris diacono inferioribus id geſtare permiſſum non fuiſſe. Diſertè id prohibitum invenitur in Concilio Laodiceno *can. 22. & 23.* *Qvod non oportet miniſtrum, ὑπηρέτην, h. e. ſubdiaconum, orarium ferre, nec oſtia relinqvere. Qvod non oportet Lectores aut Cantores orarium ferre, & ſic legere vel canere.* ap. Gratianum *c. miniſtrum, & c. ſeq. diſt. 23.* Qvò & facit canon 27. Concilii Bracarenſis I ſupra à nobis adductus.

XXVII. Tranſeamus ad veſtimentum ſacrum aliud, qvod *στιχάριον*

ριον dici conſvevit, quod itidem commune fuit Epiſcopis & diaconis, cum hâc tamen diſtinctione, qvod Epiſcoporum στιχάριον undulatum eſſet, & deſuper deſcendentia haberet flumina; ſed diaconorum adſtrictum magis fuiſſe videtur, uti ex Simeonis Theſſalonicenſis verbis, quæ recenſet Jacobus Gretſerus *ad Codin. Curopalat. lib. 1. obſerv. 16.* colligere licet. Στιχάρια illa albas fuiſſe tunicas idem Simeon Theſſalonicenſis docet. Utrum verò cum veſtimento illo, quod in Latinâ Eccleſiâ κατ' ἐξοχὴν alba dici conſvevit, conveniat, non auſim aſſerere, id licet ſtatuere videatur Joh. Steph. Durantus *de ritib. Eccleſ. lib. 2. c. 9. n. 8.* Cujus ſententia ſi probanda fuerit, στιχαρίῳ non omni tempore, qvo divina celebrantur officia, uti poterunt diaconi. De albâ enim conſtitutum legitur in Concilio Carthaginienſi IV, *c. 41.* ut diaconus tempore oblationis tantùm vel lectionis albâ utatur apud Gratian. *c. diaconus diſt. 93.* Idem ergo de στιχαρίῳ aſſerendum erit. Dubitat tamen de utriuſque convenientiâ Johannes Rainoldus *in Colloq. cum Harto. cap. 8. ſect. 4.* Sed & Sticharia aliqua purpurea fuiſſe in Eccleſiâ Græcâ, illiſque per totam qvadrageſimam, excepto feſto annunciationis, palmarum, & magno Sabbatho paſchæ, uſos ſacerdotes & diaconos, teſtis eſt Codinus Curopalat. *cap. 9. n. 7.* Rationem reddit Jacobus Goarus *ibid. ſub. num. 11.* qvia purpureus Color in Orientali Eccleſiâ fuit ſignum luctûs. Sic enim reſpondit Demetrius Chomatenus Archiepiſcopus Bulgariæ ad Conſtantinum Cabaſilam Archiepiſcopum Dyrrhachii *lib. 5. jur. Græco-Rom.* πένθους εἰσὶ τὰ πορφυρᾶ τοιαῦτα ἐσθήματα σήμαντρον. ἐν μόναις γὰρ νηστίμαις ἡμέραις, καὶ ἐν μνημοσύνοις ἀπελθόντων: *Luctus ſunt inſigne purpurea hujuſmodi veſtimenta in ſolis enim jejunii diebus & mortuorum memoriis.*

XXVIII. Dalmaticâ etiam utebantur Diaconi, ſic dictâ, ut Iſidorus explicat *lib. 19. orig. c. 22.* qvod primùm in Dalmatiâ texta fuerit, habens clavos ex purpurâ. Id aliqvando Regibus in uſu fuiſſe veſtimentum ex Lampridio colligi poteſt, qvi de Commodo Imperatore ſcribit, qvod dalmaticatus proceſſerit in publicum. Et qvia Dio in Commodo veſtem eam dicit fuiſſe tunicam manicatam, ſericam, albam, facilè intelligi inde poteſt, qvalisnam Dalmatica veſtis fuerit. Dalmaticam hanc Colobio ſucceſſiſſe Papias Vocabularius autor eſt: *Colobium genus veſtis dictum, qvia longum eſt, & ſine manicis, hoc antiqvi utebantur, ſed qvia nuditas brachiorum culpabatur, uſus colobiorum in Dalmaticas eſt mutatus.* Idqve etiam de indumentis miniſtrorum Eccleſiæ teſtatur Alcuinus *lib. de div. offic. Uſus*

Dal-

Dalmaticarum à Sylveſtro inſtitutus eſt, nam antea colobiis utebantur. Colobium verò eſt veſtis ſine manicis. Qvæ qvidem verba non hoc volunt, uti interpretatur Joh. Steph. Durantus *de ritib. Eccleſ. lib. 2. c. 9. num. 24.* qvod Sylveſter inventor fuerit iſtius veſtimenti, & qvod ante Sylveſtrum nullus fuerit Dalmaticarum uſus, ſed qvod juſſerit Diaconos Eccleſiæ colobiis prorſus abſtinere, inqve eorum vicem Dalmaticas adhibere. De colobio autem ad Horatii *lib. 1. ſatyr. 5.* hæc notat Acron, ſive qviſqvis ejus commentarii autor eſt: *Purpuram dicit, qvæ in pectore extenditur Senatorum, τὸν κολοβιῶνα vocant: uſum ejus hodiè retinent Principes injicientes veſti à cervice ad pectus, indumentum ex purpurâ vel pellibus pretioſis muris Pontici, vel aliis, dum regio habitu prodeunt in publicum.* Et Jacobus Cruquius *ibid.* κολόβιον, ſive τὸν κολοβιῶνα interpretatur amiculum ſine manicis, qvod à tergo & pectore per caput ſupra togam informam utrinqve lati clavi ab humeris demittitur ad umbilicum uſque.

XXIX. Iſtiuſmodi colobiis Diaconos olim uſos fuiſſe, atque ea purpuram intertextam habuiſſe, colligitur ex Ammiani Marcellini *lib. 14.* ubi refert, Maram Diaconum Antiochiæ literis ad Tyrii textrini præpoſitum Græco ſermone ſcriptis perurſiſſe celeratam ſpeciem, ſive tuniculam pectoralem ſine manicis purpuream. Quibus verbis non Dalmatica deſcribitur, uti putat Cardinalis Baronius *in martyrolog. ad d. 31. May*, ſed colobium aut certè ἐξωμὶς, qvæ manicis carebat. Vid. Jacob. Gothofred. *ad l. 1. C. Theodoſ. de habitu, qvo uti op. intr. Urb.* Renat. à Valle *in Hipparch. pag. 111.* Qvia igitur colobia illa fuerunt breves tunicæ & ſine manicis, Sylveſter Pontifex voluit, ut diaconi deinceps Dalmaticis in Eccleſiâ uterentur, uti refert Anaſtaſius Bibliothecarius *in ejus vitâ.* Dalmaticæ enim manuleatæ erant, & in hoc differebant à colobiis. Colobia autem ideò abrogabantur, qvod brachia per ea non tegerentur, & in hoc dalmaticæ honeſtati & religioni aptiores viderentur. Habuit enim, uti refert Durantus *d. l. num. 26.* Dalmatica manicas latas & largas, qvibus qvales ſignificatûs tribui communiter ſoleant, ipſe prolixè exponit. Nec proinde credendum Severino Binio, qui in *not. ad vit. Eutychiani*, Baronium ſecutus, Dalmaticam interpretatur tunicam ſine manicis.

XXX. Qvemadmodum autem colobium ab initio proprium Epiſcoporum fuit indumentum, uti non ineptè colligitur ex Pii I epiſtolâ ad *Juſtum Viennenſem Epiſcopum*, ſed qvam ipſam non ab omni impoſturæ ſuſpicione liberam aſſerere audet David Blondellus *in Pſeudo Iſidoro*: ita etiam Dalmatica peculiaris videtur

tur ab initio fuiſſe Epiſcoporum ornatus, neqve promiſcuè qvorumvis, ſed illorum tantùm, qvibus eum ſpecialiter conceſſiſſet Pontifex Romanus. Apud Gratianum *diſt. 23. c. communis*, fragmentum refertur ex epiſtolâ Gregorii Magni *113. lib. 7.* ſcriptâ ad Aregium Epiſcopum de Galliis his verbis: *Communis filius diaconus Petrus nobis innotuit, qvod fraternitas veſtra tempore, qvo hîc fuit, popoſcit, ut ſibi & archidiacono ſuo utendi dalmaticis licentiam præberemus. Sed qvia hominum ſuorum infirmitate compulſus feſtinanter abſceſſit, ut nec ipſe mœror incumbens diutiùs, ut dignum erat, & res deſiderata poſcebat, fineret permanere, & nos in multis implicatos ut Eccleſiaſticæ rationis eſt conſideratio, novum hoc inconſultè & ſubitò indulgere non permitteret: idcircò rei poſtulatæ prolongatus eſt effectus. Nunc verò charitatis tuæ bona revocantes ad animum hujus auctoritatis noſtræ ſerie petita concedimus, atq; te & archidiaconum tuum dalmaticarum uſu decorandos eſſe conceſſimus, eaſdemq; dalmaticas dilectiſſimo filio noſtro Cyriaco abbate deferente tranſmiſimus.* Sic & Symmachus Papa Cæſario Epiſcopo Arelatenſi Romam advenienti, qvo tantum Virum digno proſeqveretur honore, inter alia tribuit, ut diaconi Eccleſiæ Arelatenſis, ſicut Romani diaconi dalmaticis uterentur, uti ex actis Cæſarii refert Baronius, *in martyrol. d. l.* Et Urbanus II, anno MXCV, confirmavit uſum Dalmaticæ Abbati Cluniacenſi conceſſum. Vid. diploma apud Martinum Marrier *in Bibliothecâ Cluniacenſi pag. 517. in fin.*

XXXI. Primus, uti dixi, Sylveſter diaconis Eccleſiæ Romanæ dalmaticas permiſit. Ad hos enim ſolos reſtricta eſt ejus conſtitutio facta in Synodo Romanâ II, *c. 6.* Poſtea verò ea poteſtas etiam aliis data fuit, uti dixi. Qvin & Sacerdotes dalmaticis, ante caſularum uſum, induti fuérunt, ſi habenda fides Walafrido Straboni *de reb. Eccleſ. cap. 28.* poſtea verò cum caſulis uti cœpiſſent, dalmaticas diaconibus reliquérunt. Inſuper etiam hoc notandum eſt, non videri dalmaticam ſemper & ubique in omnibus ſacris adhibitam, non ſanè tempore jejuniorum. In concilio enim Salegunſtadienſi, quod alii Moguntinum nominare malunt, *c. 2.* ubi de jejunio qvatuor temporum agitur, excipitur feſtum Pentecoſtes, & dicitur, qvod tunc propter ſolennitatem Spiritus S. diaconi dalmaticis indui, & Alleluja cantari, & geniculationes omitti debeant. Dalmaticæ ergò tantùm diebus ſolennibus in ſignum lætitiæ induebantur.

XXXII, De tonſurâ, qvam uti omnibus Clericis, ita & diaconis neceſſariam cupiunt Eſ ſiamque ideo ſignum diſtinctivum miniſtrorum

Eccleſiæ à plebe faciunt Eccleſiæ Romanæ Doctores, addere aliquid non videtur operæ precium, qvod pleraque omnia, quibus neceſſitas iſta probari ſolet, nullius planè ſint momenti. Fatentur ipſimet juris Canonici Interpretes, receſſum fuiſſe à patrum inſtitutis circa modum tonſuræ, aliumque hodiè uſurpari, atque primitùs cœperit: inter quos præ cæteris videri poterit Fr. Florens *in diſſertat. ad c. 4. ſeq. X. de vit. & boneſt. Cler.* neque id negare poteſt Bellarminus *l. 2. de monach. c. 40.* allegans eam in rem Optati Milevitani verba ex *l. 2. contra Parmen. Docete ubi vobis mandatum ſit, radere capita ſacerdotibus, cùm è contrario tot ſint exempla propoſita, fieri non debere.* Nec aliud reſpondere Bellarminus poteſt, niſi quod ejuſmodi ceremoniæ pro temporum & locorum diverſitate variare poſſint. Id ſi verum eſt, cur, ut neceſſarias eas nobis obtrudunt? Qvò pertinet, quod à S. Petro tonſuram inſtitutam velint Latini, à S. Paulo orientales Græci, quodque illi in modum coronæ ſpineæ caput attondeant, hi caput totum radant. Vid. Jacob. Uſſerius *de Eccleſiar. Britannicar. primord. c. 17.* Et hinc fieri ſolet, ut ſi quis Græcus, jam antea raſus, in Eccleſiam Latinam intitulatus fuerit, non aliàs muneri illi aptus habeatur, niſi denuo more Latinorum tondeatur, qvale exemplum refert Matth. Parkerus *in antiq. Eccleſ. Britann. in vit. Theodori.* Sed cum totus iſte ritus ſuperſtitioſus ſit, nullique fundamento innitatur, nolo hic plura de eo verba facere. Vid. Andr. Rivet. *in cathol. Orthodox. qvæſt. 26.*

Caput XIII.

De Diaconorum ſtatu domeſtico & vita privata.

I. *Clericorum aliorumq; Chriſtianorum ab initio communio.* II. *Diaconorum cum Epiſcopo perpetua fere converſatio.* III. *Commune clericorum adoleſcentum conclave.* IV. *Apoſtolica communio ſublata. Redituum Eccleſiaſticorum qvadripartita diviſio.* V. *A Patribus faſtidita, contra vero communio expetita.* VI. *Hujus laudes, Tertulliani ſeculo adhuc durantis.* VII. *Aucto Chriſtianorum catu perſiſtere neqvivit.* VIII. *Digreſſis primum Laicis retinuerunt eam*

Clerici, ſingulari tamen cum libertate. IX. *Seculo* III *Sportulæ Clericis diſtributæ.* X. *Pro ratione officii & meritorum.* XI. *An decimarum obligatio dandarum ante id ſeculum fuerit?* XII. *Præciſe & qvoad qvotam ſumtæ non debentur jure naturæ.* XIII. *Nic. Le Maiſtre ſententia,* XIV. *Confutata.* XV. *Utrum conſvetudine minui, aut prorſus tolli qveant?* XVI. *Decimarum origo.* XVII. *Variæ affectiones,* XVIII. *Earum in Eccleſiis Magdeburgenſibus ratio demonſtrata ex inſtrumento Wilbrandi, Archiepiſcopi.* XIX. *Utrum Clerici ex reditibus ad ſuſtentationem neceſſariis qvædam vertere qveant in uſus alios, an pauperibus dare teneantur?* XX. *Concilium Colonienſe de anno MDXXXVI illuſtratum.* XXI. *Tituli, Beneficia exorta.* XXII. *Inde lites, contentiones, novus Juris proceſſus.* XXIII. *Clerici primum ſine cura temporalium divinis incumbebant.* XXIV. *Honeſtum artificium Clericis permiſſum.* XXV. *Qvale hoc eſſe debeat?* XXVI. *An ſæcularibus Clerici negotiis occupandi ſint?* XXVII. *Locus Pauli 2. Tim. II, 4. explicatus.* XXVIII. *Non omnis à Clericis cura ſecularis aliena.* XXIX. *Qvænam ſecularia perſonas eorum dedeceant?* XXX. *Et horum ex Pſeudo Melchiade deſignatio.* XXXI. *Negotiatio an Clericis interdicta Jure Canonico?* XXXII. *Non Civili & legibus Imperatorum.* XXXIII. *Cum propter exilem mercaturam à collatione luſtrali fuerint immunes.* XXXIV. *Neqve jure Canonico.* XXXV. *Avaritia, familiare Clericis vitium.* XXXVI. *Abrahamius per mercaturam è paupere dives. Apantita.* XXXVII. *Negotiatio res in ſe non abſolute mala.* XXXVIII. *Sed periculis variis expoſita.* XXXIX. *Triplicem eſſe oſtenditur.* XL. *Prima ſpecies de neceſſariis emendis, ſuperfluis vendendis, non eſt indecora.* XLI. *Tertia lucrativa.* XLII. *Media pariter.* XLIII. *Cauponaria Clericis interdicta.* XLIV. *Ob vilitatem.* XLV. *Item poſſeſſionum conductio.* XLVI. *Niſi fiat cauſa neceſſitatis.* XLVII. *Ratio Interdicti.* XLVIII. *Inde prohibentur Advoti munus ſuſcipere.* XLIX. *Gratianus notatus.* L. *Ubi licitum iis ſit advocandi,* LI. *Diſceptatur à diacono qvodam & Luca Patriarcha CPno.* LII. *Hodie non amplius de Judice Clerico dubitatur, an eſſe poſſit?* LIII. *Contra an tutor aut Curator recte conſtituatur.* LIV. *Excipitur tutela legitima, ad qvam etiam cogi poteſt.* LV. *Immunitas tamen ab hac conceſſa fuit à Juſtiniano.* LVI. *Qvin per ejuſdem legem ne volens qvidem admit-*

admittebatur. LVII. *An teſtamentorum exſecutores eſſe prohibeantur?* LVIII. *Ratio prohibendi tutelam in Clericis varia.* LIX. *Neqve Clericus ſit miles.* LX. *Qvid Clericum deceat?* LXI. *Maxime Theologiæ ſtudium.* LXII. *Cujus* παρεπτώματος, *ſubtilitas interpretandi ſcripturas.* LXIII. *Inficetæ Scholaſticorum diſputationes.* LXIV. *Adoleſcentia ſtudioſorum & concionandi pruritus.* LXV. *Diſſidia Theologorum & contentiones inexplicabiles.* LXVI. *An Jurisprudentiæ ſtudere conveniat Clericis?* LXVII. *Qvos excipiant Canoniſtæ?* LXVIII. *Superficialis Juris cognitio magis nocet. Termini Juridici.* LXIX. *Nec Medicinæ ejusq; praxi incumbant clerici.* LXX. *Neqve chirurgicæ.* LXXI. *Philoſophiæ in Theologia magnus uſus pariter & abuſus.* LXXII. *Sanioris laudes.* LXXIII. *An inter beatos habendi ſint nonnulli philoſophorũ gentilium?* LXXIV. *Eorum ſcripta ad uſum Theologicum devote adhibeantur.* LXXV. *Philoſophiæ potiores partes in ſacris ſtudiis.* LXXVI. *Eruditionis ambitus & qvorundam ineptè doctorum arrogantia.* LXXVII. *Clericorum alia vitæ munia in converſatione.* LXXVIII. *A perditis & infamibus abſtinendum.* LXXIX. *A crapula, ebrietate. Ad pinnas bibere.* LXXX. *Cœnæ Symbolicæ Clericis interdictæ.* LXXXI. *Prærogativa Clericorum in agapis.* LXXXII. *Qvare duplum acceperint?* LXXXIII. *Nuptialibus interſunt conviviis, uſqve ad ludos theatrales. Thymelici,* θυμέλη. LXXXIV. *Laruati ne incedant.* LXXXV. *Neq; ludis indulgeant, maxime aleæ; qvæ Jure Prætorio & Juſtinianeo prohibita.* LXXXVI. *Ne qvidem adſideant illi, aut ſpectent, dum ludunt alii.* LXXXVII. *Eadem jure Canonico interdicta.* LXXXVIII. *Qvi luſus Clericis permittantur.* LXXXIX. *Alia heic obvia cujusqve ingenio relinqvuntur.* XC. *Bernhardi ſuper diaconi cujuſdam aulico miniſterio qverela.* XCI. *Apocriſiariorum officium.* XCII. *Diaconorum fere proprium.*

I. UTi Chriſtianorum omnium ab initio, ita & Clericorum, & qvi in horum numero fuerunt, diaconorum vita erat communis, & ratio vivendi eadem. Eoqve proceſſit, tùm temporis, pietatis ardor, ut inter Eccleſiaſticas perſonas turpe haberetur, ſi qva proprium qvid poſſideret. Iſtam communionem ſuo adhuc tempore commendat Hieronymus ad Nepotianum verbis, qvæ referuntur à Gratiano *c. clericus 12. q. 1.*

Clericus talem ſe exhibere debet, ut ipſe poſſideat dominum, & ipſe poſſideatur à domino. Qui dominum poſſidet, & cum Propheta dicit: Pars mea Dominus: nihil extra Dominum habere poteſt. Quod ſi qvippiam aliud habuerit præter Dominum, pars ejus non erit Dominus, v. g. ſi aurum, ſi argentum, ſi poſſeſſiones, ſi variam ſupellectilem, cum iſtis partibus non dignatur Dominus fieri pars ejus. Si autem ego pars Domini ſum, & funiculus hereditatis ejus, non accipio partes inter cæteras tribus, ſed qvaſi Levita & Sacerdos vivo de decimis: & altari ſerviens altaris oblatione ſuſtentor habens victum & veſtitum, his contentus ero: & nudam crucem nudus ſeqvor. Idem Hieronymus qvendam ſuum Levitam de diverſâ Clericorum & Laicorum co:d tione inſtruit, ut plane aliam poſthac vitam vivendam eſſe ommonefaceret: *Duo ſunt*, inqvit, *enera Chriſtianorum. Eſt autem unum genus qvod mancipatum divino icio & deditum contemplationi & tioni, ab omni ſtrepitu temporalium ire convenit, ut ſunt Clerici & Deo ti. -- Illi enim victu & veſtitu enti nullam inter ſe proprietatem ntes, debent habere omnia coma. Aliud verò genus eſt Chriſtiam, ut ſunt Laici. His licet temporaſidere, ſed non niſi ad uſum, &c.* eundem Gratianum *can. 7.*

Etſi verò Clerici provectiores iberent cellulas, in qvas ſecedere illis licitum erat, pleraque tamen eorum converſatio penes Epiſcopum erat, cùm uti ſupra dixi Epiſcopo non licuerit eſſe ſo i; ſed adhibere in conclavi ſuo tenebatur presbyteros aut diaconos, teſtes ſcilicet actionum ſuarum, ut detrectatoribus calumniandi occaſio præſcinderetur. Eum in finem ipſi etiam presbyteri & diaconi ſeorſim in cellis ſuis agentes teſtes ſibi aſſumere jubebantur, ne aliqvod naſceretur & in vulgus dimanaret ſuſpicionis argumentum. Perſpicua hujus rei extat probatio in *can. 23.* Concilii Toletani IV. *Non aliter placuit, ut qvemadmodum Antiſtites* (de qvibus actum fuit *canone antecedente 22.*) *ita presbyteri atq; Levitæ, qvos fortè infirmitas aut ætatis gravitas in conclavi Epiſcopi manere non ſinit, ut iidem in cellulis ſuis teſtes vitæ habeant, vitamq; ſuam ſicut nomine, ita & meritis teneant.* Ex qvo colligitur, presbyteros & diaconos raro admodum, & ferè non niſi infirmitate corporis afflictos cellulis ſuis inhæſiſſe, & maximam temporis partem in conclavi Epiſcopi peregiſſe, cæterùm refectorium ac dormitorium omnibus fuiſſe unum & commune, uti dicitur *in c. neceſſaria 12. q. 1.*

III. De clericis autem adoleſcentibus adhuc, & in minore ætate conſtitutis, in dicto Concilio Toletano IV. *can. 24.* tale decretum factum eſt: *Prona eſt omnis ætas ab adoleſcentiâ in*

in malum, nihil enim incertius, qvàm vita adoleſcentium. Ob hoc conſtituendum oportuit, ut ſi qvi in Clero puberes aut adoleſcentes exiſtunt, omnes in uno conclavi atrii commorentur, ut lubricæ ætatis annos non in luxuriâ ſed in diſciplinis Eccleſiaſticis agant, deputati probatiſſimo Seniori, qvem magiſtrum doctrinæ & teſtem vitæ habeant. -- Qvi autem his præceptis reſultaverint, monaſteriis deputentur, ut vagantes animi & ſuperbi ſeveriori regulâ diſtringantur. Legitur ap. Gratianum *d. cauſ. 12. q. 1. can. 1.* habuiſſe Clericos iſtos juniores cellas ſuas ſingulares, non auſim aſſerere, cùm diſtrictè jubeantur in uno conclavi commorari. Et hæc fuit diſciplina veterum, qvæ tamen commendata magis videtur tempore concilii hujus Toletani, qvod incidit in annum Chriſti DCXXXIII, qvàm uſu & praxi obſervata.

IV. Labente enim mox, poſtqvam auctæ eſſent facultates Eccleſiarum, diſciplinâ, cœpêrunt Clerici ſeorſim vivere & portiones ſingulorum deſiêrunt in beneficia, præbendisq; ſingulæ adſcriptæ fuêrunt circum Eccleſiam diſpoſitæ ædes, factumq; adeò, ut priſtina illa communio planè tolleretur & prorſus expiraret. Certa nihilominus pars redituum in commune relicta fuit, qvæ communis menſæ dicebatur, *c. 9. X. de conſtitut.* priſtinæ communionis imago, qvâ ſegniores excitari ſolebant ad officium & miniſterium ſuum, qvandoqvidem, qvæ menſæ communis erant, in diſtributiones qvotidianas iuſumebantur, illis erogari ſolitas, qvi actu officium ſuum explebant. Exemplum ejus rei inveniſſe ſe putat Antonius Dadinus Alteſerra *ad d. c. 9.* in hiſtoriâ Philippi Francorum Regis, à Rigordo editâ. Refert ille ſub anno MCLXXXIV, in tranſitu regii exercitûs per agrum Ambianenſem, ſegetem omnem pedibus eqvorum conculcatam & protritam atque conſumtam fuiſſe, camqve rem qvereIæ argumentum dediſſe Canonicis Ambianenſibus, qvod fructibus præbendarum ſuarum caruiſſent, qvodq; damnum datum reſtitui deberet ex communi meſſe. Sed enim perpetuum id jam olim fuit, ut Eccleſiaſtici reditûs in qvatuor partes dividerentur, & ex illis una in fabricam Eccleſiæ deſtinaretur. Et ex hâc ſine dubio ſumtum fuit, quicqvid communi Eccleſiæ nomine non ad reparationem tantùm, ſed & aliàs impendi oportuit. Potuit igitur ex iſtâ portione reſtitutio fieri Canonicis Ambianenſibus, nec neceſſe eſt, ut alia nova ſtatuatur facta, qvæ communis menſæ nomine inſigniretur, qvalem inter Ferrarienſes Canonicos factam refert Innocentius III. *d. c. 9.*

V. Faſtidita tamen patribus ſæpenumero fuit hæc præbendarum diviſio, atqve beneficiorum inſtitu-

tio, præſertim, ſi qvando ad priſtinos Eccleſiæ mores reſpectus haberetur. Auguſtinus ſanè revocare primævam iſtam communionem enixiſſimè conatus eſt, & dubitavit aliqvando, utrum Clericatus ſubſiſtere poſſet cum proprietate rerum, de qvâ re fidem faciunt, qvæ leguntur apud Gratianum *c. nolo, c. non dicatis & c. certè 12. q. 1.* Similiter & Gregorius Magnus Auguſtino Anglorum Epiſcopo, Clericorum Collegium inſtituturo, communionem ſvadet, ad exemplum prioris Eccleſiæ introducendam. *Qvia*, inqvit, *tua fraternitas monaſterii regulis erudita, ſeorſim non debet fieri à clericis ſuis in Eccleſiâ Anglorum, qvæ, auctore DEO, nuper ad fidem perducta eſt, hanc debet inſtituere converſationem, qvæ in initio fuit patribus noſtris in qvibus nullus eorum ex his, qvæ poſſidebat, proprium habebat, ſed omnia illis omnia communia, &c.* apud Gratian. *c. qvia, ead.* Ad priſtinos patrum mores provocat Pontifex, laudatqve eos, & in novâ Anglorum Eccleſiâ imitandos proponit, qvos ipſe in ſuâ Eccleſiâ nec potuit reſtituere, nec voluit fortè, ne & ipſe nihil habere cogeretur. Eandem communionem, qvanqvam non ſub eâdem latitudine, inter Canonicos obſervandam publicâ lege præcepit Karolus Magnus *lib. 5. capitul. 115. In omnibus, qvantum humana permittit fragilitas, decrevimus, ut Canonici Clerici canonicè vivant, obſervantes divinæ ſcripturæ doctrinam, & documenta ſanctorum patrum, & nihil ſine licentiâ Epiſcopi ſui vel Magiſtri eorum, compoſitè agere præſumant. In unoqvoq; Epiſcopatu ut ſimul manducent & dormiant, ubi his facultas id faciendi ſuppetit: vel qvi de rebus Eccleſiaſticis ſtipendia accipiunt, in ſuo Clauſtro maneant, & ſingulis diebus manè primo ad Lectionem veniant, & audiant qvid eis imperetur. Ad menſam verò ſimiliter lectionem audiant, & obedientiam ſecundum canones ſuis magiſtris exhibeant.*

VI. Qvæ inter univerſos Eccleſiæ primæ Chriſtianos placuerat communio, ingentes merebatur laudes. Multitudinis enim credentium tantam fuiſſe charitatem refert Apoſtolus *Act. IV, 32.* ut omnium cor eſſet unum, & anima una, nec qvisqvam eorum, qvæ poſſidebat, aliqvid ſuum eſſe diceret, ſed omnia illis eſſent communia. Et duravit qvidem iſta communio per aliqvot hominum ætates, qvippe qvam ſuo adhuc tempore, qvod in annum Chriſti CCXXX incidit, valdè commendat Tertullianus *apolog. cap. 39. Itaqve*, inqvit, *qvi animo animaqve miſcemur, nihil de rei communicatione dubitamus. Omnia indiſcreta ſunt apud nos, præter Uxores. In iſto loco conſortium ſolvimus, in qvo ſolo cæteri homines conſortium exercent, &c.* Similia inveniuntur in apologeticis ſcriptis,

ſcriptis Juſtini, Athenagoræ, Minutii Felicis & aliorum. Et rectè proinde ſcripſit Hieronymus *lib. de Script. Eccleſ.* talem primorum Chriſtianorum conventum fuiſſe, qvalem monachi imitentur & cupiant, ut nihil cujuſqve proprium ſit, nullus inter eos dives, nullus pauper, patrimonia egentibus dividant, orationibus vacent & pſalmis, &c.

VII. Defervescente verò charitate & creſcente numero fidelium, Laici primùm ab illâ vitâ communi receſſerunt. Et recedere ferè coacti fuérunt. Qvi enim ſocietatis civilis naturam exploratam habent, impoſſibile eſſe arbitrantur, ut talis communio in amplâ civitate conſiſtere diu poſſit. Diſputat eâ de re copiosè Ariſtoteles *lib. 2. pol. cap. 5.* Didicérunt etiam ex qvotidiano rerum & fori uſu JCti noſtri, materiam communionis excitare ſolere diſcordias *l. 77. §. 20. ff. de legat. 2.* & propter immenſas contentiones plerumq; res ad diviſionem pervenire *l. 26. ff. de S. P. U.* nec augeri debere difficultatem com̃unionis *l. 8. in fin. ff. de reb. eor. qvi ſub tut.* Et rectè obſervat Ariſtoteles *d. l.* com̃unionem omnem tacitè qvandam includere diviſionem, atq; iſtam diviſionem, ſi non fiat juſtâ proportione, tàm ratione laborum, qvàm ratione fruitionum, facilè oriri qverelas. Nam alter plus ſe laboraſſe dicet, minus accipere, & alium minus feciſſe, pluribus frui qveretur; qviſqve optimum ſibi petet, feces nemo volet. Vid. Mich. Piccart. *ad Ariſt. d. l.* Ant. Mornac. *ad d. l. 26. de S. P. U.* Neqve ei rei ex charitate Chriſtianâ aliqvod peti poterit remedium, cùm in peramplo cœtu vix fieri poſſit, ut non ſint aliqvi & fortaſſe haud pauci, qvi charitatem ſibi à Salvatore Chriſto imperatam prorſus negligant, & ſuas tantùm facultates adaugere intendant. Inſtitutum Eccleſiæ Hieroſolymitanæ *Act. II, 44.* extraordinarium eſſe pleriqve ſtatuunt, ſecuti Auguſtinum, qvi *lib. 3. de doctr. cap. 6.* id nullas gentium Eccleſias feciſſe teſtatur. Vid. Danhauer *in Colleg. Decalog. diſp. 17. §. 2.* Andr. Rivet. *ad Exod. c. 20. v. 15.* Fuiſſe tamen ſuo modo etiam alibi bonorum communionem inter Chriſtianos oſtendimus ſupra, qvanqvam illa fortè ad eundem perfectionis gradum perducta non fuerit, qvalem obtinuit Eccleſia Apoſtolica.

VIII. Poſtqvam verò Laicis placuiſſet diſcedere à communione hactenus freqventatâ, diutiùs nihilominus eam retinuérunt Clerici, non tamen ubiqve omnes. Fuérunt enim, qvi ſeorſim habitare atqve cum Uxoribus vivere maluérunt, atqve hinc etiam ſtipendia ſua ſeorſim accepérunt. Ita enim apud Gratianum *c. qvia 12. q. 1.* pergit Gregorius: *Si qvi verò ſunt Clerici extra ſacros ordines conſtituti, qvi ſe non poſſunt continere, ſortiri uxores debent, & ſtipendia ſua accipere exterius: qvia &*

de

de iiſdem partibus novimus ſcriptum, qvod dividebant prout cuiq; opus erat. De eorum qvoq; ſtipendio cogitandum, atqve providendum eſt, & ſub Eccleſiaſticâ regulâ ſunt tenendi, ut bonis moribus vivant, & canendis Pſalmis invigilent, & ab omnibus cor & lingvam illicitis & corpus DEO auctore conſervent, &c. Duo ſcil. ibi Gregorius facit genera Clericorum, unum eorum, qvibus in communione vivere placet, atqve circa illos nullam ait curam ſuſcipiendam eſſe de faciendis portionibus, qvandoqvidem omne qvod ſupereſt, ultra id ſcil. qvod neceſſitati & ſuſtentationi eorum impenditur, inter pauperes diſtribui & ad cauſas pias erogari debeat; alterum verò eorum, qvi extra communionem conjugati eſſe malint, & his certa ait deſtinari debere ſtipendia. Liberum ergò erat Clericis vel in communione vivere cum reliquis, vel ſeorſim habitare & extra conſortium reliqvorum. Plerisque tamen placuit ſeorſim inſtituta vitæ conditio, ita ut communio temporis ſucceſſu prorſus deſineret, nec qviſqvam ferè eſſet, qvi eam adprobaret. Vitio hominum id accidiſſe fatetur Jvo Carnotenſis *epiſt. 213.* Laudat ibi & veterum teſtimoniis comprobat introductam ab initio communionem. Deinde ſubjungit: *Qvod verò communis vita in omnibus Eccleſiis penè defecit, tam civilibus qvam diœceſanis, non auctoritati ſed deſvetudini & defectui adſcribendum eſt, refrigeſcente caritate, qvæ omnia vult habere communia, & regnante cupiditate, qvæ non qværit ea, qvæ Dei ſunt & proximi, ſed tantùm, qvæ ſunt propria, &c.*

IX. Cyprianus, qui adulto jam ſeculo tertio floruit, mentionem facit ſportularum inter Clericos Eccleſiæ ſuæ diſtributarum, & qvidem diviſione inæquali, prout cujuſqve officium meruerit. Aurelium & Celerinum Martyres atq; Confeſſores, qvod conſtantiam in fide ſufficienter probaſſent, in Clerum evehi dedere, atque jam Lectores à ſe conſtitutos eſſe, ſcribit *epiſt. 34.* Sed diſtributiones illis cum presbyteris feciſſe communes, atqve circa hanc perceptionem ultra Lectorum gradum illos extuliſſe. *Cæterùm*, inqvit, *presbyterii honorem deſignaſſe nos illis jam ſciatis, ut & ſportulis iiſdem cum presbyteris honorentur, & diviſiones menſurnas æqvatis qvantitatibus partiantur, ſeſſuri nobiſcum provectis & corroboratis annis ſuis.* In Eccleſiæ enim primordiis ex collationibus fidelium (nam modicam unuſqviſqve ſtipem menſtruâ die, vel cùm vellet, & ſi modo vellet, & ſi modo poſſet, adponebat, uti loquitur Tertullianus *apol. cap. 39.*) miniſtri Eccleſiæ alebantur, qvas Epiſcopus diſtribuebat, & qviſqve ex miniſtris juxta gradum qvo conſtitutus erat, menſtruam ſuam, aliquando

qvando etiam diurnam ſportulam accipiebat. Et ex hoc ſportulantes fratres dicti ſunt eidem Cypriano, *epiſt. 66. Qvæ nunc ratio & forma in Clero tenetur, ut qvi in Eccleſiâ Domini ordinatione clericâ promoventur, in nullo ab adminiſtratione divinâ avocentur, nec moleſtiis & negociis ſecularibus alligentur, ſed in honore ſportulantium fratrum tanqvam decimas ex fructibus accipientes ab altari & ſacrificiis non recedant, ſed die ac nocte cœleſtibus rebus & ſpiritualibus ſerviant.*

X. Ipſa hæc diſtributio ſportularum, qvod æqvalis non eſſet, ſed pro ratione officii & meritorum fieret, ſatis oſtendit, vulgarem illam communionem tantoperè à Scriptoribus qvibuſdam commendatam, qvâ unusquiſque pro lubitu, qvod ſibi placet, aufert, & in ſuos uſûs convertit, parum probatam fuiſſe inter Eccleſiæ Doctores. Etſi enim collationes à fidelibus factæ communes omnibus eſſent miniſtris Eccleſiæ; diſtributiones tamen deinceps ſecutæ unicuique partem ſuam, & quidem non pro lubitu cujuſque, ſed ex arbitrio Epiſcopi deſtinabant, perinde ut hodiè ex communi ærario ſtipendia ſingulis exſolvi & adnumerari ſolent, habitâ ratione officii & meritorum cujuſque. Id tamen ali- aliqvam facit differentiam, qvod ſtipendia hodiè plerumque certa ſint, cùm oblationes fidelium incertæ olim fuerint, & hinc etiam incertæ ſportulæ.

XI. Ex dictâ Cypriani *epiſtolâ 66.* & verbis adductis colligit Nicolaus Rigaltius, nullam tùm fuiſſe decimarum dandarum obligationem. *Nam decimæ*, inqvit, *jure qvidem Moſaico debebantur, minimè autem jure Chriſtiano. — Itaqve ab Apoſtolis ad uſqve Cypriani tempora nulla fuit inter Chriſtiana ſubſidia mentio decimarum. Uſitatæ aliqvandiu ſportulæ. Poſtea verò exoleſcente ſportularum honore, intravêre in Eccleſiam decimæ, religionis obtentu, ac primò qvidem ſpontaneâ liberalitate, qvaſi ſportulis haud ſufficientibus, oblatæ mox avarè & crudeliter exactæ.* Qvæ verba notari debent adverſus eos, qvi ſimplicem & abſolutam neceſſitatem decimarum urgent, eamqve ex jure naturæ provenire contendunt, uti facit Marcus Anton. de Dominis *de Rep. Eccleſ. lib. 9. c. 2.* Nicol. le Maiſtre *de bon. Eccleſ. part. 2. c. 1. & aliqvot ſeqq.* à qvibus diſſentiunt Martinus ab Azpilcueta Navarr. *tom. 1. tract. de reditib. Eccleſ. monit. 59.* Card. Bellarmin. *de cler. c. 25.* Didacus Covarruvias *lib. 1. reſol. cap. 17. n. 2.* Fernand. Vaſqvius *lib. 2. controv. cap. 89. n. 1.*

XII. Sententia noſtra hæc eſt, decimas qvoad qvotam, id eſt, præciſè ſumtas, prout nomen decimarum directè & propriè accipitur, non deberi jure naturæ, neque jure aliquo

diuino poſitivo Chriſtiános obligante; morale tamen & juris naturalis ac divini perpetui hoc eſſe, ut ſufficiens merces Miniſtris Eccleſiæ reddatur, ut honeſtè poſſint ſe & familias ſuas alere, cultuiqve divino & miniſterio atque officio ſuo ſine diſtractione vacare. Etſi igitur concedamus, generale fundamentum eſſe morale & perpetuum, quemadmodum perpetuum eſt, ut merces ſolvatur operario; negamus tamen, morale etiam hoc eſſe, aut fuiſſe unquam, ut decimæ ſolverentur ratione ſpecificationis, & ut talis & tanta merces in hâc vel illâ ſpecie redderetur. Principalis enim finis decimarum eſt ſuſtentatio miniſtrorum Eccleſiæ, qvi ſi aliunde ſalaria accipiant, uti quidem hodiè in civitatibus plerumque certa illis ſtipendia & emolumenta conſtitui ſolent, omitti prorſus poterit jus decimandi, cùm nihil interſit, decimarum præſtatione, an alio modo miniſtris Eccleſiæ ſuccurratur. Vid. Andr. Rivet. *in Geneſ. exercitat. 80.* Gisbert. Voet. *polit. Eccleſ. part. 1. lib. 4. tr. 3. c. 5.* Henr. Caniſius *de decimis c. 3. n. 7. ſeq.*

XIII. Nec movere nos poteſt ratio, quam urget Nicolaus le Maſtre *de bon. Eccl. part. 2. lib. 1. c. 7.* putans, decimas non dari intuitu laboris, ſed in recognitionem dominii, qvod Devs in omnes creaturas habet. *Animadvertendum eſt*, inquit, *decimas jus eſſe aliqvod ſacrum & divinum, qvod ſacerdotibus penditur, non ratione operæ alicujus aut laboris in regendo aut continendo populo exantlati, ſed ratione loci graduſve ſui, qvia nempe in terris vice DEI funguntur, ejuſqve qvodammodo perſonam ſuſtinent. Unde licet Sacerdotes nec myſteriis occuparentur, nec populum ſacris doctrinis imbuerent, puta ſi prima illa majorum noſtrorum innocentia reſurgeret, qvam Adam ſuo ſcelere perdidit, adhuc in eo ordine ſtatuqve rerum Sacerdotibus dari decimas oporteret. Sunt enim obſeqvii noſtri ergà DEUM monimenta, ſunt reditûs cenſuſqve eidem debiti, qvatenus ſummo arbitratu mundum temperat, & ſupremâ in res omnes auctoritate dominatur.*

XIV. At enim principium petunt, qvi ſupponunt, Devm ſibi reſervaſſe decimas perpetuò ſolvendas, & jus illud nunqvam remiſiſſe. Aliá utiqve fuit ratio terræ Canaan, alia reliquarum in Orbe poſſeſſionum. In terrâ Cananæâ inter alias rationes, cur à Deo imperarentur decimæ, una & præcipua hæc fuit, ut undecim tribuum contributione inveniretur & prodiret duodecimæ tribus Leviticæ portio, qvæ alioquin exſors erat. Et qvia adeò politia iſta Judaica ampliùs non ſubſiſtit, & præceptum ſpecificationis decimarum juris vel ceremonialis fuit vel politici, vel uti nonnulli volunt, ex utroque mixti, nec legibus

bus illis amplius tenentur Chriſtiani, facilè hinc patet, nec naturali nec divino juri repugnare, qui alio modo, quam per decimarum ſolutionem neceſſitatibus Clericorum ſubveniunt. Accedit, quod extra mandatum divinum fruſtra fingatur, in recognitionem dominii divini dari aliqvid debere, cùm recognitio talis ideò fieri debeat, ne dominium ipſum intervertatur aliqvando & omninò negetur, quod de dominio divino fruſtra aſſeritur. Quod ſi mandatum divinum eâ de re extet, uti extitit in V. T. & cum eo ceſſavit, aliis id rationibus ſubnixum fuit, quàm retentione aut reſervatione dominii ſuperioris.

XV. Nec eſt ergò ut multum ſolliciti ſimus de quæſtione inter Canoniſtas valdè vulgari, utrum conſvetudine minui aut prorſus tolli queant decimæ? Putant nonnulli, diſtinctione rem expediendam eſſe, ut quota decimarũ prædialium & animaliũ tanquam juris divini nullâ conſvetudine diminui poſſit, poſſit autem quota decimarum perſonalium, utpote juris poſitivi. Et hanc diſtinctionem poſt alios maximè probat Michael Ferro Manrrique *qvæſtion. 151. n. 57.* Sed præterquam, quod multa ſint, quæ adverſus diſtinctionem iſtam decimarum moveri poſſent, quam abſonam propterea vocat Antonius Dadinus Alteſerra *ad c. 32. in fin. X. de decim.* & ubique ferè in deſvetudinem abierint decimæ perſonales, uti ſcribit Paulus Laymannus, *Theol. moral. lib. 4. tr. 6. c. 1. n. 4.* ipſum etiam fundamentum deciſionis, quod nempe prædiales decimæ juris divini ſint, per ea, quæ ſupra diximus, prorſus corruit. Proinde rectè ſtatuit Ferdinandus Vaſquius *d. l. n. 8.* tàm prædiales, quàm perſonales decimas poſſe non ſolùm minui ſed etiam ex toto tolli. Si enim aliunde & per alia ſubſidia proſpectum eſt miniſtris Eccleſiæ, qvibus honeſtè cum familiâ ſuſtentari qveant, ceſſare atqve omitti omninò poterit decimatio fructuum. Fieri hinc ſolet, ut nihilominus decima dicatur, qvæ vel octava, vel viceſima, triceſima aut qvadrageſima pars eſt, qvæ loco decimæ præſtatur ex conſvetudine. Ant. Fab. *Cod. lib. 1. tit. 3. def. 21. n. 3.* Joh. Azorius *Inſtit. moral. lib. 7. cap. 23. verſ. cæterùm contra.*

XVI. Puto tamen, etiam ſub novo teſtamento, qvo tempore primùm dari cœpérunt decimæ, (dari autem cœpérunt forte ſub finem ſeculi tertii,) decimam præciſè partem Clericis dicatam fuiſſe. Cùm enim Chriſtiani ab initio omnem ſuam ſubſtantiam, omneſque facultates in uſûs communes verterint, faciliùs deinde potuérunt Succeſſores, fervente

adhuc pietate, decimam ex illis miniſterio tribuere Eccleſiaſtico. Nec neceſſe eſt tamen, ut decimam iſtam ex ſimplici qvâdam neceſſitate ſeparari debuiſſe ſtatuamus, cùm credibile haud ſit, voluiſſe Chriſtianos à Lege Moſaicâ liberatos, Legis iſtius onus denuò ſubire, & noviter in Judaiſmum prolabi. Eſt enimverò decima hæc portio talis, qvam ex facultatibus ſuis decerpi patietur unusqviſque faciliùs, qvàm partem aliquam majorem. Et fuérunt etiam inter gentiles, qvi diis ſuis & Sacerdotibus decimam deſtinárunt, qvique charitati hoc convenire atque æqvum eſſe credidérunt, ut parte redituum juvarent alios.

XVII. Seqventibus temporibus multifariam affectæ fuérunt decimæ, ſive ex pravo Chriſtianorum affectu & uſu, ſive ex ipſorum Sacerdotum ad nimios earum proventûs faſtidientium inſtituto. Variæ inde hinc natæ ſunt qvæſtiones de decimarum conceſſionibus arbitrariis, infeudationibus, quæ Laicis factæ erant, appropriationibus, exemtionibus, ablationibus, modis decimandi & olim & nunc uſitatis, aliiſqve variis affectionibus, tam ab ordine Eccleſiaſtico, quàm à Laico introductis, qvæ cum ſententiâ illâ de decimis jure divino univerſali aut morali introductis non magis ſtare poſſunt, quàm adulteria, furta, homicidia in Rep. impune permiſſa, cùm doctrinâ, quod jure divino & morali facinora iſta prohibita ſint. Sic etiam diſputatur de poteſtate Pontificis circa decimas, utrum tollere eas poſſit omninò, aut remittere tantùm, uti diſtingvit Franciſcus Papafava JCtus Patavinus, *in conſil. de monte piet. num. 44.* Multæ aliæ ſubinde occurrunt controverſiæ, quas ex variis principiis excogitavit, & ex praxi ſibi natas definire ſuſtinuit humanum ingenium, ſed quas hoc loco examinare & prolixum nimis foret, & extra noſtrum inſtitutum.

XVIII. Lubet per ſaturam addere veteris inſtrumenti exemplum, quis modus circa decimas ſervari debuerit in Eccleſiis Magdeburgenſibus, qui tamen utrum præſcribi ita ex ſolâ Canonicorum conventione, non auditis illis, qui decimas ſolvere debuérunt, potuerit, aliis diſcutiendum relinquo. *Wilbrandus, DEI gratiâ, ſanctæ Magdeburgenſis Eccleſiæ Archiepiſcopus omnibus præſentem paginam inſpecturis ſalutem in Chriſto. Qvotiescunqve propter ſubditorum noſtrorum qvæſtiones decidendas & cauſas in Concilio noſtro vel Synodo ſententiæ generales eduntur propter utilitatem tàm præſentium, qvàm etiam futurorum, etiam neceſſarium eſt valdè, qvod illæ diligentiùs*

conſcribantur, qvatenus inſtrumentorum teſtimoniis inpoſterum expediri valeant ignorantes. Sanè qvoniam apud diverſos decimarum dandarum & recipiendarum modus eſt & conſvetudo diverſa, uno modo qvibusdam, aliis alio modo dicentibus illas dari debere, ſancti Nicolai civitatis noſtræ Canonici edi ſibi ſententiam generalem in Synodo petivérunt, qvaliter decimæ jure præſtari deberent. Hanc ſententiam Dominus Henricus Havelbergenſis Epiſcopus reqviſitus à nobis protulit eo modo. Qvod tùm decimatoris teſtimonio decimus manipulus dandus eſſet. Huic ſententiæ fuit conſenſum & ab omnibus acclamatum. Poſtea petivérunt ſententiam iidem Canonici, qvaliter decimus manipulus eſſet eſſet dandus. Illam ſententiam præpoſitus Ropertus qvæſitus à nobis pronunciavit, hoc modo, qvod Colonus nec cumulare, nec inducere ſuam deberet annonam, niſi priùs ſub teſtimonio decimatoris decimum manipulum præſtitiſſet. Et ſimiliter univerſi eidem ſententiæ conſenſérunt. Verum Dominus Fridericus de Care nihil immutans, ſed qvædam his ſententiis adjiciens fatebatur, qvod patrum ſuorum temporibus revera ſecundum ſententias Domini Havelbergenſis, & præpoſi Roperti decimus manipulus dari conſveverit, ſed ſi temporis pluvialis periculum imminebat, Colonus benè poterat cum teſtimonio manipulos comportare tunc decimatori decimum ſcotum daturus. Deinde qvæſiverunt Canonici prænotati, qvaliter ſine præjudicio Domini decimæ colonus pabulare deberet. Hanc ſententiam plebanus S. Ambroſii Giſilbertus hoc modo dictavit, qvod ad longitudinem unius aratri juxta iter poſſet licitè pabulari. Sed & in hanc ſententiam omnes unanimiter concordabant. Et qvoniam omnibus his ſententiis Dominus Conradus Miſnenſis & prædictus Dominus Henricus Havelbergenſis Epiſcopi & qvidam provinciæ noſtræ prælati nec non univerſi diœceſis noſtræ prælati peritiqve plebani intererant, & ſuos adhibuérunt conſenſus, eas in nomine Domini confirmamus ſub excommunicatione diſtrictè mandantes, ut ab omnibus in perpetuum inviolatè ſerventur, & qvod nullus unqvam facere contra ipſas aut venire præſumat. Inſuper & ſententiæ ſupradictæ roboris firmioris ſortiantur effectum, nos editiones & approbationes illarum plenè conſcribi fecimus, & conſcriptas ſigilli noſtri munimine roborari. Actum Magdeburg anno gratiæ M CC XLVI. tertio idus Junii, Pontificatus noſtri anno undecimo.

XIX. Ex his decimis, uti ex aliis Eccleſiæ reditibus omnibus, qvarta olim pars, aut etiam tertia, prout in Eccleſiis Hiſpanicis receptum erat, ſuſtentationi & alimentis Clericorum deſtinabatur, qvod prolixiùs expoſui *in diatrib. de dot. Eccleſ. cap. 11.* Et ex hoc putat Cardinalis Cajetanus

tanus *in 2. 2. qvæſt. 87. art. 1. & qvæſt. 185. art. 7.* novam iſtam Eccleſiæ legem de dandis decimis juſtitiam hinc præ ſe ferre, qvod pro congruâ miniſtrorum ſuſtentatione & pro pauperibus alendis dari debeant. Hoc tamen juſtitiæ argumentum maximè controverſam deinceps peperit qvæſtionem: Utrum Clerici ex reditibus illis, qvæ neceſſaria ſibi ad congruam ſuſtentationem non ſunt, vertere & erogare poſſit in uſûs alios, an verò pauperibus dare ea præciſè teneatur? præſertim cùm pauperes perpetuò qvaſi in communione ſtent cum miniſtris Eccleſiæ in ejusmodi proventibus & reditibus. Sed ne longiùs evagemur, nolumus nunc eam examinare, & qvæ hinc inde proferuntur argumenta, diſcutere. Videri eâ de re poterit Didacus Covarruvias *tom. 1. ad c. 7. X. de teſtam.*

XX. *Qvoniam verò primitivæ Eccleſiæ facies* (ſunt verba Concilii Colonienſis anno MDXXXVI celebrati, *cap. 2.*) *qvod ad inſtitutionem miniſtrorum attinet, paulatim immutata fuit, nimirum dotatis templis, ſacerdotiisqve ac certis ſtipendiis miniſtrantibus conſtitutis: viſum ſubinde ſanctis patribus non abſqve multâ ratione fuit, ne qvisqvam ſine certo titulo, qvi illi victum neceſſarium ſuppeditaret, ad majores, qvos & ſacros ordines vocamus, ordinaretur.* Verba hæc propter tituli ambiguitatem explicationem exigunt. Olim enim, ſi qva Eccleſia paſtore ſuo orbata eſſet, ordinabatur in defuncti locum alius, qvi ab Eccleſiâ illâ, cui præficiebatur, titulum ſacerdotii ſui accipiebat. Cùm verò deinceps ex donationibus tùm Imperatorum, tùm aliorum, qvi pietatem hîc ſuam exerceri cupiebant, in immenſum augerentur Eccleſiarum facultates, & privilegia inſuper atqve immunitates perſonis Eccleſiaſticis largiſſimè conceſſa eſſent, factum eſt inde, ut multi nullâ urgente neceſſitate, nullaqve Eccleſiâ vacante presbyteros ſe aut Diaconos ordinari adpeterent, ut vel opimis Eccleſiæ reditibus, vel privilegiis & immunitatibus frui liceret. Id verò deinceps prohibuit Synodus Calchedonenſis *c. 6.* voluitqve, neminem abſolutè amplius ordinari, nec presbyterum, nec diaconum, nec qvemlibet omninò eorum, qvi ſunt in ordine Eccleſiaſtico, niſi ſpecialiter in Eccleſiâ civitatis, aut vici, aut martyrio, vel monaſterio, is qvi ordinandus eſt, prædicetur. Et hoc tùm temporis erat ordinari cum titulo, cùm indignum eſſet, ordinari aliqvem, cui locum nullum aſſignes, ubi munus ſuum exerceat. Itaqve titulum rectè interpretabimur functionem & locum certum in Eccleſiæ miniſterio.

XXI. Seqvioribus autem temporibus titulus olim officio munerisqve

qve ſignificativus ad annuum proventum & reditum referri cœpit, & tunc excluſo penè ſacro officio, exorta ſunt beneficia, uti vocantur. Poſtqvam enim diviſi fuérunt reditûs Eccleſiaſtici, & ipſa aliqvando ex donationibus acqviſita prædia, ſingulisqve miniſtris ſingulæ aſſignatæ fuérunt præbendæ, natus inde eſt potiſſimum iſte abuſus, ut utile illud temporale, qvod olim conſecutivum erat & acceſſorium officii Eccleſiaſtici, inductâ tali proprietate haberetur pro præcipuo & principali, & beneficium à beneficio non ordo amplius, aut munus & officium diſcerneret, ſed temporalis qvæſtus, copia aut inopia, Canonicumqve faceret non officium, ut olim, ſed præbenda. Inde factum porrò, ut titulus bona illa Clerico cuiqve ſingulariter deſtinata denotaret, uti ita accipitur *i. F. 6.* Vid. Hottomann. *de verb. feud. voc. tituli.* Et ſic coincidit ferè titulus cum beneficio, qvatenus beneficium maximam partem ex reditu cenſetur. Qvâ de re videri ulterius poterunt, qvi non tractatûs tantùm, ſed integra etiam volumina de beneficiis edidérunt. Plura enim in rem præſentem colligere nihil nunc attinet.

XXII. Qvæ diximus hactenus, ſufficienter oſtendunt vitæ rationem, qvam inter Clericos reliqvos ſecuti fuérunt Diaconi. Cùm enim de alimentis & victu qvotidiano prima & præcipua omnium hominum ſit cura, abundè expoſuimus, qvaliter à primis Eccleſiæ annis proſpectum miniſterio Eccleſiaſtico fuerit. Nec negari tamen poteſt, eo tempore, qvo communio adhuc viguit, patientiam, charitatem, miſericordiam & reliqvas Chriſtianas virtutes, Clericorum qvaſi proprias & eximiè cultas ab eis fuiſſe; ſed valdè deferbuiſſe poſtea, ſimulatqve beneficia iſta, de qvibus dixi, inſtituta fuérunt. Dum enim non tàm officio ſuo defungi, qvàm præbendã conſervare & augere ſtudebat unusqvisqve, fieri vix potuit, ut non graves ſubinde exorirentur lites atqve contentiones, qvas non ex vulgaribus juris conſtituti libris, ſed novo proceſſu ex ſingularibus eam in rem ſcriptis deciſionibus componere aut definire oportuit. Separatio namqve iſta & diſcretio ordinationis ab Eccleſiæ ſeu beneficii collatione & pingviſſimorum redituum copia novas in jus Canonicum regulas invexit antiqvo juri prorſus incognitas, de beneficiis acqvirendis, conſervandis & amittendis, qvæ ferè utramqve novi juris paginam faciunt.

XXIII. Hâc ratione qvando de alimentis nulla Clericos afficere poterat ſolicitudo, facile eis fuit officio ſuo defungi, vel ſacris dando operam literis, vel docendo, vel cultum divinum promovendo, vel opera charitatis exercendo. In his talibus

enim

enim vita Clericorum ab initio naſcentis Eccleſiæ qvam maximè occupata eſſe debuit, & adhuc eſt, aut eſſe debet. Interim tamen nemo prohibetur artem, qvam antehac didicit, exercere, vel temporis fallendi cauſâ, & ut ignavum atqve inutile otium evitetur, vel ut neceſſitati ſubveniatur, ſi de ſtipendiis forte non ſatis proſpectum fuerit. dum tamen ne turpe ſit illud artificium, aut perſonæ Eccleſiaſticæ minus decorum, & officiis Eccleſiaſticis deſtinata tribuantur tempora. Paulum Apoſtolum opificio manuum ſuarum, cùm locus & tempus id permitteret, victum ſibi qvæſiviſſe, conſtat ex *Act. XVIII,3. c. XX,34. 1. Cor. IV,12. c. IX,25. 1. Theſſ. II,9. 2. Theſſ. III,8.* Cæteros Apoſtolos idem feciſſe, dubium non eſt, crediqve id poteſt PſeudoClementi ex Apoſtolorum perſonis aſſerenti *lib. 2. conſtit. 67.* Cumqve exeunte ſeculo qvarto apud Carthaginem monaſteria eſſe cœpiſſent, in qvibus hæc invaluerat doctrina, turpe eſſe perſonis Eccleſiaſticis aliqvid operari, unde neceſſaria vel haberent vel ſupplerent, ſed debere eas tantùm ex oblationibus fidelium vivere & in DEI providentiâ confidere, uti refert Auguſtinus *lib. 2. retract. c. 21.* in Concilio Carthaginienſi IV, *c. 51. 52. 53.* hæc edita fuérunt decreta: *Clericus qvantumlibet verbi DEI eruditus artificio victum qværat. Clericus victum & veſtimentum ſibi artificiolo vel agriculturâ absqve officii ſui detrimento, paret. Omnes Clerici, qvi ad operandum validiores ſunt, & artificiola & literas diſcant.* Referuntur â Gratiano *diſt. 91. c. 2. & 3.* Videri ad iſtud concilium poterit Severinus Binius & Claudius Eſpencæus *lib. 2. digreſſ. cap. 16.* itemqve Card. Baronius *ad ann. LII. n. 15. ſeqq.*

XXIV. Qvandoqvidem autem non niſi ex honeſto aliqvo artificio qvæſtus Clericis permiſſus eſt, haud fruſtra diſceptatur, qvid honeſti artificii nomine veniat. Canoniſtæ pleriqve negativè hîc procedunt, & qvid non liceat, explicare malunt, qvàm qvid liceat. In illis enim, qvæ licita dicunt, admodum parci ſunt, & permiſſionem ſuam ad rem tantum Oeconomicam atqve agriculturam reſtringunt. *Clericis,* inqvit Auguſtinus Barboſa *ad d. c. 3. diſt. 91. per ſacros canones permiſſum eſt, opem ruſticalia exercere, caniſtra viminibus texere, humum ligonibus exhaurire, hortenſes areolas dividere, plantas ordinatim diſponere, ſurculos inſerere, apum alvearea cavatis corticibus conſuere, vineas amputare, domos reficere, retia piſcandis piſcibus conſtruere, & his ſimilia.* Qvod de domibus reficiendis & vineis amputandis hîc dixit, id reſtringit idem Barboſa *ad c. 1. X. de celebrat. miſſ. n. 15.* ad proprias vineas & domos. At profectè ex pleriſqve his artificiis, ſi præſertim

tim in propriis agris & hortis exerceri debent, nihil omninò ſibi comparare poterit Clericus, niſi ponas, ex fructibus inde ſperatis & venditis emolumentum expectari. Tùm verò ſatius fuerit compendium verborum facere & Clerico permittere, ut fructûs ſibi ex prædio ſuo natos vendere liceat, qvippe ex qvibus proximè lucrum aliqvod provenit, qvàm ſtatuere, licere ei vineas amputare & agros colere, cùm nec interſit, cujus manibus id fiat, dummodo fructûs Clerico acqvirantur. Fieri tamen poteſt, ut Clericus talia faciens non intendat fructus vendere, vel ex ſuo labore qvæſtum facere, ſed vel ſuæ tantùm neceſſitati proſpicere, vel otium declinare. Qvo caſu tamen valdè coërcetur artificii uſus & exercitium.

XXV. Longiùs alii procedunt, & per honeſta artificia ea qvoqve intelligi volunt, qvibus rei emptæ alia inducitur forma, e.g. ſi emat Clericus vimina, & faciat caniſtra, vel emat chartas, ut ſcribat libros: vel emat lignum, ut faciat domum: vel emat filum, ut faciat retia, corium, ut faciat ſotularia. E contrario ad inhoneſta artificia referunt ea, qvæ ſordida qvodammodo ſunt, & Eccleſiæ miniſtros dedecent, ut ſunt cerdonum & pellionum opificia. Guil. Redoan. *de ſpol. Eccleſ. quæſt. 2. n. 37. & 42.* Nec auſim tamen reprehendere etiam in his artibus occupatum Clericum, ſi qvidem tantum ex munere Eccleſiaſtico non ſuppetat, ut congrua inde habere qveat alimenta. Qvemadmodum nec reprehendi potuit Spiridion, in Cypro Epiſcopus, qvod ovium paſtor, etiam dum Epiſcopatum ſuſcepiſſet, manſerit, uti de eo teſtatur Sozomenus *lib. 1. cap. 11.* Nicephorus *lib. 8. c. 42.* Qvos autem ad manuum laborem nulla cogit neceſſitas, ſed vel patrimonio, vel miniſterio Eccleſiaſtico utcunqve abundant, non eſt, cur ad ſtivam, aut limam, ad malleum, aut dolabram, ad agriculturam aut rem hortenſem, ad manuarias artes aut opificia amandari vel ipſi ſe malint, vel ablegare alios intendant.

XXVI. Videamus tamen per aliqvalem enumerationem qvarundam artium, qvibus Clericum dehoneſtari putant Canoniſtæ. Et qvidem generalem hanc præmittunt regulam ex *2. Tim. II, 4.* miniſtrum Eccleſiæ implicari non debere negociis ſecularibus. Sed enim de explicatione ejus dicti in Concilio Tridentino non una omnium fuit ſententia referente Petro Svavis, *in hiſt. ejus concil. lib. 6.* Epiſcopus enim Adjacenſis Johannes Baptiſta de Bernardis ex iſto Pauli dicto acriter perſtrinxit receptos mores, qvod Epiſcopi in aulis Principum degentes ſecularibus negociis adminiſtrandis impliciti tenerentur, judi-

cum, Cancellariorum, Secretariorum, Conſiliariorum & Qvæſtorum munia obeuntes, adeò ut vix ferè munus aliqvod publicum reperiatur, in qvod Epiſcopus aliqvis adlectus non fuerit. Huic verò ſtante pede contradixit Cæſaris Orator Epiſcopus Qvinqvecclesienſis, injurium id ratus tùm in Principes tùm in Epiſcopos, qvi ab anno octingenteſimo ad hunc usqve diem eâ conſvetudine uſi fuerint: ſententiam Pauli non ad Eccleſiaſticos tantùm, ſed ad omnes Chriſti fideles pertinere, hoc ſenſu: ſicuti qvi militiam exercet mundanam, non eſt addictus iis artibus, qvibus vita ſuſtinetur, qvia pugnant cum militis officio, ita qvi militant Chriſto, h. e. Chriſtianos omnes abſtinere debere ab iis exercitiis, qvæ cum Chriſtianâ profeſſione pugnant, nempe ſolis peccatis. Et hæc explicatio tùm temporis communi omnium Præſulum applauſu fuit accepta, qvod ſcil. ad vitam aulicam propenſiores eſſent, qvàm ad reſidentiam, ut vocant, Eccleſiaſticam.

XXVII. Severiorem tamen ipſis illis temporibus, qvibus Tridentinum Concilium habitum fuit, & priſtinis moribus addictiorem ſe præbuit Claudius Eſpencæus Theologus Pariſienſis *in commentar. ad dictum Pauli locum: Qvid dicturi*, inqvit, *boni Patres, qvi bujus & ſimilium locorum occaſione ſacris hominibus adeò profanis negociis interdixerunt, ut & inde titulum fecerint: ne Clerici vel monachi ſecularibus negociis ſe immiſceant, qvid, inqvam dicerent, ſi viderent hodiernos Reverendos & Sanctiſſimos in domibus Regum eſſe, ab aulis & palatiis non diſcedere, principum non pacificis modo legationibus fungi, verùm etiam in bellis eſſe legatos, fiſcorum promos & condos, nec verò interverſores, nam & ad mandras & epiſcopas, ne dicam galeros, nulla in hoc regno via hactenus expeditior, qvàm litium ſecularium inſtitoria, nedum judiciaria ut qvam hodiè nunqvam magis qverimoniæ illi locus fuerit, &c.* Etſi igitur negari ſimpliciter neqveat, ad qvemvis pium & fidelem tanqvam ſpiritualem Chriſti militem, trahi Apoſtolicam iſtam prohibitionem poſſe; qvia tamen idem Apoſtolus ſpeciali qvâdam ſignificatione Timotheum Epiſcopum vocat Chriſti militem, *v. 3.* ideò in ſpecie & ſenſu qvodam præcipuo ad miniſtros Eccleſiæ hæc prohibitio ſpectat, uti etiam in ſpecie ad Epiſcopos, Presbyteros & Diaconos dictum hoc Pauli applicavit Eccleſia Africana in codice canonum, qvem edidit Chriſtophorus Juſtellus, *can. 16.*

XXVIII. Qvia verò non omnis cura ſecularis à Clerico aliena eſt, cùm ipſe etiam Paulus reprehendi aliàs potuiſſet, qvod ex artificio ſuo victum ſibi qværere non deſtitiſſet, &

& ſupra diximus, debere Clericum in defectum alimentorum, artem exercere, qvam didicit olim, idcircò rectè dicit Eſpencæus *d. l.* ea tantùm negocia prohiberi, qvibus animi implicatur intentio. *Aliud eſt*, inqvit, *corpore laborare, animo libero, ut poteſt opifex, modo nefraudulentus, avarus, privatæ rei avidus: aliud animum occupare curis colligendæ ſine corporis labore pecuniæ, ut negotiatores, procuratores, conductores: curæ enim præſunt, non manibus operantur, ideò animum occupant habendi ſollicitudine, &c.* Si eo modo Paulus artificium ſuum tractaſſet, non caruiſſet reprehenſione, nec laude eâ dignus eſſet, qvam expectavit ex eo, qvod auditoribus ſuis oneri non fuiſſet, *1. Theſſ. II, 9.* Nec ulla profectò miniſtrum Eccleſiæ magis dedecet cura, qvàm ea, qvæ de rebus temporalibus & augendis facultatibus ſuſcipitur, qvæqve nullis unqvam proventibus & reditibus, qvantumvis haud exiguis, expletur.

XXIX. Sed redimus ad Canoniſtas, ut ab eis diſcamus, qvæ ſint negocia illa ſecularia dedecentia ſacras perſonas. Hîc verò non minùs illis aqva hæret, atqve in explicandis qvæſtibus ſordidis, qvos à Clericis ſimiliter remotos eſſe cupiunt. In Concilio Moguntino I, qvod anno Domini DCCCXLVII, habitum fuit, *cap. 13.* qvaſi per indicem ſeqventia hæc recenſentur: *Multa ſunt negocia ſecularia, de qvibus tamen pauca perſtrinximus: ad qvæ pertinet omnis libido, non ſolùm immunditia carnis, ſed etiam in omni carnali concupiſcentia, qvicqvid plus juſto appetit homo, turpe lucrum, munera injuſta accipere, vel etiam dare pro aliqvo ſeculari, cum qvæſtu pretio aliqvem conducere; contentiones & lites vel rixas amare, in placitis ſecularibus diſputare, exceptâ defenſione orphanorum aut viduarum: conductores aut procuratores eſſe ſecularium rerum, turpis verbi vel facti joculatorem eſſe, vel jocum ſecularem diligere, aleas amare, ornamentum inconveniens propoſito ſuo qværere, in delitiis vivere velle, gulam & ebrietatem ſeqvi, pondere injuſta vel menſuras habere, negocium injuſtum exercere, --- canes & aves ſeqvi ad venandum, in commeſſationibus & vinolentiis nimis incumbere, ſuperfluitatem in qvibuslibet rebus nolle fugere. Qvæ omnia miniſtris altaris interdicimus hortantes eos ſervare illud Apoſtolicum: Nemo militans DEO, implicat ſe negociis ſecularibus, &c.* Refertur in Decretalibus Gregorii IX, *c. 1. X. ne Clerici vel monachi, &c.* Pleraqve iſta, qvæ hîc recenſentur, talia ſunt, ut non Eccleſiaſticas tantùm perſonas, ſed omnes etiam Chriſtianos dedeceant. At nobis inprimis cura eſt de illis, qvæ Clericos tantùm dedecent, non Chriſtianos reliqvos qvippe, qvæ

ſpecialiter ab Apoſtolo videntur prohibita. Eſt enim qvod omnino generaliter omnibus non licet: eſt item, qvod aliis licet, & aliis non licet: & eſt, qvod aliqvando licet, & aliqvando non licet. uti ait Hilarius Diaconus Romanus, Autor qvæſtionum Veteris & novi Teſt. Auguſtino vulgò ſed falſò adſcriptarum, *c. 127*.

XXX. Aliam deſcriptionem, ſed generalem nimis & parum ſufficientem proponit ὑποβολιμαῖος Melchiades, cujus fragmentum recenſet Gratianus *diſt. 88. c. 1.* Verba integra *ex ejus epiſtolâ de primitiv. Eccleſ. & munif. Conſtantini*, ita habent: *Qvæ autem ſint negocia ſecularia, ſancti Canones manifeſtant & inhibent, dum perſpicuè docent: Qvod qvidam, qvi in Clero videntur electi propter lucra turpia conductores alienarum poſſeſſionum fiant, & ſecularia negocia ſub curâ ſuâ recipiant, Domini qvidem miniſterium parvi pendentes, per ſecularium verò domos diſcurrentes, & propter avaritiam patrimoniorum ſollicitudinem ſumentes. Decrevit namqve ſupra dicta ſancta ſynodus, nullum deinceps Clericum aut poſſeſſiones conducere aut negociis ſecularibus ſe miſcere, niſi propter curam pupillorum & orphanorum ac viduarum, aut ſi fortè Epiſcopus civitatis Eccleſiaſticarum rerum ſollicitudinem habere præcipiat.* Nicænæ Synodo decretum iſtud adſcribit Pſeudo Melchiades, qvod tamen uno omnium conſenſu poſt Melchiadis obitum habitum fuit. Sed & ipſe totus contextus in Chalcedonenſi demum concilio, qvod longè poſterius eſt, conſtructus invenitur, totidemqve verbis legitur, canone ejus concilii ſecundo. Ipſa verò negociorum ſecularium deſcriptio admodum imperfecta eſt, neqve explere deſideria avidi Lectoris poteſt. Nec videtur talis aliqva dari poſſe, qvæ infinitum negociorum iſtorum numerum comprehendere, & qvaſi in tabulâ eorum qvalitatem exponere qveat. Qvotidiè novæ naſcuntur figuræ, & nunqvam antea viſæ ſpecies, qvæ omnem etiam accuratiſſimi Dialectici induſtriam ſuperant atqve eludunt. Contingitqve hìc idem, qvod legislatoribus, qvia leges ita ſcribi non poſſunt, ut omnes caſus, qvi qvandoque inciderint, comprehendantur, ſed ſufficit ea, quæ plerumque accidunt, contineri, notante Juliano *in l. 10. ff. de legib.* Ut igitur in hoc genere aliquid proficiamus, videnda erunt in ſpecie aliqua artificia, inter ſeculares nullo dedecore affecta, ſed perſonis Eccleſiaſticis parum honeſta, & ſtatui Clericali minùs convenientia. Quorum exemplo de aliis ſimilibus idem deinceps fieri poterit judicium.

XXXI. Præcipua omnium tractatio eſt de negociatione, utrum & quatenus ea perſonis Eccleſiaſticis permitti debeat. Juris Canonici placita ſi conſu-

conſulas, ſeverè eam interdictam invenies, *c. conſeqvens*, *c. negociatorem*, *cum qvatuor ſeqq. diſt. 88. c. 6. X. ne Cler. vel monachi ſec. neg. c. clerici & c. canonum 14. q. 14.* qvibus in locis non amiſſio tantùm privilegiorum Clericalium, per qvæ aliàs vectigalium præſtationi Clerici propter res ſuas obnoxii non ſunt, *c. 4. de cenſib. in 6.* Sed etiam remotio ab officio, & ipſa denique excommunicationis pœna decernitur. In Concilio Eliberino anno Chriſti CCCV ſtatutum fuit, *ne Epiſcopi presbyteri, & diaconi de locis ſuis negociandi cauſâ diſcedant, nec circumeuntes provincias, qvæſtuoſas ſectentur nundinas.* Et in Concilio Aurelianenſi III anno DXL, *Ne in exercendis negociis turpis lucri cupiditate verſentur, ſicut publici negotiatores, qvi ad populares penſam obſervant.* Alia plura ſummo ſtudio collegit Renatus à Valle in perqvam erudito opuſculo, qvod inſcripſit Hipparchum, *de religioſo negociatore §. 3. num. 30. ſeqq.*

XXXII. In jure civili & legibus Imperatorum nulla talis prohibitio extat, niſi, qvod anno CCCCLII à Valentiniano III *novellâ 12.* conſtitutum fuit: *Jubemus, ut Clerici nihil prorſus negociationis exerceant. Si velint negotiari, ſciant, ſe judicibus ſubditos Clericorum privilegio non muniri.* Sed iſta novella Corpori juris à Juſtiniano Imperatore collecto inſerta non eſt. Ante iſta tempora negociationem aliqvam Clericis permiſſam fuiſſe, argumento ſunt tot conſtitutiones, qvæ de immunitatibus Clericorum negociantium in Codice Theodoſiano adhuc extant, qvæ ipſæ tamen immunitates ab eodem Imperatore modo ampliatæ modo reſtrictæ fuérunt. Admodum varius hîc fuit Imperator Conſtantius. Is enim anno CCCXLIII illis tantùm clericis, qvi alimoniæ ſeu victûs cauſâ negociationem exercent, à luſtrali collatione immunitatem conceſſit, *in l. 8. C. Th. de Epiſc.* Idem is anno CCCXLVI immunitatem illam ad Clericos univerſos extenſam voluit, qvod videret, & præſumeret, omnem ex mercaturâ eorum collectum quæſtum in pauperes diſpenſari, *l. 10. C. eod.* Anno CCCLVII idem Conſtantius Copiatas tantùm, h. e. qvi circa pium defunctorum & ſepulturæ officium occupati erant, immunes eſſe juſſit, reliquis omnibus etiam Clericis ἐμπορικὸν βίον ſectantibus ad luſtralem collationem adactis, *l. 1. C. Th. de luſtral. collat.* Anno eodem circa finem mutavit ſententiam, & in gratiam pauperum, qvibus Clericorum negociatio profutura eſſet, privilegium id univerſis Clericis reſtituit in *l. 14. C. Th. de Epiſc.* qvæ ſecunda eſt in Codice Juſtinianeo *eod. tit.* Tandem anno CCCLX rediit ad primum ſuum inſtitutum, neqve alios à collatione iſtâ exemtos eſſe

voluit, præterqvam eos, qvi exiguis admodum mercimoniis tenuem ſibi victum, veſtitumque conquirunt. *in l. 15. C. Th. de Epiſc.*

XXXIII. Qvi ſecutus fuit, Imperator Valens anno CCCLXIV Clericos omnes, qvos Chriſtianorum nomine intellectos voluit, ad neceſſitatem penſitationis adhibere juſſit, *l. 5. C. Th. de luſtral. coll.* qvia, *ſi verus*, inquit, *eſt eorum cultus, i. e. ſi veri ſunt Clerici, adjuvare pauperes & in neceſſitatibus poſitos tenentur.* At hæc ipſa ratio ſvaſit Conſtantio, ut contrarium ſtatueret, *d. l. 10. & l. 14. C. Th. de Epiſc.* Ex qvo optimè obſervat Jacobus Gothofredus ad *d. l. 5.* eandem rationem pro rerum ſtatu momentum facere poſſe ad diverſa, quandoquidem Clericis modicam adhuc negotiationem exercentibus, aut commodum ſuum & lucrum proprium non qværentibus, ſed in pauperum usûs provenientem quæſtum vertentibus, ratio illa facere potuit, ut à luſtrali collatione immunes haberentur. Sed poſtquam diverſa planè deinceps ſectari cœpiſſent Clerici, & per negociationem ſuis præcipuè emolumentis ſtudere intendiſſent, ratio illa, qvæ immunitatem antehac ſvaſit, vires ſuas perdidit, & iiſdem oneribus, quibus reliqui negociatores omnes tenerentur, etiam Clericos tales ſubjici debere, contrario planè effectu principes induxit. Poſt annos qvindecim, qvi fuit à nato Chriſto trecenteſimus ſeptuageſimus nonus, Gratianus Imperator *in l. 11. C. Th. de luſtral. collat.* certum poſuit modum, intra qvem Clerici negociantes immunes eſſent à luſtrali collatione, in Illyrico nempe & Italiâ intra decem ſolidos, in Galliis intra qvindecim, qvod ſcil. ditiores eſſent Clerici in Italiâ & Illyrico, qvàm in Galliis. Arcadius tandem Imperator anno CCCXCIX, ſpeciali conſtitutione in *l. 16. C. Th. de luſtr. collat.* mandavit, ut negociatores Clerici alterutrum eligerent, vel ut negociationi valedicentes Religioni ſervirent, vel ut negociantes à Clericatu diſcederent, atqve ſic luſtralem collationem agnoſcerent', additâ eleganti hâc ratione, qvod diſtincta ſint ſtipendia religionis & calliditatis.

XXXIV. Ex qvibus omnibus hoc conficitur, jure civili non omninò improbatam fuiſſe negociationem Clericorum, dum tamen intra modum ſe contineret, & ſpecialem, vel ſui tantùm victûs & veſtitûs, vel etiam pauperum alimoniæ, finem intenderet. Neqve hic ulla à jure Canonico ſtatui poterit diſcrepantia, qvandoqvidem, qvi ſupra adducti ſunt Canones, eam tantùm negociationem Clericis prohibent, qvæ lucrum pro fine ultimo habet, privatis uſibus applicandum. Et Concilium Eliberinum canoni ſupra adducto hæc addit verba: *Si voluerint nego-*

negociari, intra provinciam negocientur, tacitè innuens, talem negociationem, qvæ intra provinciæ fines ſe continet, Clerico minus eſſe turpem, dum præſertim, qvod ex jure civili ſupplendum eſt, ea fiat, vel alimoniæ tantùm causâ, vel ut omnis inde proveniens qvæſtus in pauperes erogetur. Talis enim finis & ſcopus niſi negociationem Clericorum honeſtaverit, nulla ejus omninò videtur antiqvo jure Canonico facta conceſſio. Qvin puto ego, canones nonnullos διαῤῥήδην omnem prohibuiſſe negociationem, etiam eam qvæ in pauperum gratiam inſtituebatur, ne ſub colore iſto privatum magis intenderetur lucrum, ſi præſertim tantum ſuppeteret ex Eccleſiæ reditibus, ut pauperibus alendis ſatis proſpectum eſſet. Ea verò, qvæ inopiæ propriæ ſublevandæ & victûs cauſa ſuſcipitur, prohiberi nunqvam potuit, cùm ſatius ſit labore manuum egeſtati ſubvenire, qvàm mendicare.

XXXV. Sanè αἰσχροκέρδειαν Eccleſiaſticorum ſuo jam tempore h.e. ſeculo qvinto acerrimè perſtrinxit Severus Sulpitius *l. 1. ſacr. hiſt. Tanta*, inqvit, *hoc tempore animos eorum habendi cupido veluti tabes inceſſit: inhiant poſſeſſionibus, prædia excolunt, auro incubant, emunt, venduntqve, qvæſtui per omnia ſtudent: at ſi qvi melioris propoſiti videntur, neq; poſſidentes, neq; negociantes, qvod eſt multo turpius, ſedentes munera expectant, atq; omne vitæ decus mercede corruptum habent, dum qvaſi venalem præferunt ſanctitatem, &c.* Et verò qvis neſcit, avaritiam tàm familiare Clericis eſſe vitium, ut proverbio materiam ſubminiſtraverit? Huic verò nulla potior, qvàm per mercaturam, dari poterit occaſio, qvâ ſuas exſerere qveat vires. Illa ergò ſi perſonis Eccleſiaſticis permittenda fuerit, dubium non eſt, plurima alia animos earum occupatura eſſe vitia, qvibus irretiti iſti, tantum abeſt ut monſtrare viam ad ſalutem aliis qveant, ut potiùs immenſum ex ſe ſcandalum præbeant, & cœco impetu in exitium æternum præcipites ruant ipſi.

XXXVI. In actis Concilii Chalcedonenſis, *actione 10.* inter capita accuſationis, qvibus presbyteri Edeſſæ Ibam Epiſcopum & fratrem ejus Danielem detulérunt, parum honorifica fit mentio diaconi cujuſdam negociatoris. Verba hæc ſunt: *Duodecimo. Abrahamius fuit qvidam diaconus. Hic Apantiæ erat noſtræ Eccleſiæ, diverſis negociabatur temporibus. Primitus pauper & nihil ferè habens, ex noſtrâ Eccleſiâ multas & innumeras res habuit, qvæ pro veritate erant noſtræ Eccleſiæ, &c.* Non dubito, Abrahamium hunc eundem fuiſſe, cujus mentio fit ſub *num. 4.* qvod malefici cujuſdam amicus fuerit, & ex Ibæ inſtituto Epiſcopus Batenorum civita-

tis

tis ordinari debuerit, ſed prohibitus ab Archidiacono, Xenodochus deinceps extiterit, cum tamen excommunicationis vinculo innodatus fuerit. Et hoc innuit fortaſſe vocabulum barbarum, *Apantita*. Cæterùm hoc inter vitia ejus notatur, qvod per mercaturam ex paupere dives factus fuerit.

XXXVII. Eſt enimverò negociatio, ſi in ſe aut ex objecto, aut etiam ratione adjunctorum neceſſariorum conſideretur, res non abſolutè mala cùm etiam in Scripturis plurima talia piorum hominum, qvi negociationibus operam dederunt, occurrant exempla. Neqve augmentum precii, qvod venditor, rem à ſe emtam venum exponens, ab emtore poſcit, injuſtum ſemper eſt, cum utiqve tales ſubinde incidere poſſint circumſtantiæ, qvæ augmento illi cauſam dent, neqve juſtitiæ limites excedere faciant. Uti enim rectè obſervat Dominicus Soto *lib. 6. de juſt. & jur. q. 2. art. 2. concl. 4.* juſtus titulus vendendi cariùs non eſt fundandus in perſonâ vendente præcisè ſpectatâ qvaſi mercator, qvia mercaturam agit, poſſit cariùs vendere qvàm alii, qvi mercatores non ſunt, ſi contingat, ut idem vendant; ſed titulus vendendi cariùs, qvicunqve demum ſit venditor fundandus eſt in mutatione circumſtantiarum, penes qvas juſtũ precium variari & creſcere poteſt. Conf. Franzk. *Exercit. 11. qvæſt. 3.*

XXXVIII. Qvia verò negociatio res eſt periculis maximè expoſita, & cui difficile eſt evitare peccatum, cùm humani ingenii ea ſit indoles & natura, ut, qvod ſemel appetit, vehementer cupiat, & nihil non experiatur, qvod ad propoſitum finem conſeqvendum facere qvoqvo modo videtur, ex qvo mercatorum genus maxima ſæpè audit vituperia. Vid. Guilielm Redoan. *de ſpol. Eccleſ. q. 2. n. 1.* meritò prohibentur Clerici, qvorum conditio & ſtatus ex ſpeciali ſanctitate inſigniri debet, in iſtud inutilium deſideriorum & curarum profundum ſeſe committere. Etſi enim lucrum ex negociatione qvæſitum juſtum & honeſtum eſſe qveat, ſi in ſe & abſtractivè conſideretur; turpe tamen fieri id poteſt in concreto reſpectu certi cujuſdam ſtatûs aut certæ perſonæ, qvia ei non convenit. Hoc eſt ſcil. qvod ait Auguſtinus apud Gratianum *c. 9. diſt. 88. Fornicari hominibus ſemper non licet, negociari verò aliqvando licet, aliqvando non licet, anteqvam enim Eccleſiaſticus qvis ſit, licet ei negociari, facto jam non licet.* Igitur qvàm turpe eſt, & ab ejus ſtatu diſſentaneum, perſonam ſacram avaritiæ morbo laborare, tàm turpe & ab ejus ſtatu diſſentaneum eſt, negociari, cùm negociatio avaritiam acuat, eamqvè vegetiorem indies efficiat. Proptereaqve conſtans Patrum ſententia eſt, longè facilius eſſe, augendæ rei cupiditatem à ſe prorſus abjicere,

cere, omnib9 ſibi interdicendo, quam illam temperare eiq; modum ponere.

XXXIX. In jure Canonico *diſt.88. c. ejiciens*, adducuntur qvædam verba Chryſoſtomi deſcriptionem negociatoris continentia. *Oſtendam*, inqvit, *qvis non eſt negociator, ut qvi talis non fuerit, eum intelligas eſſe negociatorem. Qvicunq; rem comparat, non ut ita integram, & immutatam vendat, ſed ut materia ſibi ſit inde aliqvid operandi, ille non eſt negociator. Qvi verò rem comparat, ut integram & immutatam vendendo lucretur, ille eſt mercator, qvi de templo DEI ejicitur, &c.* Occaſione hujus dicti triplicem facit negociationem Renatus à Valle *in Hipparch. n.71.* Primò *ſimplicem*, qvâ emuntur neceſſaria aut venduntur ſuperflua, eamqve dicit latiſſimè ita vocari, & contradiſtingvi lucrativæ; Secundò *lucrativam ſtrictè acceptam*, qvâ res non mutata nec in aliam formam redacta venditur, qvam propriiſſimè & ſtrictiſſimè negociationem eſſe dicit: Tertiò *lucrativam laxiore ſignificatu*, qvâ res emta mutatur in aliam formam vel ſtatum meliorem, & carius venditur ad qvæſtum faciendum.

XL. Prima ſpecies Clericis haudqvaqvam indecora eſt, qvandoquidem ea quam proximè ad permutationem accedit, per qvam primum & ſimpliciſſimum inter homines initū fuit commercium. Qvia enim plerumq; evenit, ut cùm tu habes, qvod ego deſidero, invicem ego habeam, quod tu accipere velis, electa eſt materia, cujus publica & perpetua æſtimatio difficultatibus permutationū æqvalitate qvantitatis ſubveniret, uti loquitur Paulus JCtus *in l. 1. ff. de contr. empt.* Ad eundem igitur modum etiam ſacris perſonis vitio vertendum non eſt, ſicubi ad conſervandam vitam emant quæ ſunt neceſſaria, & viciſſim vendant, quæ ſunt ſuperflua. Hactenus enim nullum tale ab ipſis intenditur lucrum, quo augeri poſſent facultates, ſed unicè id agitur, ut neceſſitatibus ſuccurratur, & humanæ inopiæ. Nec fortè contractum hunc emtionis & venditionis inirent, ſi permutationibus rem expedire liceret, aut alio modo indigentiam ſuam explere poſſent. Qvod igitur naturaliſſimum quaſi eſt inter homines commerciū, id Clericis ut minùs decorum denegari non poteſt.

XLI. Tertiam ſpeciem itidem indecoram non eſſe, nec Clericis interdici poſſe, conſtans eſt Doctorum ſententia. Joh. Guttierrez *tract. de gabell. q. 93. n.47. ſeq.* Camill. Borell. *deciſ. 7. n. 68.* Claud. Tutius *allegat. 14. n. 3. 4.* Gulielm. Redoan. *de ſpol. Eccleſ. q. 2. n. 36.* Benvenut. Stracha *de mercatur. p. 3. n. 5.* De hâc ſpecie dum agit Conradus Summenhart *de contractib. tr. 3. q. 52.* dupliciter eam dicit exerceri poſſe, primò ſi quis tales res vendat, quarum valor

totus eſt ex artificio, ut ſi ex materiâ quaſi nullius precii operetur aliquod artificiale: ſicut ſunt mattæ vel ſtoria, quæ fiunt ex juncis à ſterno dicta, eò quod ſternuntur ſuper terram, & fiſcellæ & ſportulæ, quæ fiunt ex viminibus. Secundò ſi tales res vendit, quarum valor non totus eſt ex artificio, ſed etiam partim ex materia: ut ſi qvis emat aſſeres, ut ex eis faciat arcam, & ſic eam vendat, vel pergamentum, ut faciat librum & ſcribat, & ſcriptum vendat. Nobis in hoc themate iſta non videtur attendi debere diſtinctio, ſed illa potiùs, utrum tale artificium vel operoſum nimis ſit & valdè anxium, vel peccatis, aut etiam ſordibus obnoxium. Sic enim ad cauponariam aut macellariam tabernam admittere nolim Diaconum, ut eam exerceat, nec ut arma, aut taxillos & aleas fabricet. Etſi enim ubique hic forma mutetur, circumſtantiæ tamen ita afficiunt rem, ut totum artificium probroſum & minus conveniens ſit perſonæ Eccleſiaſticæ.

XLII. Species media ſive ſecunda jam diu Clericis fuit interdicta, quæ tamen prohibitio omnium conſenſu ſuas admittit exceptiones. Tempore enim neceſſitatis, & ubi deficiunt alimenta, eam rectè clericis permittunt Joh. Bapt. Coſta, *remed. ſubſid. 73.* Sigiſm. Scaccia *de commerc. §. 1. q. 7. part. 2. ampl. 11. n. 7.* dum tamen per eam propriis non ſtudeant divitiis, ſed vel neceſſariæ ſuſtentationi familiæ ſuæ, vel pauperum indigentiæ *arg. c. gloria, 12. q. 2.* Vid. conſtitutiones Imperatoriæ ſupra adductæ. Add. Gulielm. Redoan. *de ſpol. Eccleſ. qvæſt. 2. per tot.* Et ſub his circumſtantiis facilè aſſentiri poſſum Ludovico Molinæ, *tr. 2. diſp. 342.* contendenti, licere Clericis in Braſiliâ aut Indiâ Orientali Eccleſiam plantantibus merces in Europam, ubi plus valent, mittere, & illic cariùs vendere, ut inde habere & repetere poſſint alia ſibi neceſſaria & ad rem peragendam utilia. Conf. Alphonſ. de Vargas *de Stratagem. Jeſuit. cap. 5.* Renat à Valle *in Hipparch. n. 89.* Verendum tamen eſt, ne, quod ſæpiſſimè contingere ſolet, lucri capiendi intentio negociationem illam degenerare faciat in peſſimam *καπηλίαν*, idemque accidat, quod de ſuo ſeculo conqueritur Hieronymus, *epiſt. ad Ruſticum monach. Pleriqve*, inquit, *Clerici artibus & negociationibus priſtinis carere cum nunqvam poſſint, mutatis nominibus inſtitorum eadem exercent commercia, non victum & veſtitum, qvod Apoſtolus præcipit, ſed majora qvam ſeculi homines emolumenta ſectantes. Nunc ſub religionis titulo exercentur injuſta compendia, & honor nominis Chriſtiani fraudem magis facit, qvam patitur. Qvodqve pudet dicere, ſed neceſſe eſt, ut ſaltem ad noſtrum erubeſcamus] dedecus, publicè*

blicè extendentes manus, pannis aurum tegimus, & contra omnium opinionem plenis ſacculis morimur divites, qvi qvaſi pauperes viximus.

XLIII. Tabernam autem cauponiam habere Clericis ab antiquis temporibus fuit interdictum, quod vile admodum, & propter vitia adhærentia nullatenus conveniens ſtatui Eccleſiaſtico id videretur commercium. Sed nec ingredi qvidem cauponas niſi peregrinationis neceſſitate compulſis licebat, uti ſtatutum *canone Apoſt. 54. Si qvis Clericus in cauponâ comedens deprehenſus fuerit, ſegregetur, præterqvam, ſi in publico diverſorio in viâ propter neceſſitatem diverterit.* Rationem ibi reddit Zonaras: *Nam*, inqvit, *cùm promiſcuè confluant in cauponam & inhoneſti viri & inhoneſtæ mulieres, qvi cum talibus converſatur, eorum turpitudinis expers non erit.* Eodem modo in concilio Laodiceno *c. 24.* conſtitutum legitur: *Qvod non oportet ſacratum à presbytero uſq; ad Diaconum & deinceps qvemlibet Eccleſiaſtici ordinis uſqve ad miniſtros vel Lectores, vel Cantores vel Exorciſtas, vel Oſtiarios vel ordinis monachorum in cauponam ingredi.* Atqve inde à majori ad minus argumentum duxit Concilium in Trullo habitum, qvod qviniſextum vulgò dicitur, ut *can. 9.* ſtatueret: *Nulli licere Clerico cauponiam habere tabernam. Si enim ei in cauponam ingredi non eſt permiſſum, qvanto magis & aliis in eâ miniſtrare, & ea, qvæ non licet, ipſi tractare. Si qvid autem tale fecerit, vel ceſſet vel deponatur*, apud Gratianum *diſt. 44. c. 4.* Uterqve & Balſamon & Zonaras canonem hunc interpretantur de Clerico cauponiam mercaturam exercente, non de eo, qvi officinam cauponiam in dominio habet, & eam aliis elocat. Hoc enim non putant eſſe prohibitum. Et rationem addit Zonaras, qvia turpe eſt, atqve ab ordinis dignitate vehementer alienum, exercendæ cauponæ clericum præſidere, excipiendis hominibus, apponendis ferculis præſto eſſe, pincernæqve qvodammodo operam ac miniſteria hoſpitibus exhibere. Ego nolim diſſentire, ſi caupona, qvam Clericus habet in dominio, non voluptatis ſed neceſſitatis cauſa, ut hoſpitio repentino recipiantur viatores, uti dicitur *in l. 6. §. 3. ff. naut. caup. ſtab.* exerceatur. Sed qvia hodiè tabernæ plerumqve ſunt loca & fomenta intemperantiæ & incontinentiæ, vix erit, ut excuſari Clericus poſſit, etſi per alios cauponam exerceat.

XLIV. Sanè jam diu eſt, cùm peſſimè audiunt tabernæ, & tabernarii inter viliſſima capita habiti fuérunt, eò potiſſimum qvod ut plurimùm lenocinium exercerent alterius negociationis acceſſione *l. 4.*

§. 2. ff. de his qvi not. inf. l. 43. §. 9. ff. de R. N. l. fin. C. ſi mancip. ita ven. Tertullianus eos furibus & aliis ſceleſtis hominibus jungit *lib. de fug. in perſecut. circa fin.* dum ait: *Neſcio dolendum an erubeſcendum ſit, cùm in matricibus beneficiariorum & curioſorum, inter tabernarios, & lanios, & fures balnearum, & aleones & lenones Chriſtiani qvoqve vectigales continentur.* Ad qvem locum videri poterit Nicolaus Rigaltius. Similiter ſcenicis, vilibus & abjectis perſonis, atqve lenonibus eos æqviparat Conſtantinus Imp. *in l. 1. C. de natural. libb.* Unde & injuriam inferre dicitur, qvi filium aut ſervum alterius licet conſentientem in popinam duxerit. *l. 26. ff. de injur.* Inde eſt qvoqve, qvod jure Romano Viri honeſti æqvè in popinâ conſpici vererentur, atqve in lupanaribus, *l. 21. §. 11. ff. de recept. arb.* Imò verò apud Græcos etiam mancipiis honeſtioribus pudor erat intrare cauponas, qvod diſertè teſtatur Iſocrates *in Areopagiticâ: In cauponâ*, inqvit, *edere aut bibere nemo ne frugi qvidem ſervus audebat.* Qvocirca, ut evitarentur ſpurca illa in ganeis & cauponis conſortia, privata ſolebat olim inter amicos dari & peti hoſpitia, datis ſcil. utrinqve teſſeris hoſpitalibus de qvibus videri poterit Taubmannus *ad Plauti Pœnul. act. 5. ſc. 1.* Ant. Mornacius *ad l. 1. ff. naut. caup. ſtab.* Chriſtoph. Juſtell. *ad Cod. can. Eccleſ. univerſ. pag. 231.* Tanta ergò cum ſit cauponarum infamia, qvam prolixius perſtringunt Jacobus Gothofredus *ad l. 1. Cod. Theodoſ. ad L. Jul. de adulter.* Ludovicus à Peguera *deciſ. 44.* num putabimus, per publicum hoc dedecus verſari poſſe Clericum ſine dedecore, ut maximè per familiares ſuos cauponiam artem exerceat, aut aliis elocet? Certè culpâ non caret, qvi alteri delinqvendi occaſionem præbet.

XLV. Eſt etiam negociationis ſpecies, poſſeſſionum conductio, qvæ & ipſa Clericis interdicta eſt. Agit eâ de re Concilium Chalcedonenſe *cap. 3.* apud Gratian. *diſt. 86. can. ult. Pervenit ad ſanctam Synodum, qvod qvidam eorum, qvi in Clero cooptati ſunt, propter turpe lucrum alienarum poſſeſſionum conductores fiant, & ſecularia negocia exercent, DEI qvidem miniſterium negligentes, ſecularium verò domos diſcurrentes, & facultatum eorum per avaritiam curam ſuſcipientes. Definiit ergò ſancta & magna Synodus, neminem deinceps nec Epiſcopum, nec clericum nec monachum vel poſſeſſiones conducere, vel ſecularibus negociorum adminiſtrationibus ſeipſum miſcere, &c.* Sic & in Concilio Carthaginienſi *I, c. 6.* ſtatutum fuit: *Clerici aut ſint ſine actionibus domorum, aut actores ſine officio Clericorum.* Actores hîc dicun-

dicuntur, qvi ſunt adminiſtratores, procuratores, œconomi, &c. Vid. Lindenbrog. *in gloſſ.* Hieron. Bignon. *ad Marculf. form. lib. 1. c. 11.* Et in Concilio Carthaginienſi IV, *c. 15.* decretum fuit, ut Epiſcopi & presbyteri & diaconi vel Clerici non ſint conductores neqve procuratores, neqve ullo turpi vel in honeſto negocio victum qværant. apud Gratian. *c. credo, & c. placuit 21. q. 3.* Concordat Novella Juſtiniani *123. cap. 6.*

XLVI. Repetenda tamen hîc eſt eadem exceptio, qvam ſupra circa emtionem & venditionem adjecimus. Nempe non licere clerico conducere poſſeſſiones, niſi id fiat cauſa neceſſitatis, qvando ſcil. non habet, unde alimenta capere poſſit. Petr. Nic. Mozzius *de contract. tit. de locat. conduct. art. de his qvi poſſ. loc. in fin.* Guilielm. Redoan. *de Spol. Eccleſ. q. 2. n. 11.* & ex prædiis atqve reditibus Eccleſiæ tantum non colligitur, ut ſe ſuamqve familiam ſuſtentare qveat. Proſp. Farinac. *in fragm. crim. part. 1. verb. Clericus n. 163.* Videtur verò Juſtinianus Imp. *d. novell. 123. c. 6.* laxiorem Clericis circa conductiones prædiorum dediſſe poteſtatem. Primùm rationem reddit, propter qvam regulariter abſtinere debeant Clerici ab ejusmodi conductionibus, ne, inqvit per hanc occaſionem & ſanctis domibus damnum fiat, & ſacra miniſteria impediantur. Ultimâ hæc ratio negligentiam redarguit Clericorum, prior illa eorundem avaritiam, qvâ ſcil. ut ex prædiis conductis auctiora capiantur emolumenta, ipſos etiam Eccleſiæ reditûs non ſine ejus detrimento impendere ſolent. Deinde addit Imperator: *Si autem Eccleſiis aut monaſteriis poſſeſſiones qvædam adjacentes inveniantur, & voluerint diſpenſatores ipſarum venerabilium domorum in conductionem aut emphyteuſin has accipere, tunc omnibus Clericis & monachis pro his cauſis in ipſo inſtrumento ſub geſtis monumentorum conſentientibus & manifeſtantibus pro utilitate venerabilium domorum hoc fieri: talem conductionem & emphyteuſin procedere ſinimus. Sed etiam ipſis ſanctiſſimis eccleſiis & aliis venerabilibus domibus damus licentiam conductiones & emphyteuſes facere adinvicem: & Clericis ſimiliter propriarum Eccleſiarum poſſeſſiones conducere & gubernare, cum voluntate tamen Epiſcopi & Oeconomi permittimus, &c.* De diſpenſatoribus Eccleſiarum aut venerabilium domorum, qvibus conducendi facit licentiam, meminiſſe oportet ex *can. 26.* Concilii Calchedonenſis, eos fieri debuiſſe ex Clero proprio. Et ſic clericis conducere licuit poſſeſſiones Eccleſiis ſuis vicinas, non aliter tamen, niſi præviâ aliqvâ cauſæ cognitione, & in utilitatem non propriam cujusqve, ſed totius Eccleſiæ,

XLVII. Ratio iſtorum omnium eſt ne Clerici ſecularibus negociis intenti, miniſterium ſuum negligant, & πρὸς τὸ εὔσχημον, καὶ εὐπρόσεδρον τῷ Κυρίῳ ἀπερισπάστως, 1. *Cor. VII, 35. ut decenter & aptè adhæreſcant Domino absq; ullâ diſtractione.* Triplex lectio occurrit in Codicibus Græcis, nempe εὐπρόσεδρον, εὐπάρεδρον, εὐπρόσδεκτον. Singula illa indicant, voluiſſe Apoſtolum tantum eſſe oportere Clerici in miniſteriis Eccleſiæ aſſiduitatem ut decorè ſemper interſit, aſſideatqve divinis, neqve unqvam abſtrahatur â domino. Vis eſt in dictione ἀπερισπάστως. Significat enim juge nec interpellandum intercalandumne miniſterium. Anton. Mornac. *ad l. 52. C. de Epiſc. & Cler.* & uti ibi loqvitur Juſtinianus, ut omnibus aliis derelictis Dei omnipotentis miniſteriis inhæreant, cùm ſacris vacare ſacerdotes oporteat, ex pronunciato Pauli, *l. 32. §. 4. ff. de recept. arb.*

XLVIII. Ex generali illâ ratione, qvâ Clerici prohibentur ſacra negligere miniſteria atqve officia, plurima alia eis interdicuntur, qvibus negligentia talis cauſari qveat. Tale eſt munus advocati & procuratoris, *c. 1. & 2. X. ne Cler. vel monach. Novell. Leonis 86.* qvo pertinet Decretum Synodale Johannes Xiphilini, qvod habetur *lib. 3. jur. Græco-Rom. p. m. 214.* Ejus prohibitionis adhuc aliam rationem reddit Franciſcus Duarenus *tit. de procurat. c. 4.* qvod judex Laicus, ſi qvid fortè deliqverint Clerici advocati, non poſſit eos coërcere. Adhuc aliam refert Juſtinus Imp. *in l. 41. C. de Epiſc. & Cler.* qvia abſurdum eſt Clericis, imò etiam opprobrioſum, ſi peritos ſe velint oſtendere diſceptationum eſſe forenſium. Sine dubio tamen prima illa ratio prævalet. Unde & ex epiſtolâ Clementis primâ tale refert fragmentum Gratianus *11. q. 1. c. Te qvidem oportet irreprehenſibiliter vivere, & ſummo ſtudio niti, ut omnes vitæ hujus occupationes abjicias: ne fidejuſſor exiſtas, ne advocatus litium fias, neve in ullâ aliqvâ occupatione prorſus inveniaris mundialis officii occaſione perplexus, neqve enim judicem neqve cognitorem ſecularium negotiorum hodiè te ordinare vult Chriſtus: ne præfocatus præſentibus hominum curis non poſſis verbo DEI vacare. hæc verò opera, qvæ tibi congruere minus diximus, exhibeant ſibi invicem vacantes Laici: & te nemo occupet ab his ſtudiis per qvæ ſua ſalus hominibus datur.* Inſuper etiam ex Innocentii I, *epiſt. 4. c. 3.* & ejuſdem *epiſt. 24. c. 2. & 4.* patet, non potuiſſe ad clerum promoveri, qvi cauſas egerant & in forenſi exercitatione verſati fuerant. *Qvantos,* inqvit, *ex eis, qvi poſt acceptam baptiſmi gratiam in forenſi exercitatione verſati ſunt, & obtinendi pertinaciam ſuſceperunt, accitos ad ſacerdotium*

um eſſe comperimus ? --- qvorum omnium neminem, ne ad ſocietatem qvidem ordinis Clericorum oportuerat perveniſſe, &c.

XLIX. Has ſententias opponit Claudius Eſpencæus *lib. 2. digreſſ. c. 9.* Gratiano, diſtinctionem inter canonicos regulares & clericos facienti. Poſtqvam enim is *c. un. 15. q. 2.* decretum concilii Terraconenſis retuliſſet, qvo Clerici pro impenſis patrociniis munera accipere prohibiti fuerant, hanc ſuam mox addidit ἐπίκρισιν. *Hoc*, inqvit, *de illis intelligendum eſt, qvi canonicam vitam profeſſi regulariter ſe victuros propoſuērunt. Generali namq; Eccleſiæ conſvetudine receptum eſt, & moribus approbatum ut Clerici more advocatorum patrocinia impendant, & pro impendendis munera exigant, & pro impenſis ſuſcipiant.* Hæc verò Gratiani gloſſa parum placet Eſpencæo, qvi repoſitis illis ex Clementis & Innocentii epiſtolis, qvæ recenſuimus, hæc ſubnectit verba: *Eat Gratianus & Clericos ſalvis ſuis canonibus putet choro & foro, altaribus & tribunalibus operari poſſe, ſimul in templis ſacra & in curiis profana tractare, hoc eſt, juxta verbum Domini diverſiſſimis duobus dominis ſervire & adhærere.* Add. Anton. Dadin. Alteſerra *ad c. 2. X. de poſtul.*

L. Rectè autem obſervat Eſpencæus *d. l.* jure Canonico noviore in qvibusdam caſibus permiſſum eſſe Clericis poſtulare. Tale decretum ex Concilio Lateranenſi ſub Alexandro III, recenſetur *c. 1. X. de poſtuland. Clerici in ſubdiaconatu & ſupra, in ordinibus qvoqve minoribus, ſi ſtipendiis Eccleſiaſticis ſuſtententur coram ſeculari judice advocati in negociis ſecularibus fieri non præſumant, niſi propriam cauſam vel Eccleſiæ ſuæ fuerint proſecuti, aut pro miſerabilibus forte perſonis, qvæ proprias cauſas adminiſtrare non poſſunt.* Simile qvid refertur *ibid. c. 3.* Rationem reddit Johannes Baptiſta Vivianus *ibid.* qvia cum qvis poſtulat pro ſe, vel pro ſuâ Eccleſiâ, aut miſerabilibus perſonis, non poteſt notari aliqva lucri cupiditas, neqve pars adverſa poteſt reputari â Clerico advocante offenſa, cum hi caſus pertineant ad defenſionem, qvæ eſt juris naturalis. Et qvia dictum *cap. 1.* conceptum eſt de Clericis, qvi ſtipendiis Eccleſiaſticis ſuſtentantur, non malè infert inde. Stephanus Gratianus *diſcept. forenſ. cap. 57. n. 22. ſeqq.* poſſe Clericum ſi non habeat, unde vivat, abſqve diſpenſatione in curiâ ſeculari poſtulare, etiamſi cauſa in enumeratis exceptionibus non fuerit comprehenſa. Ratio eſt, qvia ſi id licet ei pro pauperibus & miſerabilibus perſonis, ut illarum neceſſitati ſubveniat, multo magis illi erit licitum & honeſtum, ut propriæ neceſſitati & egeſtati conſulat, cùm ordinata charitas incipiat â ſe ipſâ.

Auguſt.

Auguſt. Barboſa *ad d. c. 1.* Ant. Bengeus & Franc. Pinsſon. *de benef. rubr. de vit. & honeſt. Cler. §. 3.* Anton. Mornac. *ad l. 17. C. de Epiſc. & Cler.*

LI. Cæterùm inter ſententias ſynodales Lucæ Patriarchæ Conſtantinopolitani, qvæ *in lib. 3. juris Græco-Rom.* â Joh. Leunclavio collectæ ſunt, *ſub num. 11.* extat diſputatio inter diaconum qvendam & dictum Patriarcham de hâc materiâ: *Utrum ſcil. & qvousq; Advocati partes ſuſcipere poſſit Clericus*, qvam totam hîc adſcribere non videtur alienum. *Diaconus qvidam â felicis memoriæ patriarchâ domino Luca commemoratis canonibus reliqvisqve legislationibus utente, advocatum agere aliqvando prohibitus, coram Imperatorio tribunali, præſente patriarchâ dixit, canones illos atq; leges in hodiernis advocatis non habere locum, ſed in illius temporis advocatis, qvi in civilibus judiciis ſtationes habebant, Imperiales frumentarias teſſeras accipiebant, ſub primiceriis erant, atqve â mundanis magiſtratibus confirmabantur, qvo tempore omninò rectè Clerici mundanis advocatorum officiis fungi prohibebantur. At qvoniam, qvi hodiè advocati ſunt tanqvam liberalem aliqvam artem advocationem exercent, neqve ſacri ordinis homines in jure patrocinari impediri debere. Et ſermonem ſuum adſtruens non actionem ſed modum â canonibus puniri, cauſabatur. Non ſolum enim inqvit Clerici, verum etiam Epiſcopi pro amicis in jure certantes veniam conſeqventur, neqve qvi in controverſia rei Eccleſiaſticæ patrocinium præſtant, notabuntur qvemadmodum ipſum etiam jus hoc evidenter docet. Ut autem Clericus qvemadmodum mundani officiales advocatum agat, & â Laico confirmetur, odioſum eſt atqve punitur. — Hæc cum dixiſſet, applauſumq; ipſi eſſet, etiam a patriarcha patrocinari, ut antea, permiſſum illi eſt.* Videtur diaconus ille doctior fuiſſe ipſo Patriarchâ. Sophiſtam enim egregiè agit & committit fallaciam ſecundum non cauſam ut cauſam. Non enim ideò Clerici prohibentur eſſe advocati, qvia â magiſtratu civili confirmari debuerunt, ſed qvia per ejusmodi patrocinium impeditur miniſterium Eccleſiaſticum, qvæ ratio perpetua eſt, & adhuc durat. Sed pergimus ad alia.

LII. Utrum Clericus judex eſſe poſſit, nullum hodiè inter Canoniſtas eſt dubium, ne qvidem ſi de ſeculari negocio inter Laicos diſceptatio orta fuerit, poſtqvam ipſi Imperatores judicia talia confirmarunt, & ſancta haberi voluérunt. Olim tamen Principum aut dominorum ſecularium jurisdictionem exercere, aut ſeculares honores obtinere eis non licuit. *c. 4. & 5. X. ne cler. vel mon.* & generaliter neqve judices, neque cognitores ſecularium negociorum eſſe poterant, *c. te qvidem 11. q. 1.*

11. q. 1. Nec deſunt, qvi putant, rectius adhuc facturos principes, ſi Clericos abſtinere juſſerint cauſarum civilium cognitione, nec fruſtra Nicephorum Caliſtum *c. 13.* Juliani Apoſtatæ dolum redarguiſſe, qvod eos, qvi in clerum cooptati fuerant, Senatorum muneri præfeciſſet, è diverſo autem rectè laudari ab eodem Silvanum Epiſcopum Trojanum, qvod neminem è clero judicare permiſerit, ſed ſupplicantium libellos uni ex fidelibus Laicis, qvem juſti & æqvi ſtudioſum ſciret, tradere cognoſcendiqve munus committere ſolitus fuerit. Vid. Bengeus & Pinsſon. *d. l. §. 4. & 5.* Sed materia hæc ſpecialem exigit tractationem, exiguis aliqvot pagellis vix comprehendendam, & proinde in aliud tempus differendam.

LIII. De tutelâ & curâ pupillorum & minorum disqviritur, utrum ſuſcipere & gerere eam liceat Clericis, eò qvod inter opera pietatis atqve charitatis referatur tale officium. *diſt. 87. per tot.* Utraqve enim & tutela & cura ſanctiſſima & ſacris literis laudata res eſt, & tàm publicè qvàm privatim utilis, ut tùm qvidem pueri, in qvibus ſeminarium civitatis eſt, rectè educentur, tùm verò hi, qvi parentibus orbi ſunt, ab aliis tanqvam parentibus ſecundū principia naturalia regantur ac defendantur. At charitatis hæc & pietatis opera qvam maximè decent Clericum, cujus proprium hoc videtur munus, ut miſerabilibus perſonis ſubveniat & auxilium præſtet. Et nihilominus tamen in concilio ſtatutum refert Cyprianus apud Gratianum *c. Cyprianus 21. q. 3.* ne qvis Clericum teſtamento tutorem det, propterea ſcil. qvia tutela multo cum onere conjuncta eſt, & ſacrum miniſterium freqventer impedire ſolet. *Jam pridem,* inqvit, *Concilio Epiſcoporum eſt ſtatutum, ne qvis de Clericis & DEI miniſtris tutorem ac Curatorem teſtamento ſuo nominaverit, qvandoqvidem ſinguli divino ſacerdotio honorati & in Clericorum miniſterio conſtituti non niſi altari & ſacrificiis deſervire & precibus atqve orationibus vacare debeant. ---- qvod Epiſcopi & anteceſſores noſtri religiosè conſiderantes, & ſalubriter providentes cenſuerunt, ne qvis decedens ad tutelam vel curam clericum nominaret, ac ſi qvis hoc feciſſet, non offerretur pro eo, nec ſacrificium pro dormitione ejus celebraretur. neqve enim ante altare DEI merentur nominari in ſacerdotum prece, qvi ab altari ſacerdotes & miniſtros volunt avocare.* Sola hîc teſtamentaria tutela prohibita eſt, potiſſimum ex eâ ratione, qvia, cùm ab omnib9 Clericorum perſonæ propter exuberantem in eis fidem, eligi ſoleant, qvibus facultates defunctorum committantur, nemo non eos liberis ſuis tutores dare ſuperſedebit, & ſic numero tutelarum Clerici

facilè obruentur, & in alia omnia extra miniſterium ſuum diſtrahentur. A tutelis autem aliis Clerici eo tempore immunes nondum erant.

LIV. Diſertè excipitur tutela legitima in Concilio Calchedonenſi *can. 3. Definiit ſancta & magna Synodus, neminem deinceps nec Epiſcopum nec Clericum nec monachum vel poſſeſſiones vel res conducere, vel ſecularibus poſſeſſionum adminiſtrationibus ſeipſum ingerere: niſi utiqve ex lege ad inexcuſabilem impuberum tutelam vocetur.* εἰς ἀπαραίτητον ἐπιτροπὴν h.e. ad inevitabilem tutelam, qvæ nullam omninò deprecationem aut excuſationem admittit, nec declinari ullâ ratione poteſt, niſi cauſa allegata juſta & in jure approbata ſit. Ex qvo conficio, ad tutelam legitimam ſuſcipiendam cogi potuiſſe Clericum, non minus atqve alium qvemvis, cui jure cognationis hoc onus incumbit. Et ſic etiam ad canonem iſtum notat Zonaras: *Sed hæc ipſa*, inqvit, *tutoris Curatoriſve munia tùm demum ſubeant, cùm ea legibus ſuſcipere neceſſariò coguntur, non ea ſibi ultrò ipſi depoſcant atqve appetant.*

LV. Poſt Concilii Chalcedonenſis tempora Juſtinianus Imp. in *l. 52. C. de Epiſc. & cler.* ab omni tutelâ, ſive teſtamentaria ea fuerit, ſive legitima, ſive dativa, immunitatem Clericis conceſſit, & uti Guido Pancirollus *theſ. var. lect. lib. 2. c. 66.* notat, conſtitutionem in *l. 6. C. eod.* inſigniter ampliavit. *Generaliter*, inqvit, *ſancimus, omnes Viros reverendiſſimos, Epiſcopos, nec non presbyteros, diaconos & ſubdiaconos, & præcipuè monachos (licet non ſunt Clerici) immunitatem ipſo jure omnes habere tutelæ, ſive teſtamentariæ, ſive legitimæ, ſive dativæ: & non ſolum tutelæ eos eſſe expertes, ſed etiam curæ, non ſolùm pupillorum & adultorum, ſed & furioſi, & muti, & ſurdi & aliarum perſonarum, qvibus tutores vel curatores à veteribus legibus dantur. Eos tamen Clericos & monachos hujuſmodi habere beneficium ſancimus, qvi apud ſacroſanctas Eccleſias, vel monaſteria permanent non divagantes, neqve circa divina miniſteria deſides, cùm propter hoc ipſum beneficium eis indulgeamus, ut omnibus aliis derelictis Dei omnipotentis miniſteriis inhæreant, & hoc non ſolùm in vetere Româ, vel in hâc regiâ civitate, ſed & in omni terrâ, ubicunq; Chriſtianorum nomen colitur, obtinere ſancimus.* Conſtitutio hæc Leoni Auguſto adſcribitur â Gratiano *c. generaliter 16. q. 1.* ſed perperam, uti notat Conradus Rittershuſius *ad novell. part. 8. c. 1. n. 8.* ubi ſub *num. 7.* ita explicat eam, Clericos, ſi nollent, cogi non potuiſſe tutelã ſuſcipere; licuiſſe tamen per hanc legem eis immunitate ſibi conceſsâ non uti; & ſi vellent, tutelam etiam teſtamentariam, ac dativam, non minùs qvàm legitimam ſubire.

LVI. Poſt aliqvod temporis intervallum idem Juſtinianus Imp. *in novell.123.c.5.* Epiſcopis & monachis legem hanc poſuit, ut ne volentes qvidem ad tutelam admitterentur; presbyteris autem, diaconis, & ſubdiaconis permiſit, ut ſi vellent, tutelam legitimam ſubire, ipſis hoc liberum eſſet & licitum. *proprio*, inqvit, *& ſolo gradu cognationis ad tutelam & curam vocatis, hujusmodi ſuſcipere adminiſtrationem permittimus.* Per conſeqvens in reliqvis tutelæ ſpeciebus hoc eis permiſſum non eſt. Sed nec trahi debuit ſuſceptio tutelæ legitimæ in exemplum, ut ſi forte alia ſimilis obveniat tutela, eam neceſſariò ſubire teneatur diaconus, nec excuſare ſe â poſteriore illâ ulterius qveat. Et qvia de presbyteris, diaconis & ſubdiaconis tantùm concepti ſunt Canones atqve leges, non inſubidè inde colligunt nonnulli, Clericos eos, qvi in ſacris non ſunt conſtituti, invitos ad tutelam cogi poſſe. Vid. Joh. Gutierrez *de tutel. & cur. part. 1. c. 1. n. 26.* Anton. Piagg. *de tut. & cur. q. 3. n. 1. 2. 3.*

LVII. Poſt Juſtiniani ævum videtur indiſtinctè prohibitum fuiſſe, ne monachi & Clerici tutorum officium ſuſciperent. Fidem ejus rei facit novella Leonis 68, qvæ de vocabulo tutoris, qvatenus alia nova ejus ſignificatio introducta eſt, novam hanc inſtituit diſqviſitionem; Utrum Clerici, qvi tutelæ propriè ita dictæ munus ſuſcipere prohibiti olim fuérunt, etiam prohibeantur eſſe tutores novo ſignificatu, qvo ἐπίτροποι ſeu tutores dicebantur, executores teſtamentorum? Eam qvæſtionem ita decidit Leo Philoſophus Imp. ut univerſis Clericis tutelam generaliter interdictam, ſed hanc executionem nullibi prohibitam pronunciet. *Veteribus qvidem*, inqvit, *legislatoribus, qvùm ut ſimile veri eſt, uniformis & ſimplex tunc temporis tutela eſſet, iiqve ſoli qvi pupillorum tuitionem ſuſciperent, tutorum nomine cenſerentur, edicere viſum eſt, ne monachi, aut qvoscunqve ſacer ordo devinctos habet, tutorum officio fungantur.* μηδ' ὅσους ὁ ἱερὸς οἰκειοῦται κλῆρος. Qvæ verba generaliter concepta ſunt, & de univerſo Clericorum ordine accipi poſſunt. Sanè etiam Epiſcopos aliqvando tutelam ſuſcipere potuiſſe, contra qvam voluit Juſtinianus Imp. patet ex capitularibus Ludovici *add. 3. n. 24.* ubi conſtitutum legitur: *Si epiſcopus, presbyter, diaconus, ſubdiaconus ad tutelam vel curationem vocentur, tantum munus adminiſtrationis in hoc conceditur ſuſcipere.*

LVIII. Ex qvibus patet, diverſimode circa tutelas ſe habuiſſe jus conſtitutum, & ut plurimum eas fuiſſe prohibitas. Et certè qvidem id rectè, uti loqvitur Leo *d. novell. 68.* Intellexerunt enim, qvi divino miniſterio conſecrati ſunt, hos ab externarum rerum occupationibus & mo-

moleſtiis liberos eſſe oportere. Qvantum autem alendorum alioqvique regendorum puerorum cura hominum animos diſtrahat, utqve Deum debitè colere non poſſint, impediat, nemo ignorat. Qvum itaqne non exigua difficultas iſti rei inſit, ac præcipuè propter temporis diuturnitatem, tota enim plerumqve vita tutores laborioſis iſtis curis irretiti tenentur, rectè iſtud illi decretum promulgarunt, &c. Nec obſtat, qvod dicitur *c. ult. diſt. 68. & c. 1. diſt. 88.* oportere clericos pupillorum & orphanorum curam ſuſcipere. Id enim accipiendum eſt largè pro qvâdam protectione, non pro curâ & tutelâ ſpecificâ atqve formatâ, uti rectè annotat Joh. Bapt. Bartholinus *ad Lancell. Inſtit. lib. 2. tit. 20. §. perſonalis immunitas.*

LIX. Qvæ diximus hactenus, ſufficere poſſunt ad inductionem faciendam, nihil omninò â Clericis ſuſcipi aut expediri poſſe, qvod ſacrum miniſterium impediat aut ſufflaminet, cùm nec diſſimile qvidem dari poſſit exemplum. Et eadem hæc ratio facit, qvod nec militiæ qvidem munia capeſſere valeat, cùm & militia & Clericatus totum hominem reqvirant, & ex militiæ impedimentis haud rarò etiam miniſterii Eccleſiaſtici impedimenta deduci ſoleant. Nec ſola tamen hæc eſt ratio, qvæ Clericos â militia ſeculari excludat; ſed præſto ſunt aliæ urgentiores, inprimis, qvod incompatibilia planè ſint, eſſe militem, & ſimul eſſe miniſtrum Eccleſiæ. Notatu digna eſt hiſtoria Philippi Epiſcopi Beluacenſis apud Guilielmum Neubrigenſem *l. 5. c. 30.* Imò verò adeò exhorruit Eccleſia armorum uſum & effuſionem ſangvinis, ut non tantùm ſententiam ſangvinis Clerico proferre vel dictare prorſus interdixerit, ſed etiam ne literas qvidem pro vindictâ ſangvinis ſcribere, & nec chirurgiam, per adustionem vel inciſionem, exercere permiſerit. *c. 5. & 9. X. ne Cler. vel mon. c. 10. X. de exceſſ. Prælat.* Conf. Petri Bleſenſis elegantem *epiſt. 42*, qvam ſcripſit adverſus Robertum Cameracenſem Epiſcopum, & add. qvæ prolixiùs de hoc argumento diximus *in diſſert. Canon. de Epiſcopo-milite.*

LX. Omitto alia, qvæ, ſi omnia ſpecialiter enumerari deberent, vereor, ne memoriam effugerent, & præter neceſſitatē paginas excreſcere facerent. Potius nunc eſt, ut qvid maximè decent Clericum, & in qvibus præcipuè vita ejus occupata eſſe debeat, primis qvaſi lineis deſcribamus. Imò verò ſufficienter id jam deſcriptū eſt in Concilio Toletano IV, cujus *can. 24.* adducit Gratianus *c. 1. diſt. 38.* his verbis: *Ignorantia mater cunctorum errorum, maximè ſacerdotibus DEI evitanda eſt, qvi docendi officium in populo DEI ſuſcepérunt. Sacerdotes legere ſanctas admonentur Scripturas, Paulo Apoſtolo dicente ad Timotheū: Attende lectioni & exhortationi doctrinæ, & ſemper permane in his.*

Sciant

Sciant ergò Sacerdotes ſanctas Scripturas & canones, & omne opus eorum in prædicatione & doctrinâ conſiſtat: atq; ædificent cunctos tàm fidei ſcientiâ, qvàm operum diſciplinâ. Idem Gratianus *c. ſi qvis diſt. 36.* refert verba Hieronymi, qvibus inſerta legitur iſta ſententia: *Hæc duo ſunt Pontificis opera, ut aut à DEO diſcat legendo ſcripturas divinas & ſæpiùs meditando, aut populum doceat, ſed illa doceat, qvæ à DEO ipſe didicerit, non ex proprio corde vel humano ſenſu, ſed qvæ Spiritus S. docet.* Qvibus verbis totum vitæ genus miniſtris Eccleſiæ condecens qvaſi in compendio deſcribitur, conſiſtere ſcil. illud in diſcendo & docendo. Et rectè hinc canone antecedente præmittit Gratianus, non ſufficere prælatis bonam converſationem, & morum honeſtatem, niſi addatur ſcientia doctrinæ. Cum verò ex variis diſciplinarum figuris, & multarum rerum tractatione comparetur ſcientia, quatenus in illis verſari liceat Diaconis, operæ precium erit, extremis quaſi digitis attingere.

LXI. Theologiæ ſtudium maximè neceſſarium eſſe Clericis, & proprium quaſi eorum elementum exiſtere, nemo negabit, opinor. Unde enim cultum Dei, & Deum ipſum cognoſcet, qui cultui iſti operam ſuam addixit, niſi per ſtudium tale in Scripturis? Etſi autem unusquiſque fidelium id intendere quam maximè debeat, ut quæ de Deo, & vero ejus cultu in Scripturis revelata ſunt, cognita habeat; quia tamen non omnes ſunt, nec eſſe poſſunt Doctores *1. Cor. XII, 29.* non omnibus etiam tàm accuratum, ut Doctoribus, incumbit ſtudium, nec ab omnibus tàm accurata exigitur ſcientia. Optimè Auguſtinus *l. 14. de Trin. c. 1.* dum verba Apoſtoli, *alii datur ſermo ſcientiæ*, exponit, huic ſcientiæ tribuit illud, *qvo fides ſaluberrima, qvæ ad veram beatitudinem ducit, gignitur, nutritur, defenditur, roboratur. Qvâ ſcientiâ*, inqvit, *non pollent fideles plurimi, qvamvis polleant ipsâ fide plurimum. Aliud eſt enim, ſcire tantummodo, qvid homo credere debeat propter adipiſcendam vitam beatam, qvæ non niſi æterna eſt: aliud autem ſcire, qvemadmodum hoc ipſum & piis opituletur, & contra impios defendatur. Qvam proprio appellare vocabulo ſcientiam videtur Apoſtolus.*

LXII. Sed in hoc ſtudio plurimi abusûs & παραπτώματα irrepſerunt, qvæ integritatem ejus & ſanctitatem peſſimè corrumpunt, qvæque proinde ab omnibus ejus Sectatoribus vitari qvam maximè debent. Primum eſt, quod ſcribendi, ſcripturaſque explicandi ratio, qvæ ab initio ſimplex, aperta & ſuccincta apud Chriſtianos fuit, brevi immutata eſt, & ſubtilitatis ornamentorumque humanorum ſordes contra-

xit. Graviter idipſum queritur Gregorius Nazianzenus: *Fuit qvondam tempus, cùm res noſtræ florerent, ac præclarè ſe haberent, cùm nimirum ſuperflua hæc & verborum lepore atq; arte fucata tractandæ Theologiæ ratio ad divinas cauſas ne aditum qvidem habebat: Verum idem erat calculis ludere inverſionis celeritate aſpectum fallentibus, aut omnigenis & laſcivis corporis flexibus ſpectatores ludificari, qvod novi qvidpiam & curioſi de DEO vel dicere vel audire. Simplex contra ingenuaq; oratio atq; doctrina pietas exiſtimabatur. At poſtqvam Sexti & Pyrrhones & contradicendi libidine incitata lingva, velut gravis qvidam ac malignus morbus in Eccleſias noſtras infeliciter obrepſit, qvodq; Actorum liber de Athenienſibus narrat, ad nihil aliud vocamus, qvàm ad novi aliqvid dicendum vel audiendum, ô qvis Hieremias confuſionem noſtram caliginemq; deplorabit, qvi ſolus lamentationes calamitatibus exæqvare novit?*

LXIII. Pertinent huc inanes illæ, & inficetæ haud rarò atque temerariæ diſputationes, quibus interpretes Magiſtri ſententiarum, qvos Scholaſticos vulgò vocamus, per ocioſas, ſuperfluas & inextricabiles quæſtiones ſanctam & puram Theologiam peſſimè contaminârunt, imò ſordidis verbis ſimul & ſententiis conſpurcârunt. Jamdiu monuit Johannes Gerſon, Cancellarius Pariſienſis Vir doctiſſimus, ne tractentur ita communiter doctrinæ inutiles ſine fructu & ſoliditate, *qvoniam,* ait, *per eas doctrinæ ad ſalutem neceſſariæ, & utiles deſeruntur. Neſciunt neceſſaria, qvia ſupervacua didicêrunt,* inquit *Seneca. Secundò, per eas Studentes ſeducuntur, qvia ſcil. putant, illos principaliter eſſe Theologos, qvi talibus ſe dant ſpretâ Bibliâ & aliis Doctoribus. III. Per eas termini à ſanctis Patribus uſitati tranſmutantur, contra illud Auguſtini: Nobis ad certam regulam loqvi fas eſt. Et non ſeqvitur velocior ſcientiæ alicujus corruptio, qvàm per hæc. IV. Per eas Theologi ab aliis Facultatibus irridentur. Nam ideò appellantur phantaſtici, & dicuntur nihil ſcire de ſolidâ veritate, & moralibus & Bibliâ. V. Per eas viæ errorum multiplices aperiuntur: qvia enim loqvuntur & fingunt ſibi ad placitum terminos, qvos alii Doctores & Magiſtri non intelligunt, nec intelligere curant, dicunt incredibilia & abſurdiſſima, qvæ ex ſuis abſurdis fictionibus deducunt, ſeqvi. VI. Per eas Eccleſia & fides neq; intus neq; foris adificantur. VII. Per eas multi ex Theologis tàm activè qvàm paſſivè ſcandalizantur. Nam alii rudes vocantur ab aliis, & alii econtra curioſi & phantaſtici, &c.* Similia habet Georgius Wicelius *in viâ regiâ* paſſim. Scholaſticam enim Theologiam maximis abuſibus involutam negare nequeunt Pontificii recentiores, Melchior Canus Epiſcopus Canarienſis *l. 8. Loc.*

Loc. Theol. c. 1. & lib. 9. c. 1. Dominicus Soto *præfat. in libb. de nat. & grat.* Alfonſ. Salmero *comm. in hiſtor. Evangel. prolog. q. qvinq. 1. can. 15.* Gabr. Vazqvez *diſp. 3. in 1. part. Thom. c. 3.* Leonh. Marius *prolegom. in S. Script. q. 8. ſect. 3. n. 10.* Cornel. Muſſus Epiſcopus Bitontinus *in Epiſt. ad Rom. c. 6. pag. 279.*

LXIV. Secundus abuſus inter ſtudioſos Theologiæ notari poteſt iſte, quod è præpoſterâ λέξει prodire ſoleant ad præproperam praxin adoleſcentuli adhuc, & ex muſteâ ætate vix egreſſi divinoque; quod ſuſcipiunt, miniſterio parum apti. Hinc adeò videbis ſæpenumero & audies oratores valdè jejunos, ridiculos, myſteria divina inconſideratè & ineptè proponentes, & cruda adhuc ſtudia juvenili impetu in ambonem atqve ſuggeſtum protrudentes. *Pudore ſuffuſus ſum*, ait *in apologetico* Gregorius Nazianzenus, *in multis, qvi cum cæteris nihilo ſint meliores, imò præclarè cum illis agitur, ſi non multo ſint deteriores, illotis ſe, qvod dicitur, manibus, ac profanis nec initiatis mentibus rebus ſacris ingerunt: & anteqvam digni ſint, qvi Templa adeant, thronum ambiunt Epiſcopalem. Trudunt, obtrudunt, & impellunt ſe ad menſam ſacram, ac ſi perſvaſum haberent, eſſe hunc ordinem non virtutis typum ſed ad victum comparatam rationem: nec miniſterium rationi reddendæ obnoxium, ſed imperium abſolutum, nec ſubjectum ratiocinio, ſuntq; ferè numero plures, qvàm ſint, qvibus præficiantur. Qvoad pietatem miſeri; qvoad claritudinem infelices, adeò, ut qvod mihi videtur, progreſſu temporis & augeſcente malo, nemo planè relinqvatur, qvibus praeſſe poſſint, cùm ſinguli doceant, ſinguli prophetent, ita ut etiam Saul inter Prophetas habeatur.*

LXV. Tertium in hoc ſtudio vitium eſt, qvod tàm crebræ & inexplicabiles, ex leviculâ ſæpè causâ, inter Theologos excitentur contentiones, atqve diſſidia. Suas propoſitiones, non ſatis conſideratè haud raró expoſitas, unuſquiſque, ne erraſſe videatur, mordicus defendit, alter iſtum ad palinodiam adigere, aut ſchiſmatis & hæreſeos notam inurere haud veretur. Nam illico ſolent hoc terrere fulmine, etiam in re nullius momenti, ſi cui ſunt parum propitii. Iſtiuſmodi rixis, conviciis, obtrectationibus, ſycophantiis, technis, mendaciis, depravationibus, qvid aliud efficitur, niſi qvod labefactatur ipſorũ autoritas, qvam oportebat eſſe graviſſimam, inficiuntur auditorum & Lectorum animi, qvos oportebat ad pietatem excitari, diſcinditur Chriſtiana concordia, ſine qvâ Chsiſtiani non ſumus. Ex his litigiis triſti ut plurimum eventu experimur, qvam facile ſit rixas concitare inter fratres, qvam ſit difficile excitatas ſedare. Sed præſtat, τὸν-

τὴν καμαρίναν μὴ κινεῖν, & divino numini Eccleſiam tot hæreſibus undiqve afflictam committere. Ipſe conſervabit eandem inter plurimas haſce procellas incolumem.

LXVI. Qvod ſtudium jurisprudentiæ attinet, ſtatuerat Alexander III Pontifex in Concilio Turonenſi, religioſis non eſſe permittendum, ſi extra clauſtra ſua degere & leges civiles addiſcere velint. Verba integra habentur in append. ad Concil. Lateran. III. *part. 27. c. 2. tom. 3. Concil.* & referuntur *c. 3. X. ne cler. vel mon.* Eam conſtitutionem latiùs extendit Honorius III Pontifex ad Archidiaconos, Decanos, plebanos, præpoſitos, cantores & alios Clericos perſonatûs habentes, nec non ad presbyteros *c. ult. X. ne clerici vel monachi.* Rationem reddit ipſe Pontifex, ut Theologiæ ſtudium amplietur, h. e. ut Clerici Theologiæ magis incumbant, qvippe qvæ neceſſaria magis eſt ad muneris ſui functionem. Non effugere hâc ſuâ conſtitutione potuit Pontifex acrem Odofredi Beneventani cenſuram, qvi ſcribit, Honorium non aliter ac vulpem feciſſe, qvæ cum uvas proceræ cujuſdam vitis decerpere diu fruſtra conata eſſet, tandem eas contemſit ac damnavit, qvod ſibi acerbiores viderentur, tacitè hoc apologo notans ignorantiam juris in Pontifice, uti refert Franciſcus Duarenus, *de ſacr. Eccleſ. miniſt. lib. 4. c. 2.* qvi id tamen de Pontifice aſſerere religioni ducit, eumqve ſeqvitur Claudius Eſpencæus *lib. 2. digreſſ. c. 9.*

LXVII. Sed ab hâc Pontificis prohibitione plurimos excipiunt Canoniſtæ, qvibus hanc legem dictam non fuiſſe contendunt. Et primùm qvidem excipiunt eos, qvi in camerâ & domi ſuæ juri Cæſareo operam dant, ut eo melius Canonica decreta intelligant. Auguſtin. Barboſa *ad c. ult. X. ne cler. vel mon.* Joh. Honor. van Axel *ad eund. tit. n. 10.* At ſi hæc ſolida fuerit ratio prohibitionis, ut Theologiæ ſtudium magis excolatur, exceptio illa parum firma erit. Neqve probare inde poſſum praxin curiæ Romanæ, qvæ atteſtante Goffredo de Trano *in ſumm. huj. tit.* excipit beneficium, qvod habet annexam curam animarum, & tali beneficiato permittit ſtudium jurisprudentiæ. Qvaſi verò cura animarum ſtudium Theologiæ ita intenſum non exigeret. Et ipſe tamen Bonifacius VIII Pontifex ſimiliter eos, qvi parochiales Eccleſias habent, exceptos voluit. *c. 1. eod. in 6.* Rationem ejus conſtitutionis admodum jejunam reddit Joh. Bapt. Vivianus, qvia rectores parochialium dignitatem non habeant, ac ſi in dignitate fundata eſſet prohibitio Honorii. Deinde excipiunt Canoniſtæ etiam docentes, qvod Conſtitutio Pontificia tantùm de diſcentibus agat,

gat, & vetitum nullibi ſit, Clericos docere juriſprudentiam. Barboſa *d. l.* H. Zoeſ. *ad eund. tit. n. 4.* At verò non alia eſt ratio in docentibus, qvàm in diſcentibus & audientibus, qvin videtur ea haud paulo urgentior in docentibus, qvòd ab illis ſtudium magis accuratum & multo ſolidius exigatur.

LXVIII. Cæterùm, qvia utrumqve ſtudium, Theologicum & juridicum, totum hominem reqvirit, & Clericus in illo occupatiſſimus eſſe debet, nòn videtur inepta ratio prohibitionis, qvam adducit Pontifex. Et ut maximè ſtatuas, prima ſaltem juriſprudentiæ rudimenta a Clericis addiſci debere, ne omninò rudes atqve imperiti rerum qvotidiè occurrentium exiſtant, vereor ego, ne ea ſuperficialis cognitio plus detrimenti afferat Reip. dum illi negocia humana accuratè diſtingvere neſcientes, alienum ſæpenumero & in diverſa abeuntem ſibi formabunt conceptum, acerrimè eum defenſuri, ſi contradictorem invenerint. Ut taceam, admodum difficilem & periculoſum eſſe terminorum & vocabulorum juridicorum uſum, niſi qvis probè in illis exercitatus fuerit. Latinè loqvuntur JCti omnes, nec inficetè aut barbarè, ſed ita, ut ſingulari interpretatione opus ſit, qvam fruſtra expectabis à Grammaticis, etiam πολυπραγμονεστάτοις Atqve hinc ego aſſerere vix auſim, ex primis juris rudimentis tantum proficere poſſe Theologum, ut judicare deinceps de negociis qvotidiè occurentibus nullis cujuſqvam adminiculis qveat. Ut proinde ſatius ſit abſtinere ab arte iſtâ, qvàm inepto uſu eam dehoneſtare & proſtituere.

LXIX. De Medicinâ idem qvod de juriſprudentiâ ſtatuunt nonnulli, eâdem ſcil. ratione & ſub iiſdem exceptionibus Clericis eam eſſe prohibitam. Qvod enim de phyſicâ dicitur in dictis conſtitutionibus, id de medicinâ interpretatur Carolus Antonius Theſaurus, *prax. Eccleſ. part. 2. verb. Studia cap. 2. in pr.* Neqve id fit refragante textu, qvippe qvi in *d. c. 3. X. ne cler. vel mon.* diſertè mentionem facit confectionū phyſicalium, hoc eſt, medicamentorum. Olim enim non ita diſtincta erant, uti nunc ſunt, munera medentium & præparantium pharmaca, ipſis etiam medicis domi pharmaca conficientib9. Dn. Conring *de Hermet. medic. cap. 21.* Et certè ſi firma & valida eſt ratio Pontificis, ideò ſcil. prohiberi debere juriſprudentiæ ſtudium, ut eo magis Theologiæ ſtudium à Clericis excolatur, firma etiam erit illa & valida qvoad medicam Facultatem, qvippe à qvâ haud pauciora, & fortè multo plura impedimenta metuenda ſunt, cùm & delectet ſtudium iſtud, & utile ſit atqve proficuum. Id autem, qvod delectat, animum hominis plerumqve occupat, & ad ſe

Ff etiam

etiam repugnantem trahit. In genere autem ſtatuunt Doctores, non licere Clericis medicare h. e. praxin medicam exercere, niſi gratis, aut pro miſerabilibus perſonis, aut pro conſangvineis, qvin neqve in horum gratiam licere ubi aliqvod imminet periculum. Guil. Redoan. *de ſpol. q. 2. n. 92.* Proſp. Farinac. *fragment. Crim. part. 1. verb. Clericus n. 210.*

LXX. De arte chirurgicâ expreſſi habentur textus *in c. pen. X. ne cler. vel mon. & c. 19. X. de homicid.* exerceri eam per aduſtionem vel inciſionem à Clerico non poſſe. In ratione indagandâ curioſus eſt Panormitanus *ad d. c. pen. num. 21.* eamq; ſtatuit triplicem, 1. Propter periculum erroris, qvod ei arti ineſt, 2. Propter lubricum conſcientiæ, 3. Propter dubium curationis eventum. Qvibus addit qvartam, qvod ſit officium ſeculare, & qvintam, qvod Clerici debeant eſſe medici animarum, non corporum. Nulla harum rationum ſatis apta videtur. Priores enim tres æqvè applicari poſſunt qvibusvis aliis perſonis, ut concludi hinc poſſet, nemini omninò Chirurgiam diſcere & exercere licere. Qvarta firmiter non concludit, cum non omne officium ſeculare prohibitum nec prohiberi poſſit Clericis. Et qvinta animam & corpus, ut incompatibilia temerè opponit. Mihi ratio, qvæ ex textu elicitur, videtur intentioni Pontificis convenientiſſima, ideo ſcil. ab arte chirurgicâ abſtinere debere Clericos, qvia aduſtio & inciſio ſangvinem provocat, à cujus effuſione procul eſſe jubentur clerici. Anton. Mornac. *ad l. 6. §. 7. ff. de offic. Præſ.* Sed & hanc rationem non eſſe univerſalem nec perpetuam, oſtendunt tot exceptiones, qvas faciunt Canoniſtæ, uti videre licet apud Nicolaum Rodriguez Fermoſin. *ad c. 7. X. de ætat. & qval. ordin.* Stephan. de Avila *de cenſur. part. 7. diſp. 6. ſect. 1. dub. 10.* Nobis ratio prohibitionis omnium optima videtur generalis iſta, qvod propter Theologiæ ſtudium plus habeat Clericus, qvod agat, qvàm ut alii rei incumbere qveat. Qvæ tamen ratio non excludit caſum neceſſitatis & charitatis.

LXXI. Philoſophiam multum conferre ad Theologiæ ſtudium notius eſt, qvàm ut operosè demonſtrari debeat. Nec negari tamen poteſt, per abuſum ejus maxima ſæpè religioni Chriſtianæ oborta fuiſſe mala. Nec enim temerè & ſine ratione in Philoſophorum autoritatem invehitur Tertullianus, qvando eos mancipes vocat ſapientiæ, ac non niſi conjecturis, ſuſpicionibus, perplexiloqviis egiſſe contendit, qvoſqve proinde Patriarchas hæreticorum, & alibi gloriæ animalia vocat. Nec multum abludunt Patres alii, qvi peripateticam etiam philoſophiam

phiam non adeò bonis elogiis commendant. Idqve vel ex ſolo Juſtino Philoſopho & Martyre liqvet, cujus ἀνατροπὴ δογμάτων τινῶν Ἀριστοτελικῶν hodieqve extat, in qvâ Stagiritam μηδὲν ἀληθεύειν, περὶ ὧν διείληφε διορίσασθαι πραγμάτων diſertè ſcribit, qvod nihil veri de rebus, qvas ſibi definiendas ſumſerit, in libris acroamaticis afferat. Nec aliter ſtatuérunt Theologi Pariſienſes, qvi circa id tempus qvo Sorbone Collegium inſtitutum eſt, Ariſtotelis phyſicos & metaphyſicos libros prorſus damnavérunt, uti ex Rogeri Bachonis Franciſcani manuſcripto refert Joannes Seldenus *de jur. nat. & gent. lib. 1. cap. 2.*

LXXII. Viciſſim verò maximè laudata fuit ab aliis ſanior philoſophia. Clemens Alexandrinus *lib. 1. Stromat.* divinam ſapientiam i. e. Chriſtum, & philoſophiam rationis humanæ opus ita inter ſe confert, ut illam Soli, fonti lucis, hanc autem lucernæ vel lampadi, qvarum ratio ab hominibus Solem æmulatis excogitata eſt, comparet. Et certè philoſophos multa ab Hebræis didiciſſe, indeqve diſciplinas ſuas condidiſſe, atqve ex lumine naturæ ſtricturas aliqvas addidiſſe plurimis exemplis comprobat Seldenus *d. l.* Legis ipſius per Moſem datæ, ac rituum tùm alibi nonnulla extant, tum apud Pythagoricos plurima, uti talia collegit Hugo Grotius *de ver. rel. Chriſt. lib. 1. in not.* Atqve hinc philoſophiam nullatenus damnari debere, nec alienam imò utilem eſſe Chriſtianis, docet Juſtus Lipſius *manduct. ad Stoic. philoſ. lib. 1. diſſ. 3.* Imò vero documenta pietatis Chriſtianæ Græci Patres, maximè Chryſoſtomus, ſæpè φιλοσοφίαν dixérunt, & per vitam κατὰ φιλοσοφίαν intellectam voluérunt, vitam actam ex DEI mandato & timore. Nec refert, maximas hæreſes à Philoſophis introductas eſſe, cùm per philoſophiam eædem ſæpè oppreſſæ ſint. Valentinus Platonicæ philoſophiæ Sectator oppugnaverat Eccleſiam, ſed Juſtinus Philoſophus & Irenæus itidem Philoſophus defendit. Marcian Stoicus Chriſtianam impetiit veritatem; Sed Tertullianus Philoſophus confecit hoſtem. Celſus Philoſophus univerſam Chriſti doctrinam non ferendis conviciis laceravit; ſed Origenes melior philoſophus illius blaſphemias diſcuſſit. Caſp. Barlæus *in method. mor. p. 505.* qvamqvam, ſi verum fateri liceat, non tàm ex philoſophiâ, qvàm per philoſophiam iſtæ victoriæ in rebus Theologicis partæ fuerint, & philoſophia non tàm principia, qvam methodum argumentandi ſuppeditaverit.

LXXIII. Ut maximè verò Philoſophorum nonnulli inter gentiles elegantiſſimas morum regulas, aliaq; Chriſtianis principiis valdè cognata dogmata propoſuerint, nulla tamen

de eorum ſalute concipi tanta ſpes poteſt, qvanta de illis, qvi Chriſto nomen dedérunt, & ex revelatâ Theologiâ fidem ſalvificam accepérunt. Imò qvia extra Chriſtianam Eccleſiam non eſt ſalus, nulla omninò de eorum, qvi extra Eccleſiam ſunt, ſalute concipi ſpes poteſt. Profitetur Eraſmus, ſe ſibi temperare vix poſſe, qvin, cùm legat qvædam ſanctè & religioſè à Socrate uſurpata apud Platonem vel alios, exclamet: Sancte Socrates ora pro me, *in colloq. Religioſ.* De Ciceronis qvoq; animâ dubitat, ubi, aut qvo modo nunc agat, *in præfat. qvæſt. Tuſc.* Refert Balæus Colonienſes Theologos annumeraſſe Divis Ariſtotelem, & librum etiam typis evulgaſſe, cui titulum fecerint: *De ſalute Ariſtotelis.* Alium etiam librum eoſdem illos ſcripſiſſe: *de vitâ & morte Ariſtotelis*, in cujus calce legeretur illud: Ariſtotelem ſic fuiſſe Chriſti præcurſorem in naturalibus, qvemadmodum Baptiſta fuerit in iis, qvæ ex gratiâ obveniunt. Sed & Clemens Alexandrinus Stromat. *lib. 5. 6. 7.* probatiores gentilium, uti Socratem & huic ſimiles, cœlo receptos cenſet, qvod & ſtatuit Juſtinus Martyr in utrâq; apologiâ. Verum hæc ſententia & à cæteris patribus olim, Auguſtini præſertim ætate, damnata fuit, & hodiè communi Theologorum judicio improbatur. Vid. Gerhard. Joh. Voſſius, *in hiſtor. Pelag. lib. 3. part. 3. n. 11.*

LXXIV. Non igitur eum in finem legenda ſunt ſcripta gentilium philoſophica, ut inde, qvæ ad ſalutem neceſſaria ſunt, addiſcantur, ſed ut utilia, qvæ in eis inveniuntur, ad uſum ſacræ eruditionis devotè vertantur. Cùm enim ex divinis ſcripturis integram qvis & firmam regulam veritatis ſuſceperit, abſurdum non erit, ſi aliqvid etiam ex eruditione communi ac liberalibus ſtudiis, qvæ fortè etiam in pueritiâ attigit, ad aſſertionem veri dogmatis conferat. *c. relatum, in fin. diſt. 37.* Add. Claud. Eſpencæus *tr. de profectu ex gentilium librorum lectione percipiendo, in ejuſd. oper. pag. 986.* Danhauer *in Theol. conſcient. part. 2. dial. 3. q. 2.* Neq; ad literam, & prout verba ſonant, accipiendum eſt, qvod de ſeipſo refert Hieronymus in epiſtolâ ad Euſtochium, nobilem virginem, ſe ſcilicet, qvod ſecularium literarũ libros ſtudioſiùs legeret, protractũ fuiſſe ad tribunal Domini, ibiq; acriter cæſum acerbas ejus peccati pœnas dediſſe. *Nec verò*, inqvit, *ſopor ille fuerat, aut vana ſomnia, qvibus ſæpè deludimur. Teſtis eſt tribunal illud, ante qvod jacui, teſtis judicium triſte, qvod timui. Ita mihi nunqvam contingat in talem incidere qvæſtionem, liventes fateor me habuiſſe ſcapulas, plagas ſenſiſſe poſt ſomnum, & tanto dehinc ſtudio divina legiſſe, qvanto non ante mortalia legeram, &c.* Sed enim ex iis qvæ idem alibi dicit, apparet, nihil aliud fuiſſe iſtud, qvàm inſomnium & noctis ludibrium. Vid. Joh. Dallæus *de vero uſu Patr. cap. 5. pag. 142.*

LXXV.

LXXV. Ut ad ſingulas diſciplinas Philoſophicas in ſpecie deſcendamus, & cujusqve uſum atqve utilitatem deſcribamus, neceſſe non eſt. Habet unaqvæqve, qvod conferat, & qvod emolumento eſſe poſſit, una tamen ſæpè plus, qvàm altera. Potiſſimas ſibi partes vindicat Logica & Metaphyſica. Nam, ut rectè monet Auguſtinus *lib. 2. de doctr. Chriſt. cap. 34. Qvidam plerumqve retinentes veram ſententiam malè ſe contemnunt* (h.e. contemptui ſe exponunt) *qvia leges concluſionis ignorant.* Et paulo ante *cap. 31.* ita diſſerit: *Diſputationis diſciplina ad omnia genera qvæſtionum, qvæ in literis ſanctis ſunt penetranda & diſſolvenda, plurimùm valet: tantùm ibi cavenda eſt libido rixandi & puerilis qvædam oſtentatio decipiendi adverſarium, &c.* Sed nec metaphyſicâ carere poterit Theologus. Qvò enim ea generalior eſt doctrina, & terminos univerſaliores exponit, eò major ejus uſus eſt & neceſſitas. Neqve negari poteſt, eſſe eam ſapientiam univerſaliſſimam de primis communiſſimis principiis ubiqve & in omni genere diſciplinarum locum habentibus, de terminorum generaliſſimorum naturâ & proprietatibus, de diſtinctionibus univerſalibus paſſim occurrentibus, & de variis axiomatibus ad qvæſvis cauſarum figuras explicandas aptis & ex hoc cognitu maximè neceſſariis.

LXXVI. In his ſtudiis, qvibus Theologia magis magisqve excolitur, qvotidiana verſari debet Clericorum πραγματεία. Nec enim unqvam ſatiari poterit cupiditas diſcendi, neqve expleri animus divinis myſteriis intentus. Infinita eſt rerum erudito homini neceſſariarum copia, & nemo eſt, qvi non verum iſtud experitur Solonis: γηράσκω ἀεὶ πολλὰ διδασκόμενος. Ut valdè mirer, reperiri qvotidiè inter ſacrarum literarum Doctores, homines qvosdam præpoſterâ eruditione imbutos, magnâ nimirum mercede doctos nihil ſcire, craſsâ Minervâ, ſenſu etiam vix communi, ſed Deum immortalem, qvàm cervicoſâ arrogantiâ, qvanto ſupercilio, qvippe qvi ſibi unà cum inani nomine conſummatæ doctrinæ, & cui nihil omninò addi poſſit, falſiſſimam perſvaſionem induxérunt. Laudanda magis eorum indoles, qvi, dum multa ſciunt, plurima ſe neſcire non profitentur tantùm, ſed etiam perſvaſum habent. Et hoc qvàm maximè decet Clericos, qvippe qvorum ſtudium tàm amplum eſt, & tàm abſtruſum ſæpè atqve intricatum, ut unius hominis vita illi vix ſufficiat. Cæterùm qvæ de Clericis in genere plerumqve hactenus diximus, univerſa ea Diaconorum ordini, de qvo noſtra hæc tractatio inſtituta fuit, applicare perqvam facile eſt,

qvippe qvi clericorum nomine comprehenduntur. *Novell. 123. cap. 19.*

LXXVII. In reliqvâ vitâ ita ſe gerant diaconi, ut Eccleſiæ miniſtros decet. In converſatione maximè ſibi temperent, ne promiſcuè ſe familiares cuiqve faciant, neve moribus ſuis cuiqvam offendiculo ſint, ſed mage ut vita doctrinæ reſpondeat. Non confundant opera ſermonem tuum, ait Hieronymus *ad Nepot. epiſt. 2.* ne, cum in Eccleſiâ loqveris, tacitus qvilibet reſpondeat, cur ergò hæc, qvæ dicis, ipſe non facis? Sanè qvod de Philoſophis contaminatæ vitæ dixit Seneca, *epiſt. 108.* id de ejusmodi Clericis non malè qvis intelliget: *Nullos pejus mereri de omnibus mortalibus judico, qvàm qvi philoſophiam velut aliqvod artificium venale didicérunt, qvi aliter vivunt, qvàm vivendum eſſe præcipiunt: exempla enim ſe ipſos inutilis diſciplinæ circumferunt.* Alibi, *epiſt. 6.* laudat exempla Philiſophorum, qvod plus vitæ inſtituto & moribus, qvàm informatione in animis auditorum profecerint. *Zenonem*, inqvit, *Cleanthes non expreſſiſſet, ſi eum tantùm audiſſet. Vitæ ejus interfuit, ſecreta perſpexit, obſervavit illum, an ex formulâ ſuâ viveret. Plato & Ariſtoteles & omnis in diverſum itura ſapientium turba plus ex moribus, qvàm ex verbis Socratis traxit. Metrodorum & Hermachum & Polyænum magnos Viros non ſchola Epicuri, ſed contubernium fecit, &c.*

LXXVIII. Inprimis verò ſibi caveat Diaconus, ne cum perditæ vitæ hominibus nimiam contrahat familiaritatem, neve qvotidiano eorum utatur conſortio. Qvi verè ſtudioſus eſt honeſtatis & pietatis, ille cum piis & honeſtis converſatur, inhoneſtorum autem & infamium commercia vitat. Imitetur Gregorium & Baſilium Athenis commorantes. Erant illi contubernales, commenſales, concordes, unum idemqve ſpectantes. *Non cum petulantisſimis qvibusq; ſodalium*, inqvit Gregorius, *conſvetudinem habebamus, ſed cum modeſtisſimis & temperantisſimis, neqve cum pugnacisſimis, ſed cum pacatisſimis, & cum qvibus converſari maximos fructus afferret: gnari videlicet, multo facilius vitium contrahi, qvàm virtutem communicari, qvemadmodum promtius qvoqve eſt morbido contagio affici, qvàm remedium conſeqvi, &c.* Fateor, non poſſe nec debere omne profligatorum hominum conſortium â diacono evitari, cùm utiqve ipſius officium ſit, errantes in viam reducere, & monitionibus atqve exemplis DEO eos lucrifacere, ut pudore ſuffundantur atqve convertantur. At enim longè alia hæc eſt converſatio, qvàm familiaris illa, qvam interdicimus. Qvi ita converſantur, ut moneant & arguant, & â peccatis retrahant, illi nul-

nullam reprehenſionem merentur; at familiariter talibus adſveſcere, & arctiorem amicitiam contrahere nemo poteſt alius, niſi qvi iisdem vitiis gaudet, eademqve flagitia committere haut veretur. Conf. Danhauer *Theol. conſcient. part. 2. dial. 3. ſect. 2. num. 4.*

LXXIX. In conviviis â crapulâ & ebrietate omnes Clerici diligenter abſtineant, unde vinum ſibi temperent & ſe vino. Nec ad bibendum qvispiam incitetur, cùm ebrietas & mentis inducat exilium, & libidinis provocet incentivum. Unde prorſus abolendus eſt ille abuſus, qvo in qvibusdam partibus ad potûs æqvales ſe obligant potatores, & ille judicio talium plus laudatur, qvi plures inebriat, & calices fœcundiores exhaurit. Sunt verba Innocentii III, *in c. 14. X. de vit. & hon. cler.* Tale certamen qvi ſuſcipiebant, ad pinnas bibere dicebantur, qvemadmodum aves paribus pinnis, i. e. æqvaliter expanſis alis volitare ſolent. Ita in Synodo Londinenſi an. MCII ſtatutum legitur, ut presbyteri non eant ad potationes, nec ad pinnas bibant, apud Wilh. Malmesbur. *l. 1. de geſt. Pontif. Angl.* Nec verò qvicqvam magis dedecet perſonas Eccleſiaſticas, qvam ejusmodi compotationes, ubi conviva cogitur bibere, qvantum præſcribitur, & ſibi qvisqve nocet, ut alterum in noxam pertrahat. Idem prohibitum olim in Concilio Nannetenſi: *Nullus presbyterorum qvando ad anniverſarium diem alicujus defuncti, aut qvâcumqve vocatione ad collectam convenerit, ſe inebriare ullatenus præſumat: nec precatus amore ſanctorum vel ipſius animæ bibere, aut alios ad bibendum cogere, vel ſe alienâ precatione ingurgitare, nec plauſus & riſus incognitos & fabulas inanes ibi referre, aut cantare præſumat: aut turpia joca vel urſo vel tornatricibus ante ſe fieri patiatur, nec larvas dæmonum ante ſe ferri conſentiat: qvia hoc diabolicum eſt, & ſacris canonibus prohibitum*, apud Gratianum *c. nullus diſt. 44. & c. nullus de conſecrat. diſt. 5.*

LXXX. In Concilio Laodiceno *can. 55.* ſtatutum fuit, non licere ſacratis & clericis ſed neqve Laicis ex collatione (ἐκ συμβολῆς) convivia peragere. *cap. non oportet diſt. 44.* Symbolas ibi interpretatur Gratianus, qvæ vulgus comeſſalia appellabat. Cænæ namqve tùm apud Græcos, tùm apud Latinos aliæ fuérunt convivatoris ſumptu apparatæ atqve inſtructæ; aliæ, in qvas ſuam qvisqve partem conferebat. Has ἱερὰς, illas ἐιλαπίνας appellant Græci. In ἐράνῳ id qvod confertur â convivis, συμβολὴν Græci & Symbolam Latini nominant, uſu capto vocabulo, collectam Latino & proprio. Tales cœnæ ſymbolicæ valdè freqventes olim fuerunt inter Philoſophos, uti ex multis A Gellii locis colli-

colligere licet, in qvibus varie de jucundis qvibusdam & lepidis qvæſtionibus diſſerere ſolebant. Qvalia convivia ſi inſtituiſſent Clerici, & ex profeſſione ſuâ diſqviſitiones moviſſent, non puto, interdicto locum fuiſſe, qvod reprehendi illa omninò neqveant. *c. convivia, & c. qvando diſt. 44.* Poſtqvam autem in his temperantiæ finibus contineri non poſſent convivia Clericorum, ſed ideò ſymbolæ â pluribus conferrentur, ut exqviſitis epulis menſæ inſtructæ eſſent, & inde ebrietatis, voracitatisqve ac aliorum criminum cauſa naſceretur, uti ad dictum canonem Laodicenum commentatur Zonaras, *συμφόρητα* ejusmodi *δεῖπνα* prohiberi omninò oportuit.

LXXXI. Obiter noto, in vetuſtiſſimis Chriſtianorum conviviis, qvæ agapæ dicebantur, aliqvam fuiſſe Clericorum prærogativam & honorem eximium, ſi credere oportet Clementi Romano *lib. 2. Conſtitut. apoſt. c. 28.* Verba ita habent: *Seponant in convivio Paſtori; qvod conſvetum eſt, primitias dico illius epuli tanqvam ſacerdoti, qvamvis non adſit in convivio, idqve in honorem DEI, qvi ei ſacerdotium mandavit. Qvantum verò cuiqve impertitur, altero tanto plus diaconis impertiatur, ut ſit munus Chriſto. Presbyteris autem, ſi aſſiduè in ſtudio docendi verbum DEI laboraverint, ſeponatur dupla etiam portio in gratiam Apoſtolorum Chriſti, qvorum locum tenent, tanqvam conſiliarii Epiſcopi, & Eccleſiæ corona. Sunt enim Conſilium & Senatus Eccleſiæ. Si autem & Lector eſt, is partem unam in honorem Prophetarum accipiat, item Cantor & januæ cuſtos, &c.* Ex his verbis colligit Nicolaus le Maiſtre *de bon. Eccleſ. lib. 2. cap. 10.* presbyteros qvadruplum fere diaconorum accepiſſe, & ſeptem, qvi tùm fuerunt, diaconos tantundem ſumſiſſe, qvantum duo presbyteri. Id verò ex verbis nunqvam qvisqvam conficiet. Sed hæc videtur eorum eſſe interpretatio, presbyteros non minùs ac diaconos duplum accipere debere ejus portionis, qvam qvivis alius accipit, idqve ob ſpecialem honorem, qvi illis debetur.

LXXXII. Ad qvid ergò, inqvies, duplum? An, ut ingurgitent ſe cibis, & pleniore ventre diſcedant? Hoc verò præſumendum non eſt de illis, qvi temperantiæ regulas aliis præſcripſerunt, & exemplo ſuo comprobarunt. *Editur*, inqvit Tertullianus *apolog. c. 39. qvantum eſurientes cupiunt, bibitur, qvantum pudicis utile.* Et jam dixi, honoris ergò id factum fuiſſe, ut in illis Chriſti atqve Apoſtolorum reverentia obſervaretur. Nec ergò retinuiſſe videntur diaconi atqve presbyteri totum id, qvod ſibi adpoſitum fuit, ſed portione aliqvâ detractâ reliqvum reſtituerunt ſine dubio communi menſæ aut patinæ. Qvod enim putat Nicolaus le Maiſtre

Maiſtre *d. l.* Clericis & Sacerdotibus ad agapas ſolennes vocatis liberum fuiſſe, partes qvasdam & Symbola è conviviis auferre ac domum aſportare, id ex verbis allegatis non colligitur. Etſi non negem, factum id aliqvando fuiſſe per abuſum, cui abrogando ſcriptus deinceps fuit in Concilio Laodiceno *canon 27.* his verbis: *Qvod non oportet ſacerdotes aut Clericos aut Laicos ad agapen vocatos, partes tollere, eò qvod hinc Eccleſiaſtico ordini ignominia inuratur.*

LXXXIII. Cæterùm in eodem Concilio Laodiceno non prohibiti qvidem fuérunt Clerici conviviis nuptialibus intereſſe, ſed juſſi tamen fuérunt diſcedere, qvamprimùm theatrales ludi, aut alia ejusmodi ſpectacula fieri cœpiſſent. Sic enim *canone 54.* ſtatutum legitur: *Qvod non oportet Sacerdotes aut Clericos ſpectacula aliqva contemplari in nuptiis vel conviviis, ſed anteqvam thymelici ingrediantur, eos ſurgere & diſcedere.* Adducitur à Gratiano *c. non oportet, de conſecrat. diſt. 5.* Erant autem thymelici, qvi modos & ſaltationes faciebant in thymele, ſeu pulpito, orcheſtræ parte, qvod pulpitum θυμέλη vocabatur. Vid. Chriſtoph. Juſtell. ad *cod. canon. Eccleſ. univerſ. pag. 215.* Rittershuſ. *in Salvian. pag. 207.* In Concilio Venetico anno CCCCLIII, *can. 11.* & Agathenſi anno DVI, *can. 39.* ſimpliciter jubentur Clerici nuptiarum evitare convivia qvod plerumqve in illis amatoria cantentur, & obſcœni corporum motûs choreis & ſaltationibus efferantur. Verba recenſentur à Gratiano *c. pen. diſt. 34.* ex qvibus colligitur, pejora indies & vitioſiora facta fuiſſe nuptiarum ſolemnia, cùm tempore Concilii Laodiceni poſt convivia demum peracta thymelici ingrederentur, aliaqve ſpectacula ederentur.

LXXXIV. Spectaculis ita ab alio editis cùm prorſus arcerētur Clerici, qvanto magis ipſosmet illos dedecebit perſonatos ſeu larvatos incedere, atq; inſaniæ ſuæ ludibria exercere, qvod tamen factum aliqvando, etiam in ipſis Eccleſiis, notat Balſamon, *ad can. 62. Synodi VI in Trullo.* & hoc ipſo ſeculo difficile fuit abrogare ſervatum ab annis qvadringentis in Eccleſiâ Bituricenſi morem de exhibendâ Magorum, ſtellæq; ductricis imagine in Epiphaniæ ſacris, & de tribus Mariis in die reſurrectionis, uti ſcribit Mornacius *ad l. 2. ff. de conſtitut. Pp.* Nec benignè profectò excepta fuit dramatica illa Clericorum & religioſorum in Galliis proceſſio, qvam multo cum ſale refert Jac. Auguſt. Thuanus, *lib. 98. circa fin.* Addi poſſunt, qvæ refert Antonius Dadinus Alteſerra *ad c. 12. X. de vit. & honeſt. Cler.*

LXXXV. Idem ſentiendum de ludis aliis, potiſſimùm de aleâ, qvo nomine Doctores intelligunt luſum

omnem, qvi fortuitum habet exitum. Luditur aleâ, talis, cubis, teſſeris, fritillo, pecuniâ poſitâ, lupinis & argento Comico in vicem pecuniæ veræ, poſtea perſolvendæ victori. Alearum uſus antiqva res eſt, & extra operas pugnatorias conceſſa, verùm pro tempore abiit in lacrymas, multa millia extranearum nationum ſuſcipiens, ait Imperator *in l. ult. C. de aleat.* Et cùm adeò â militibus inventa qvondam alea fuerit, mirum eq idem, qvod primùm ad remittendos allevandosqve animos fuit, ad infames ſtupendasq; poſtea & fortunarum & animorum alienationes proceſſiſſe. Stultum omninò ridiculumqve ſpectaculum eſt, qvoties videmus nonnullos usqve adeò addictos, ut ſimul atqve ſtrepitum teſſerarum audierint, protinus illis cor ſaliat palpitetqve. Sed & ſenes ſæpenumero & cæcutientes vitreis etiam oculis luſitare, imò & eos, qvibus juſta chiragra articulos contudit, vicarium, qvi pro ſe talos in pyrgum mittat, mercede conducere experimur. Apud plurimas tamen gentes maximè infamis fuit luſus aleæ. Et qvidem apud Judæos ex majorum placitis furti reus habebatur, qvi ex aleâ, talis & id genus aliis ludis lucrum qvæſiviſſet, Jo. Selden. *de jur. nat. gent. & civ. lib. 6. c. 11.* & veluti infamis â teſtimonio & judiciis arcebatur. Idem *de ſynedr. l. 2. c. 9. n. 5.* Apud Romanos multa & ſevera erat Prætoris in aleatores jurisdictio, de qvâ ſpecialis in Pandectis extat titulus *de aleatoribus.* Et Juſtinianus permiſſis qvibusdam luſibus ad gloriam & virtutem ſpectantibus, luſum alearum ſtrictè prohibuit, promiſſi denegans actionem, & ſoluti permittens repetitionem non tantùm iis, qvi victi ſolvêrunt, ſed & eorum heredibus, aut his negligentibus, patri vel defenſori civitatis, & tandem fiſco, non obſtante, niſi qvinqvaginta annorum, præſcriptione, *d. l. ult.* Prohibitionis ratio ab ipſo Imperatore redditur duplex, 1. qvia permulti die noctuque ludendo ſubſtantias ſuas perdere ſolent. 2. quia ex hâc perditione in blaſphemias quandoque erumpere ſolent deſperatæ ludentium voces. Mendaciorum ſiquidem & perjuriorum mater eſt alea, & ex alienâ concupiſcentia ſua prodigit, & nullam habens patrimonii reverentiam, cùm illud effuderit ſenſim in furta delabitur & rapinas. Sunt verba Johannis Sarisber. *in policrat. l. 1. c. 5.*

LXXXVI. An putabimus ergò tales ludos tàm ſeverè quibuscunque jure civili prohibitos, Clericis permitti debere? imò verò tanto potior hîc ſubeſt ratio prohibitionis, quanto ſanctior & per diſciplinam ſubactior atque adſtrictior debet eſſe vita clericorum. Atque idcircò Juſtinianus *in novell. 123. c. 10.* ita prohibuit luſum aleæ Clericis, ut nec ſpectato-

res

res eos eſſe, aut ludentibus aliis adſidere voluerit. *Interdicimus*, inquit *ſanctiſſimis Epiſcopis, presbyteris, & diaconis & ſubdiaconis, Lectoribus, & omnibus aliis cujuslibet venerandi Collegii aut ſchematis conſtitutis, ad tabulas ludere, aut aliis ludentibus participes aut ſpectatores fieri, aut ad qvodlibet ſpectaculorum ſpectandi gratiâ venire, &c.* Conſtitutione aliqvâ anteriore, qvæ extat in *l.34. C. de Epiſc. aud.* idem Juſtinianus prolixioribus verbis in iſtos ſeculi ſui mores animadvertit. Præmittit nempe de vitâ & honeſtate Clericorum, qvales eſſe debeant, ut auditoribus ſuis exemplum ſint, qvod ſeqvantur. Deinde refert nunciatum ſibi, ex diaconis & presbyteris, imò etiam ex Epiſcopis nonnullos non vereri cubos ſeu teſſeras contrectare, & adeò pudendum atq; ipſis etiam idiotis freqventer interdictum ſpectaculum participare, alios v. communicare facientibus aut ſedere ſpectatores actûs indecori. Tandem concludit: *Sancimus, neminem neqve diaconum, neqve presbyterum, & multo magis neqve Epiſcopum audere de cætero & poſt divinam noſtram legem aut cubicare, id eſt, teſſeris ſeu aleis ludere, qvocunqve aleæ genere aut ludo, aut ita ludentibus communicare, aut converſari, aut unà recreari, aut unà cum eis agere, aut eis teſtimonium perbibere, aut intereſſe plebejis hujusmodi ſpectaculis, &c.* Sed & Leo Imperator *novell. 87.* graviter ſuccenſuit Clericis aleatoribus, in qvos propterea ſeverè animadverti voluit. *Statuimus*, inqvit, *ut qvi aleæ luſu ſacram ſortem contaminant, in monaſteria relegentur, qvam tamen relegationem triennale tempus finiat, & qvando delictum ſatis expiatum videbitur, in priſtinum ſtatum reſtituantur. At ſi rurſum in fritillo vanè tempus terere inſtituant, tanqvam piaculares ex ſacroſancto Eccleſiaſtico ſtatu omninò exturbentur, ab eoqve profligentur.*

LXXXVII. Conſimili modo etiam jure Canonico aleæ luſus Clericis eſt interdictus. Apud Gratianum *c.1. diſt.35.* legitur canon Apoſtolicus his verbis conceptus: *Epiſcopus, aut presbyter, aut diaconus aleæ atqve ebrietati deſerviens aut deſinat, aut certè damnetur.* Et Innocentius III, *c pen. X. de vit. & honeſt. Cler.* hanc præſcribit regulam: *Ad Aleas & taxillos non ludant, nec hujusmodi ludis interſint.* Et obſervat Cardinalis Hoſtienſis *in ſumma tit. de exceſſ. prælat. §. Clericus*, ſedecim crimina, qvæ in aleæ luſu freqventiora ſint, qvæqve committi â ludentibus ſoleant. Qvæ omnia cauſam dederunt prohibitioni, repetitæ ſubinde, & gravibus pœnis munitæ. Etſi verò recentiores in Eccleſiâ Latinâ Doctores canones iſtos valdè limitent, neqve Clericos ab omni alearum luſu prorſus excluſos velint, vereor tamen, ne id fiat contra inſtituta majorum, & priſtinam

Eccleſiæ diſciplinam. Et fatetur hoc Paulus Laymannus *Theol. moral. lib. 3. tr. 4. cap. 21. n. 1.* antiqvorum canonum rigori per deſvetudinem derogatum videri. Unde infert deinceps, Clericos privatim & ſine ſcandalo ex bonis patrimonialibus, aut etiam ex beneficiorum ſuorum reditibus, in qvantitate modicâ, ſpectato ſtatu ſuo & redituum copiâ, chartis ludentes, non peccare, niſi Lex dioeceſana prohibeat. Et Antoninus Diana *p. 7. tr. 9. reſ. 3. pro certo habeo,* inqvit, *ludum Clericorum, in qvo lucrum eſt moderatum, ſi expoſita pecunia non excedat moderatam qvantitatem, conſideratâ qvalitate & facultate perſonæ ludentis cenſeri poſſe licitum.* Idem ſentit H. Zoeſ. *ad pandect. de aleatorib. n. 4.* Id inqvam non videtur priſtinæ diſciplinæ conforme. Qvia enim nec adſidere licuit olim Clericis, nec ſpectare, dum ludunt alii, minùs certè decuit ipſosmet ludere, ut maximè expoſita pecunia immodica non eſſet. Sed jam diu collapſa eſt diſciplina publica, & conqviſitis undiqve argumentis recepti mores comprobantur, atqve ut convenientes magis ſtatui hominum excuſantur.

LXXXVIII. Sed an planè nullum Clericis permittemus ludum? Auguſtinus Barboſa *ad c. pen. X. de vit. & hon. Cler. n. 7.* eum permiſſum cenſet, qvi conſiſtit in ingenio aut virtute corporis, ſecutus Proſperum Farinacium *qvæſt. 109. n. 103.* At enim id ſimpliciter ita affirmari non poteſt. Tales enim ludos plures enumerat Juſtinianus *in l. ult. C. de aleat.* ſed qvos ipſe Clericis vix permiſiſſet Imperator. Maximè placet, qvod attendi hîc vult Joan. Sarisberienſis *in policrat. lib. 1. c. 5. Eſt tamen,* inqvit, *cùm in aliqvâ ſpecie ſui licenter admittitur, ſi abſqve vitio curarum gravium pondus alleviet, & ſine virtutis diſpendio jocundam interpolationem afferat gaudiorum. Omnis verò licentia moderationis ſuffragio convaleſcit, & ſolida virtutis uſus ab intemperantiâ deformatur. Totius verò licentiæ moderatrix eſt loci, temporis, modi, perſonæ, & cauſæ præmiſſa inſpectio, qvæ omnium negociorum faciem decorâ venuſtate commendat, aut turpitudinis condemnat opprobrio. Eſt ergò in ſingulis plurimùm habenda ratio perſonarum, cùm natura, conditio, fortuna, ſuis ſingulæ hominem induant perſonis, ex qvibus qvid ſe deceat, uniuscujusqve erit colligere. Decorum ſiqvidem aliunde non provenit, &c.* Καὶ ταῦτα μὲν δὴ ταύτῃ.

LXXXIX. Potuiſſent enim verò addi multo plura, qvæ ad præſentem ſtatum faciunt, cùm infinita ſint ſtudiorum genera, qvibus occupari humana ingenia ſolent. Ea verò utrum miniſtros Eccleſiæ deceant, & ab illis perinde, ut à Laicis exerceri qveant, inter morum formatores freqvens eſt disqviſitio. Neqve inſubidum hîc eſſet, ſingula ea accuratiùs hîc conſiderare,

&

& qvouſqve vitam & honeſtatem Clericorum exornent aut dedecorent, primis ſaltem apicibus delineare. Sed qvia præter intentionem noſtra hæc tractatio excrevit, & qvæ reſtant, adhuc penè infinita ſunt, de pleriſqve autem illis, ob ſimilitudinem, ex iis, qvæ dicta ſunt, judicari commodè poteſt, excuſationem facilè merebimur, qvod pedem hîc figamus, & ulteriorem hujus capitis extenſionem benevolo Lectori relinqvamus. Et vereor ego, ut tractari omnia ad cujuſqve placitum qveant. Plurimum enim hic facit opinio hominum, plurimum conſvetudo, plurimum mores recepti; & contingere adeò poteſt, ut turpe ubiqve non ſit, qvod turpe alicubi eſt.

XC. Illud unum addo, turpe viſum Bernhardo *in epiſt. 78.* qvam ſcripſit ad Sugerium Abbatem S. Dionyſii, cùm audiviſſet, diaconum aliqvem aulicis adhibitum fuiſſe miniſteriis. *Par ſatis*, inqvit, *utrobiq; abuſio, ſive qvod diaconus menſæ regiæ deputetur miniſterio, ſive qvod Regis dapifer myſteriis altaris inſerviat. Qvis ſanè non miretur, imò & deteſtetur, unius eſſe perſonæ & armatam ducere militiam, & albâ, ſtolâqve indutum in medio Eccleſiæ pronunciare Evangelium? tubâ indicere bellum militibus & juſſa Epiſcopi populis intimare?* Et paulo poſt: *Cum ſit Archidiaconus, decanus, præpoſitusq; in diverſis Eccleſiis, nihil horum tamen tam eum, qvam Regis delectat vocitari dapiferum.* Et deinde ſubjicit: *Ipſum certè qvod geſtat in capite ſignum, plus regius decet faſtus qvàm famulatus, itemq; regale faſtigium magis armis qvam pſalmis innititur, &c.* Add. qvæ ex chronico monaſterii Mauriniacenſis notat Joh. Bapt Souchetus *ad Ivonis epiſt. 87.*

XCI. Tàm præſumtuoſum verò & faſtuoſum videri non potuit officium Reſponſalium, ſive Apocriſiariorum, qvi à Patriarchis deſtinati olim & miſſi fuerunt ad aulam Conſtantinopolitanam, ut perpetui veluti procuratores eſſent Eccleſiarum dioeceſeos, & ſuggeſtionibus ſuis res Eccleſiaſticas proſeqverentur, atqve pro negociis fidei & diſciplinæ perpetuo excubarent, ſimulqve veluti fidei publicæ obſides in comitatu Principum degerent, obſeqvii illius debiti fidejuſſionem præſtantes. Apocriſiarios iſtos, ſive Reſponſales ita dictos, qvod reſponſa ſive poſtulata patriarcharum, à qvibus miſſi erant, exſeqverentur, maximo in honore fuiſſe in aulâ Imperatoriâ, & ipſis qvoqve Metropolitanis advenientibus aditum ad Imperatores paraſſe, conſtat ex Juſtiniani *novell. 6. c. 2. & 3.* teſtaturqve Gregorius M. *l. 2. epiſt. 45.* Reſponſalem Eccleſiæ Romanæ in ipſo Principis palatio habitaſſe. Nec dubito, idem

iſtud reliqvorum etiam Patriarcharum Reſponſalibus indultum fuiſſe, cum æqvali in honore Conſtantinopolitanis fuerint omnes. Cæterum ab his Reſponſalibus, qvos à ſolis Patriarchis miſſos fuiſſe diximus, alii fuêrunt illi, qvi in judiciis Epiſcoporum cauſas agebant, uti patet ex Ivonis Carnotenſis *epiſt. 274.* qvos & ipſos Reſponſales, ſed alio ſignificatu, dixêrunt ſeqvioris ævi homines.

XCII. Id verò qvam maximè ad præſens noſtrum negocium facit, qvod munus iſtud à Patriarchis conferri ſolitum, diaconis ferè ſolis ceſſerit. Etſi enim Leo I Pontifex, qvi Reſponſalium iſtorum autor creditur, Epiſcopo Coënſis Eccleſiæ Juliano provinciam iſtam demandaverit, ſequentibus tamen temporibus non niſi diaconis eam commiſſam fuiſſe, plurimæ Gregorii M. teſtantur epiſtolæ. Ipſe Gregorius munus iſtud aliqvandiu geſſit, uti ſcribit *l. 3. dial. c. 32. & 35.* Eo verò tempore, qvo ad ſedem Romanam evectus eſt, Honoratus diaconus Reſponſalis fuit, uti patet ex *l. 1. epiſt. 6. & 47.* Poſt Honoratum, Sabinianum diaconum ei muneri deſtinavit *l. 4. epiſt. 52.* & porrò Anatolium itidem diaconum *l. 6. epiſt. 28.* Et ne ab hoc more deſiſteret, cùm ad inſtantiam Phocæ Imperatoris Reſponſalis munus diu omiſſum reſtituendum eſſet, eumqve in finem Bonifacium elegiſſet Gregorius, noluit eum ſine titulo diaconi ad palatium Principis venire, ut conſtat ex *l. 11. epiſt. 45.* Et hæc perpetua Reſponſalium in aulâ converſatio fecit, ut, cùm ad electionem præſulum Romanorum neceſſarius eſſet eo tempore Imperatoris conſenſus, plurimi eorum Pontifices crearentur, qvod non alios magis gratos Imperatoribus putarent electores, & populus Romanus. Contigiſſe id Vigilio, Gregorio, Sabiniano, Bonifacio, teſtis eſt hiſtoria Eccleſiaſtica. Conf. de iſtis Reſponſalibus Petr. de Marca *de concord. ſacerd. & imp. lib. 5. c. 16. ſeqq.*

CAPUT XIV.

De Conjugio Diaconorum.

I. *Cælibatus Clericorum, conjugii dehoneſtamentum.* II. *De Conjugio Diaconorum, ſubdiaconorum, Balſamonis & Leonis Imp. ſententia* III. *rejecta.* IV. *Nicolai Diaconi conjugium. Nicolaitæ.* V. *Exemplum*

emplum conjugii Diaconi è ſæculo ſecundô, VI. *Tertio,* VII. *Qvarto, ubi de contrariis Ancyrani Concilii Martiniqve Papæ ſententiis.* VIII. *Ab utraqve diſſentit Gratianus,* IX. *Franc. Longus à Coriolano.* X. *Qvi expenditur, & dicti Concilii Canon explicatur.* XI. *Alia presbyterorum conditio poſt ordinationem.* XII. *Qvare Patres IV ſæculi conjugium non improbantes nuptias tamen ægre admiſerint?* XIII. *Concilii Eliberini Canon* XXXIII *illuſtratus.* XIV. *Synodus Nicæna de Clericorum matrimonio. Paphnutii ſententia,* XV. *diſtincte proponitur.* XVI. *Qvid contra illam adferatur.* XVII. *Synodi Gangrenſis ætas.* XVIII. *Qvibus cœperit initiis cœlibatus clericorum.* XIX. *Siricius Papa conſvetudinem, qva cœlibatus invaluerat, in perpetuæ abſtinentiæ legem vertit,* XX. *Omnibus vel imperio ſuo vel ſvaſu ſervandam.* XXI. *An Africani conſenſerint ei? Concilia Africana luxata & confuſa.* XXII. *Canones eorum cœlibatum non evincunt.* XXIII. *Epiſtola Siricii genuina.* XXIV. *Synodus Teleptenſis Africana.* XXV. *Innocentius I ad Siricii legem provocat.* XXVI. *Inferioribus ordinibus conjugium permiſſum.* XXVII. *Subdiaconatus an inter ſacros ordines?* XXVIII. *Turonenſis I concilii moderatio circa cœlibatum Clericorum.* XXIX. *Ex legibus de cœlibatu motus, & hinc novæ ſanctiones.* XXX. *Græca Eccleſia contrariam in hoc legem Romanæ poſuit.* XXXI. *In occidente qvoqve contradictiones, ex Lamberto Schafnab. productæ.* XXXII. *Itemqve è Synodo Moguntina, apud eundem.* XXXIII. *Lex de Cœlibatu non eſt Eccleſiæ conveniens.* XXXIV. *Ejus rationes è Caſſandro,* XXXV. *contra aulæ Romanæ arcana.* XXXVI. *qvæ aliam honeſtiorem cauſam mentiuntur.* XXXVII. *Unde Clericorum in Latina Eccleſia caſtitas impudica noſci qveat?*

I. VEtus hæc, & in hunc uſqve diem multis argumentis variè agitata fuit controverſia de conjugio Clericorum, utrum juſtè illud in Eccleſiâ Latina prohibitum, & cœlibatus imperatus ſit. Solent enim Epiſcopi Romani, & qvi eorum dominatum propugnant, conjugatos omnes hâc infamiæ notâ inurere, ut arceantur penitus ab Eccleſiaſticis officiis, & ſi qvi ſint admoti his muneribus, cùm adhuc cœlibes eſſent, eis laqveum injicere, ne unqvam jungantur matrimonio. Non potuit ſanctum conjugium magis dehoneſtari, qvàm tali conſtitutione,

ne,præſertim qvando ſtatuitur, multo gravius eſſe peccatum, ſacerdotem maritum fieri, qvàm ſi plurimas domi meretrices habuerit, qvæ fuit ſententia Cardinalis Campegii apud Sleidanum *lib. 4.* & Coſteri *in Enchirid. tr. de cœlibatu.* Idqve comprobat experientia, qvod non ſolùm notorii cum pluribus concubinis ſcortatores ad Epiſcopatus & ſacerdotia promoveantur, ſed etiam in officio impiam iſtam vitam continuantes, ædeſqve ſuas ſpuriis replentes retineantur, excluſis illis, qvi caſtum inierint matrimonium. Unde meritò notatum hoc vult gloſſa *ad c. 6. X. de bigam. non ord.* qvod cum presbyteris plures concubinas habentibus diſpenſetur. *Nota*, inqvit, *mirabile, qvod plus habet hîc luxuria qvam caſtitas.*

II. Ut ad ſpeciem magis deſcendamus, & de diaconis διάκονσιν continuemus, extant in jure Græco-Romano, a Joh. Leunclavio edito *lib. 5.* interrogata Marci Patriarchæ Alexandrini, & ad ea Theodori Balſamonis Patriarchæ Antiocheni reſponſiones. Sub *num. 36.* talis propoſita fuit qvæſtio: An ſubdiaconus & diaconus legitimè poſſit cum muliere copulari, nec ne? Reſpondet Balſamon: *Et canones & leges varia vetant ſacratos poſt ordinationem mulieribus conjungi. Cum autem, ut videtur, canonicum hoc contemneretur interdictum, inter Imperatores inclytus & ſapientiſſimus Dominus Leo per novellam ſanctionem vitium emendavit. Inqvit enim hæc in parte expreſſim tertia ejus novella: Jubemus, ut ad vetus Eccleſiæ supernè traditum præſcriptum creationes procedant. Neq; enim dignum eſt, ut qvi ſpirituali adſcenſu ſupra corporis abjectionem evecti ſunt, hi rurſus ad carnis ſordes delabantur, ſed è diverſo ut divinum miniſterium ex corporis ſordibus tanqvam in altum aliqvem gradum conſcendat, convenientius fuerit. Qvamobrem nemo eorũ, qvi altari ſerviunt, poſt ordinationem audacter lege connubii mulieri conjungetur, idq; ſi fecerit, deponetur. Nam ante ordinationem facere licuit, qvod poſt eam adeò malè fuit auſus.* Præſupponit ſcil. Imperator Leo, & cum eo Balſamon, matrimonium eſſe ſtatum impurum & cum miniſterio Eccleſiaſtico incompatibilem. Unde & Gratianus, non dari præſentiam Spiritûs S. tempore eo, qvo conjugales actûs geruntur, qvaſi conceſſum & ab Hieronymo comprobatum ponit, *c. qvicqvid, in fin. 32. q. 2.* & Bellarminus actum conjugalem hominem reddere totum carnalem & ineptum ad divina ſcribit, *lib. de Clericis cap. 18. & 19.* Sed qvàm falſa iſta ſit hypotheſis, ex ipsâ Scripturâ oſtendi poteſt, in qvâ Devs conſvetudinem conjugalem pronunciat eſſe ἁγνείαν, caſtitatem, σωφροσύνην, continentiam ſeu pudicitiam, ἁγιασμὸν ſanctimoniam, ἀμίαντον, mundiciem *Ebr. XIII, 4. 1. Tim.*

1. Tim. II, ult. 1. Theſſ. IV, 4. Tit. II, 4.

III. Verum enim verò tempore Leonis, cujus imperium incidit in exitum ſeculi noni, & Balſamonis, qvi reſponſa iſta anno Chriſti MCXCIII edidit, uti colligit Guilielmus Beveregius, *in prolegom. ad Synodic. græc. pag. 11.* validiſſimas jam radices egerat iſta de impuritate conjugii opinio. Nec ergò vel ex Leonis Novellâ, vel ex ſententiâ Balſamonis decidi poterit iſta de conjugio diaconorum controverſia. Qvin potiùs ex anterioribus temporibus, qvid in Eccleſiâ obtinuerit, repetendum eſt, ſi qvid certi ſtatui debeat, cùm utiqve in ejuſmodi rebus ſemper prævaleat antiqvitas, ita ut qvo propior Apoſtolorum ævo qvis fuerit, eo certius de illorum inſtitutis teſtari poſſit; qvo verò longius ab Apoſtolorum ſeculo abſuerit, ejus tanto minoris eſſe apud nos debeat de rebus Apoſtolicis judiciũ. Breviter igitur & ſummotenus qvaſi ore delibabimus nonnullas hiſtoriæ Eccleſiaſticæ particulas, atqve eas pleraſqve, qvæ à Gratiano in corpus juris Canonici relatæ fuérunt, ne extra profeſſionem noſtram moliri qvid videamur.

IV. Ex hiſtoriâ ſeculi poſt Chriſtum natum primi occurrit exemplum Nicolai diaconi, illius, qvi ab Apoſtolis *Act. VI, 5.* huic officio adhibitus fuit. Eum Uxoratum fuiſſe ex Iſidoro memorat Gratianus *c. Qvidam 24. q. 3.* his verbis: *Nicolaitæ dicti à Nicolao diacono Eccleſiæ Hieroſolymorum, qvi cum Stephano & cæteris conſtitutus eſt à Petro, qvi propter pulchritudinem relinqvens Uxorem dixit, ut qvi vellet eâ uteretur, & verſa eſt in ſtuprum talis conſvetudo, ut invicem conjugia commutarentur, qvos Johannes in Apocalypſi ſua improbat dicens: Sed hoc habes, qvod odiſti facta Nicolaitarum, quæ & ego odi.* Nicolaitæ illi utrum errorem ſuum ab ipſo Nicolao acceperint, non uſqve qvaqve expeditum eſt. Inter antiqvos enim Eccleſiæ Doctores aſſerunt alii, eum, cùm poſt ſuſceptum diaconatum ad qvorundam ſuggeſtionem & inſtantiam ab Uxore, qvam formoſam habebat, per aliqvod temporis ſpacium ſe continuiſſet, & à concupiſcentiâ victus denuò cum eâ conſveviſſet, mox turpiſſimam hæreſin excogitaſſe & ſtatuiſſe, neceſſarium eſſe ad ſalutem conſeqvendam qvotidianum Veneris uſum. Ita Irenæus *lib. 1. c. 27.* Tertullianus, *de præſcript. c. 47.* Epiphanius, *hæreſ. 25.* Hieronymus, *Epiſt. 1. & 4.* Alii hæreticos iſtos nomen tantùm ab Nicolao geſſiſſe, eum verò talis culpæ reum nunqvam fuiſſe, ſed factum ejus pravâ interpretatione exceptum turpiſſimæ hæreſi anſam dediſſe. Rem ita narrat Clemens Alexandrinus *lib. 3. Strom. Nicolaus, ut ferunt, cùm Uxorem haberet formo-*

Hh ſam,

ſam, & poſt adſcenſionem Servatoris ei ab Apoſtolis Zelotypia exprobrata eſſet, Uxorem in medium productam, cuiqve qvi ducere cuperet, ducendam permiſit. Ajunt enim actionem iſtam illi voci conſentaneam, quâ dicere ſolitus, qvod carne oporteat abuti. Et cùm factum tùm dictum ſimplex & minùs accuratum conſectati impudenter fornicantur, qvi ejus hæreſin ſeqvuntur, &c. Similia de eo refert Euſebius, itemqve Theodoretus, Ignatius & alii. Conf. qvæ notat Joh. Bapt. Souchet. *ad Ivon. Carnot. epiſt. 27.* Qvicqvid hujus ſit, nec enim iſta de Nicolaitarum hæreſi tractatio ad præſentem rem facit, ſufficit oſtendiſſe, primis diaconatûs inſtituti temporibus Nicolao diacono Uxorem fuiſſe, nec ejus abdicandæ neceſſitatem ab Apoſtolis impoſitam eſſe.

V. Seculo ſecundo floruit Irenæus, Scriptorum, qvi veteres hæreſes enarrârunt, antiqviſſimus, Apoſtolicorum temporum Vir, & doctrinarum omnium accuratiſſimus explorator, uti eum vocant Tertullianus, *adverſ. Valentin.* & Theodoretus *dial. 1.* Is mentionem facit diaconi ſpecioſam Uxorem domi habentis, *lib. 1. cap. 9.* Poſtqvam enim Marcum hæreticum & magum, ejuſqve fraudulentas artes, qvibus fœminas ſeduxerit atqve corruperit, deſcripſiſſet, tam protervũ eum & ſceleris omnis artificem fuiſſe dicit, *ut & diaconus qvidam eorum, qvi ſunt in Aſiâ ſuſcipiens eum in domum ſuam inciderit in hujuſmodi calamitatem. Nam cùm eſſet Uxor ejus ſpecioſa, & ſententia & corpore corrupta eſſet à mago iſto & ſecuta eum eſſet multo tempore, poſt deinde cum magno labore fratres eam convertiſſent, omne tempus in exomologeſi conſummavit, plangens & lamentans ob hanc, qvam paſſa eſt ab hoc mago, corruptelam.* Conſtat igitur, etiam in ſecundo ſeculo diaconos Uxoratos fuiſſe.

VI. Sub finem ſeculi tertii aut initium qvarti martyrio nomen ſuum illuſtre fecit Agricola, in agro Bononienſi. Eum vel presbyterum vel certè diaconum, & maritum fuiſſe ſatis indicant verba Ambroſii in *exhortat. ad virg.* ubi ejus viduam hunc in modum laudat: *Honoremus hanc viduam, qvia ſcriptum eſt, viduas honora, qvæ verè viduæ ſunt. Licet verborum noſtrorum honorem non ambiat, qvæ Apoſtoli mandatum adæqvaverit, habens in bonis operibus teſtimonium, qvæ benè filios educaverit, meliùs inſtituerit. Qvis hanc non deſtitutam & miſerabilem deploravit, qvando amiſit maritum? At iſta miniſtrum ſacris ereptum altaribus ampliùs ingemuit, qvàm ſibi conjugem aut patrem filiis. Nam etſi præſidio eſſet mariti viduata & ſolatio, tamen apud piam mentem cauſa Eccleſiæ præponderabat, &c.* Miniſtrum altaris vocat Ambroſius. Et ita aliqvando dicuntur diaconi, uti patet ex *can. lex continentiæ II. diſt. 31.*

Fuit

Fuit igitur Agricola ille & diaconus, & maritus, nec abſurdum proinde aut canonibus adverſum tùm fuit, diaconos Uxoribus copulari.

VII. Qvin apertè in hanc rem ineunte ſeculo IV conſcriptus eſt à Patribus concilii Ancyrani canon decimus, legiturqve apud Gratianum *c. diaconi diſt. 28.* his verbis: *Diaconi qvicunq; cum ordinantur, ſi in ipsâ ordinatione proteſtati ſunt dicentes, ſe velle habere Uxores, nec poſſe ſe continere, hi ſi poſtea ad nuptias pervenerint, maneant in miniſterio: propterea qvod his Epiſcopus licentiam dederit. Qvicunq; ſanè tacuerint, & ſuſceperint manûs impoſitionem profeſſi continentiam, ſi poſtea ad nuptias pervenerint, à miniſterio ceſſare debebunt.* De hâc eâdem materiâ ſed ſententiam planè diverſam Martini Papæ adducit idem Gratianus, *cauſ. anteced. 27. c. 1.* his verbis: *Diaconus, qvi eligitur ſi conteſtatus fuerit pro accipiendo matrimonio, & dixerit ſe in caſtitate non poſſe manere, hic non ordinetur. Qvod ſi in ordinatione tacuerit, & ordinatus fuerit, & poſtea matrimonium deſideraverit, ſit alienus à miniſterio & vacet à Clero.* Prior ſententia è diametro contraria eſt Concilio Ancyrano. Nam Concilium ait, diaconos ordinationis tempore proteſtantes ſe continere non poſſe, manere debere in miniſterio. At Martinus dicit, non debere ordinari. Ne qvis autem putet, Martini Pontificis alicujus Romani hoc eſſe gloſſema, notandum eſt, Papæ nomen aliqvando omnibus Epiſcopis commune fuiſſe, uti ad hunc ipſum textum commentatur Antonius Contius, & uberius oſtendit Carolus Molinæus, *ad SCt. Franc. contr. abuſ. Pap. gloſſ. 15. n. 17.* Sic igitur inter Epiſcopos qværendus erit hic Martinus, & ſine dubio intelligendus venit Martinus Epiſcopus Bracarenſis, ille, qvi in Hiſpaniâ collectionem Canonum circa annum Chriſti DLXX concinnavit. Ex eâ dum compilationem ſuam ſupplere voluit Gratianus, in errorem hunc non unis vicibus lapſus eſt, ut integros qvandoqve Canones ex Conciliis inſerat, & deinde ſive imperitiâ ſive incogitantiâ eorundem canonum, tanqvam diverſorum excerpta ex Martino referat, uti jamdiu notârunt Antonius Auguſtinus *de emend. Grat. lib. 1. dial. 10.* & Franciſc. Florens *diſſert. jur. can. part. 3. pag. 168.* uti & ſupra explicavimus.

VIII. Qvemadmodum autem ſententia Martini diverſa planè eſt à ſententiâ Concilii Ancyrani, qvod is fortè, cùm in Occidente viveret, noluerit imitari mores Eccleſiæ orientalis: ita ab utriſqve diſcedit interpretatio Gratiani, qvam dicto Martini decreto ſubjunxit: *Hâc, inqvit, autoritate datur intelligi, qvod illi, qvi Uxores habent vel accipere volunt, nec diaconi nec Sacerdotes fieri poſſunt, niſi continentiam profiteantur. Si verò*

Hh 2 dia-

diaconus à miniſterio ceſſare voluerit, contracto matrimonio licitè poteſt uti. Nam etſi in ordinatione ſuâ caſtitatis votum obtulerit, tamen tanta eſt vis in Sacramento conjugii, qvod nec ex violatione voti poteſt diſſolvi ipſum conjugium. Supponit Gratianus, agi de copulâ & uſu matrimonii jam contracti, qvod nec græca tamen, nec Latina verba admittunt. Et ſimplex canonis Ancyrani interpretatio hæc eſt, ut, ſi qvis diaconi ordines ſuſcepturus ſignificet, ſe cœlibem non poſſe manere, ſed Uxorem ſibi ducendam eſſe, ſi is poſt ordines illos ſuſceptos Uxorem duxerit, Diaconi officio nihilominus fungatur, aliter autem, ſi illud non ſignificaverit.

IX. Hæc ſimpliciſſima eſt verborum, prout jacent, explicatio atqve paraphraſis, qvam ferre nullatenus qveunt *οἱ ἐξ ἐναντίας*, & proinde interpretationes alias prorſus alienas comminiſcuntur. Cardinalis Baronii & Severini Binii gloſſemata, ut hîc diſcutiamus neceſſe non eſt. Functus eo labore eſt Guilielmus Beveregius, *ad hunc can.* Neqve videntur ea ſatisfeciſſe Franciſco Longo à Corioliano, qvi idcircò ſuam, ut potiorem, hanc præmittit ſententiam, non multum à Gratiani interpretatione diſcedentem. *De more & ritu Græcorum loqvitur Concilium, videlicet de Uxoribus ante diaconatum ductis, & idcircò ait: Si cùm ordinantur, dixerint velle ſe Uxores habere, id eſt, velle ſe matrimonio ante contracto uti. Et deinde cum dicitur; Hi poſtea, ſi ad nuptias venerint, vel ſe contulerint, hoc eſt, ſi ad Uxores, qvas in matrimonium ante duxerant, acceſſerint, atqve eis commiſceantur. Si ad nuptias videlicet ante contractas venerint, id eſt, ſi nuptiis ante contractis uti voluerint. --- Vel intelligitur, ſi ad nuptias venerint, hoc eſt, ſi nuptias contraxerint facto, non jure. --- Vel certè is canon abrogatus eſt per canonem 6. Concilii VI generalis, &c.*

X. Fluctuat Coriolanus, nec ubi pedem figat, ſecum convenit. Nec verò concedi ei poteſt, loqvi canonem de nuptiis jam ante contractis, aut de uſu matrimonii dudum contracti. Vocabulum *γαμῆσαι* & *γαμεῖν* id non admittit. Significat enim *γαμέω* contraho matrimonium, jungo aut jungor matrimonio, ſum ſponſus, accipio ſeu capio Uxorem, deſponſo, duco Uxorem, nubo. Unde vocabulum *γαμῆσαι* verò per *γυναῖκα λαβεῖν*, uxorem accipererè & ducere, *γαμέσαι* verò per *γυναῖκα δοῦναι*, deſpondere & dare Uxorem qvod recentiores *ἐγγαμῆσαι* dixerunt.

Sed

Sed nec altera interpretatio congrua eſt. Facit enim Canon diſtinctionem inter eos, qvi ante ordinationem proteſtati fuérunt de conjugio ineundo, & qvi talem proteſtationem non interpoſuérunt. Priores dicit manere debere in miniſterio. Ratio, qvia jure ſuo, qvod ſalvum retinuérunt, utuntur. Nec ergò negari poteſt, jure illos contrahere matrimonium. At reliqvos â diaconatu removendos eſſe docet, propterea, qvod ordinationis tempore proteſtationem nullam fecerint, & ſic tacitè cœlibatum approbaverint. Qvod verò tertio loco putat Coriolanus, canonem Ancyranum per canonem ſextum Concilii VI generalis abrogatum eſſe, de eo in ſeqventibus videbimus. Nobis hîc ſufficit oſtendiſſe, ſeculo qvarto diaconis permiſſas fuiſſe, etiam poſt ordinationem, nuptias, dum tamen de illis ordinationis tempore proteſtationem interpoſuerint, ſibiqve cœlibatum non placere conteſtati fuerint.

XI. Alia tamen videtur fuiſſe conditio presbyterorum. In concilio enim Neocæſarienſi, qvod eundem cum Ancyrano ſynchroniſmum tenet, *c. 1.* ſtatutum fuit: *Presbyter ſi Vxorem duxerit, ordine ſuo moveatur. Si autem fornicatus fuerit, vel adulterium commiſerit, penitùs extrudatur, & ad pœnitentiam redigatur.* Non agit hîc canon de presbyteris ante ordinationem Vxores ſuas habentibus, neqve prohibet illarum uſum, ſed agit de presbyteris jam ordinatis, & matrimonium poſtea ineuntibus, cavetqve ne jam ordinati presbyteri Vxores ducant, idqve ſi fecerint, ut dignitate priventur. Nihil habet canon de proteſtatione, utrum per eam presbyteri ſibi conſulere potuerint, qvemadmodum diaconos ſibi conſulere potuiſſe, decreverat Synodus Ancyrana. Et in hoc ſcil. durior videtur fuiſſe presbyterorum, qvam diaconorum conditio.

XII. Sed qvæ cauſa eſt, qvod hujus ſeculi Patres conjugium in ſacris ordinibus conſtitutorum non improbavérunt, ſed nuptias tamen contrahendas & celebrandas haud temerè admiſérunt? Eam Calixtus *de conjug. cler. pag. 198.* aſſignat duplicem. 1. qvod continentia & cœlibatus tum temporis in ſummâ laude & admiratione fuerit, adeò ut turpe eſſet, cùm in laicorum ordine plurimi eâ gloriâ inſignes extarent, clericos ab illis ſuperari. 2. qvod exiſtimarent, amare & ambire nuptias puellæ & totum illud procari, qvod ſine ineptiis tranſigi vix poteſt, gravitate ſacerdotali indignum eſſe. Ultima hæc ratio fortè non moviſſet nec in cenſum veniſſet, niſi, qvæ magis placet, prævaluiſſet ratio prior. Et certè tanti nominis tùm erat cœlibatus, ut nonnulli naturæ vim inferrent,

rent, ne matrimonium iniri cogerentur. Ipſi etiam conjuges filio uno alterove ſuſceptis mutuo conſenſu continentiam deinde ſervabant, & ab uſu matrimonii prorſus abſtinebant, uti patet ex Apollinar. Sidon. *lib. 9. epiſt. 6.* Cumqve talia exempla inter Laicos ſæpiſſimè occurrerent, turpe viſum fuit, Clericos eis cedere, nec ad ſimilem continentiam paratos eſſe. Intelligebant autem, ſunt verba Calixti *d. l.* mandari non poſſe, ne qvis Vxorem haberet, vel commercio conjugali uteretur. Erat igitur ὁ ἀδέσποτος πλοῦς, ut ſancirent, nemini fas eſſe poſt initiationem ad nuptias tranſire, ſed ante eam, qvicqvid ejus rei foret, perfici oportere. Inde enim futurũ, ut continentes in Clero eſſent primùm qvotqvot cœlibes acceſſiſſent, vel certè, qvotqvot proteſtatione interpoſitâ licentiam ducendæ Vxoris ſibi non reſervaſſent; deinde, qvotqvot amiſsâ poſt initiationem conjuge dignitatem retinere, qvàm nuptias interare mallent.

XIII. His ipſis temporibus in Hiſpaniâ habitum fuit Concilium Eliberinum ſive Eliberitanum, qvod *can. 33.* diaconis & reliqvis, qvi in ſacerdotio aut in ſacris conſtituti ſunt, conjugium prorſus interdicere videtur. Verba ita habent: *Placuit in totum prohibere Epiſcopis, presbyteris, diaconibus ac ſubdiaconibus, poſitis in miniſterio, abſtinere ſe à conjugibus ſuis & non generare filios, qvod qvicunqve fecerit, ab honore clericatus exterminetur.* Oppidò placet interpretatio Calixti, qvam *d. tr. de conjugio Cler. pag. 169.* huic canoni ſubjungit: *Voces, poſitis in miniſterio, idem nobis ſignificent, qvod, tempore vicis ſuæ, ſive cùm inſtat ſolennis ſanctiſſimæ eucharistiæ celebratio.* Et ſanè ſpecialem reſpectum innuere videntur verba illa, *poſitis in miniſterio.* Qvid enim opus fuiſſet, ea addere, niſi actum ipſum celebrandi Euchariſtiam denotare debuiſſent. Qvò facit, qvod in eodem concilio univerſis eo tempore, qvo ſacrâ communione utuntur, per aliqvot dies uſum conjugii interdictum refert Gratianus *de conſecrat. diſt. 2. cap. 21.* & qvæ colligit idem *cauſ. 33. q. 4.* Qvod ſi verba de totali abſtinentiâ & abdicatione conjugis intelligenda fuerint, videntur Patres Eliberini, qvorum numerus exiguus fuit, canone hoc ſuo præparaſſe materiam, ſecuturo Concilio univerſali proponendam, & plenioribus ſuffragiis determinandam, ſed qvæ poſt conſultationem interpoſitam eventum habuit planè diverſum.

XIV. Anno enim CCCXXV habita fuit in Urbe Nicæâ διαβόητος illa Synodus, in qvâ de matrimonio Clericorum ex profeſſo actum fuit, Patribus ſcil. qvi in provincialibus ſynodis & diſputationibus cœlibatum induci debere ſuſtinuerant,

rant, rogantibus, ut autoritate univerſali lex Eccleſiaſtica promulgaretur, & ab omnibus ubiqve Eccleſiis reciperetur. Neqve diſplicuit ea ſententia reliqvis, donec â Paphnutio in Ægypti partibus Epiſcopo & Confeſſore oſtenſum fuiſſet, tàm grave jugum Eccleſiæ miniſtris imponi non debere, nec omnes poſſe iſtud ferre, & Eccleſiæ plus detrimenti inde illatum iri. Digna res eſt, qvæ verbis Socratis ex *lib. 1. hiſt. c. 8.* deſcribatur. *Viſum erat*, inqvit, *Epiſcopis legem novam in Eccleſiam introducere, ut ſacris initiati, Epiſcopi videlicet, presbyteri & diaconi cum Vxoribus, qvas in ſtatu Laico duxiſſent, non dormirent. Cùm autem hâc de re conſultatio inſtituta eſſet, in medio Epiſcoporum conſeſſu ſurgens Paphnutius vehementer clamabat, grave jugum conſecratis Viris non eſſe imponendum, dicens, honorabile eſſe cubile & conjugium impollutum, videndumqve, ne nimio exqviſita vitæ ſtudio eccleſiam gravi incommodo afficerent. Neqve enim omnes ejusmodi rigidam, qvæ humanos affectûs excludat, diſciplinam ſuſtinere, nec caſtimoniam æqvè â ſingulorum Vxoribus ſervari poſſe. Caſtimoniam verò vocabat legitimæ Vxoris uſum. Sufficere, ſi qvis priùs in Clerum allectus ſit, qvàm Vxorem duxerit, in poſterum à nuptiis juxta veterem Eccleſiæ traditionem abſtineat, nec qvenqvam ab illâ, qvam Laicus duxerit, ſe jungi oportere. Et hæc dixit Paphnutius, inexpertus nuptiarum, imò, ſimpliciter ut dicam, fœminarum. A puero enim in aſceterio educatus, & propter caſtimoniam, ſi qvisqvam alius, admodum celebris erat. Totus itaqve ſacer conventus verbis Paphnutii aſſenſum præbuit. Qvapropter hanc qvæſtionem ſopivêrunt, cujusqve arbitrio abſtinentiam ab Vxoris conſvetudine permittentes.* Similem de Paphnutii contradictione ſententiam ex hiſtoriâ tripartitâ refert Gratianus *cap. Nicena diſt. 31.*

XV. Cùm noluerit Paphnutius conjugio prorſus abſtinere clericos, aliqvid tamen admiſit, conſvetudinem ſcil. in Eccleſiis qvibusdam hactenus receptam, ut nempe qvi prius in Clerum allectus eſſet, qvàm Vxorem duxiſſet, in poſterum â nuptiis abſtineret. Sed rectè animadvertit Chemnitius *in exam. Concil. Trid. part. 3. pag. 502.* conſvetudinem iſtam factam fuiſſe ſine aliqvâ lege, & Paphnutium qvidem ſvadere conſvetudinem illam retinendam, ſed tamen non dicere eſſe vel præcepti divini vel conſilii & traditionis Apoſtolicæ, ſed vocare Eccleſiæ non legem, ſed παράδοσιν h.e. traditionem, atqve ita cum prohibitio conjugii in ſacris ordinibus non potuerit in univerſum obtineri, aliqvid tamen manſiſſe, qvod conjugium eorum impediret. Sufficere

cere igitur, ait Paphnutius, eousqve amore cœlibatus progreſſam eſſe Eccleſiam, ut licentiam contrahendarum novarum nuptiarum Clericis ademerit, non eſſe progrediendum ulterius ad interdicendum uſum conjugii.

XVI. Fruſtra in contrariam ſententiam ex eodem Concilio Niceno adducitur canon tertius, qvi ex verſione Dionyſii Exigui ita habet: *Interdixit per omnia magna Synodus, non Epiſcopo, non presbytero, non diacono, nec alicui omninò, qvi in Clero eſt, licere ſubintroductam habere mulierem* (μὴ ἐξεῖναι συνείσακτον γυναῖκα ἔχειν) *niſi fortè matrem, aut ſororem, aut amitam, vel eas tantùm perſonas, qvæ ſuſpiciones effugiunt.* Hoc Concilii decretum ſingularibus conſtitutionibus confirmavit Juſtinianus Imperator *Novell. 123. c. 29. & Novell. 137. c. 1. in fin.* & ante eum Honorius Imp. *in l. 19. C. de Epiſc. & cler.* Sed qvam συνείσακτον γυναῖκα vocavit canon Nicenus, eam ἐπείσακτον appellát Juſtinianus, ſenſu & ſignificatu planè eodem, niſi qvod ἐπείσακτον per extraneam, συνείσακτον per ſubintroductam verterint Interpretes. Nihil, inqvam, facit iſte canon ad cœlibatum Clericorum ſtabiliendum. Erant enim, uti optimè ad iſtum can. explicat Chriſtophorus Juſtellus συνείσακτοι mulieres neqve Vxores, neqve concubinæ, ſed tertii cujusdam generis mulieres, qvas ſecum clerici non ſobolis nec libidinis gratiâ, ſed pietatis ſtudio, aut certè prætextu, fovebant. Sed & jam ante Budæus notavit, συνείσακτον dici ſocium ſociamve cœlibatûs, ſive virgo contubernalem haberet virum, ſive monachus fœminam. Habuiſſe enim etiam Virgines olim ſuos συνεισάκτους certum eſt, & ex Gregorii Nazianzeni epigrammate probari poteſt. Vid. Juſtell. *d. l.* Guil. Beveregium *ad d. can. Nicen.* Calixt. *de conjug. Cler. pag. 174. ſeqq.* Rivet. *in Cathol. Orthod. tr. 2. q. 24. circa fin.* Dorſch. *ad Concil. Nicen. de cœn. ſect. 2. §. 21.* Anton. Dadin. Alteſerra *ad cap. 9. X. de vit. & hon. Cler.* Qvandoqvidem igitur qvotidianum cum iſtiusmodi mulieribus commercium ſuſpicione non carebat, id omninò prohibuérunt Patres Niceni, nullibi autem docuérunt, conjuges â maritis ad ſacerdotium promotis divelli debere. Add. Jacob. Gothofred. *ad l. 44. Cod. Theod. de Epiſc.*

XVII. Poſt Concilium Nicenum, (ut plerorumqve opinio eſt, refragante licet Baronio, qvem propterea refutat Guil. Beveregius *pag. 183.*) habita fuit Synodus Gangrenſis, ex cujus decretis Gratianus *cap. 15. diſt. 29.* hoc notavit: *Si qvis diſcernit presbyterum conjugatum, tanqvam occaſione nuptiarum, qvod offerre non debeat, & ab*

ejus oblatione ideò abſtinet, anathema ſit. Synodus iſta habita fuit adverſus Euſtathium hæreſiarcham, ſive is Sebaſtenus Epiſcopus fuerit, ſive qvis alius. Ut igitur, qvid damnaverit Synodus in allegato canone, conſtet, neceſſe eſt Euſtathii heterodoxiam ex Balſamonis & Zonaræ commentariis repetere. Ita autem illi: *Euſtathius & qvi cum eo faciebant, legitimas nuptias criminantes, dicebant nulli eorum, qvi matrimonio juncti ſunt, à DEO ullam eſſe ſpem ſalutis. --- & in ædibus, qvi Vxorem duxit, neqve orare neqve communicare permittebant, & ſacerdotes, qvi Vxores duxerant, averſabantur, &c.* Hanc opinionem damnat Synodus, & vult, â presbyteri conjugati oblatione abſtinere neminem debere. Qvod ſi igitur talis eſt presbyteri conjugati conditio, ſi ſine contaminatione ſanctiſſimi miniſterii liturgiæ ſacræ opus presbyter Vxoratus perficere poteſt, credendum non eſt, cœlibatum jure Apoſtolico annexum eſſe ſacris ordinibus, & propterea nec diaconum Vxoratum ab officio removeri debere.

XVIII. Dubium tamen non eſt, his ipſis temporibus cœlibatûs amorem nonnullorum animos ita occupaſſe, ut de lege ſanciendâ, qvam Concilium Nicenum recuſaverat, perpetuò cogitarent, aut ſaltem conſvetudinem magis magisqve invaleſcentem foverent. Sic enim obtinuerat hactenus in qvibusdam locis, ut conjugati ad ſacerdotium aſſumpti à conjugibus deinceps abſtinerent, idqve conſvetudine magis, qvàm ex lege præſcriptâ, eamqve conſvetudinem non una ratio promovit, neqve uno gradu ad eam ſuſtinendam deventum eſt. Primùm enim ſub tribus iſtis ſeculis, qvibus perſecutiones qvàm maximè flagrárunt, ſvadente ita ratione temporis, cœlibes in ſacerdotio præferri cœpérunt. Secundò, ſi qvi conjugati ad ſacerdotium promoti fuiſſent, illi deinceps â conjugis uſu abſtinuérunt, & continentiam ſervárunt, qvod inter Laicos etiam continentia talis freqventer exerceri ſoleret. Tertiò etſi nondum lex aliqua de cœlibatu extaret, multum tamen valuérunt argumenta ſvaſoria, qvibus uſi pleriqve inter Doctores cœlibatum miniſterio Eccleſiaſtico maximè accommodum atqve decentem commendárunt. Accedebat qvartò, qvod Clerici aliqvando ex monachis ſeu continentium numero eligerentur, uti patet ex *l. 32. C. Th. de Epiſc.* Vid. Jacob. Gothofred. *ad l. 44. C. eod.* His rationibus conſvetudine firmatâ facile deinceps fuit legem ſuperaddere, & cœlibatum libertati cujusqve hactenus relictum ſanctione imperare. Id qvod etiam præſtitum mox fuit.

XIX. Anno enim CCCXXCV, Siricius Pontifex, qvi Damaſo ſucceſſerat, conſvetudini vires legis addidit, & qvod in Concilio Niceno tentatum, ſed â Paphnutio ſufflaminatum & impeditum fuerat, in neceſſitatem vertit, dictatâ pœnâ, ſi qvis contemptor aut transgreſſor fuerit. Relatio ſcil. ad Damaſum anteceſſorem ab Himerio Tarraconenſi Epiſcopo facta fuerat de qvibusdam rebus dubiis. Damaſo, anteqvam reſponderet, vitâ functo, provincia ea Siricio ceſſit, qvi ad qvæſtionem de clericorum conſvetudine cum Vxoribus & aliis mulieribus, hunc in modum reſpondet, *epiſt. 1. cap. 7. Plurimos Sacerdotes Chriſti atqve Levitas poſt longa ſuæ conſecrationis tempora tàm de conjugibus propriis, qvàm etiam de turpi coitu ſobolem didicimus procreaſſe & crimen ſuum hâc præſcriptione defendere, qvia in V. T. ſacerdotibus ac miniſtris generandi facultas legitur attributa. --- Hi verò, qvi illiciti privilegii excuſatione nituntur, ut ſibi aſſerunt veteri hoc lege conceſſum, noverint ſe ab omni Eccleſiaſtico honore, qvo indignè uſi ſunt, Apoſtolicæ ſedis autoritate dejectos, nec unqvam poſſe veneranda attrectare myſteria, qvibus ſe ipſi, dum obſcænis cupiditatibus inhiant, privavêrunt. Et qvia exempla præſentia cavere nos præmonent in futurum, ſi qvilibet Epiſcopus, presbyter atqve diaconus, qvod non optamus, deinceps fuerit talis inventus, jam nunc ſibi omnem per nos indulgentiæ aditum intelligat obſeratum: qvia ferro neceſſe eſt, exſcindantur vulnera, qvæ fomentorum non ſenſerint medicinam.* Repetitur â Gratiano *c. plurimos & c. qvia diſt. 82.*

XX. Fuit igitur hic Siricius primus, qvi lege latâ & pœnis indictis cœlibatum Eccleſiæ miniſtris imperavit. Neqve Hiſpanis ſolùm jugum hoc impoſuit, ſed omnibus in univerſum ſacerdotibus & Clericis. Ait enim *cap. 8. Qvid ab univerſis poſt hæc Eccleſiis ſeqvendum ſit, qvid vitandum, generali pronunciatione decernimus.* Et in concluſione: *Hæc, qvæ ad tua conſulta reſcripſimus, in omnium Coepiſcoporum noſtrorum perferri facias notionem: & non ſolùm eorum, qvi in tuâ ſunt diœceſi conſtituti, ſed etiam ad univerſos Carthaginenſes, ac Bæticos, Luſitanos atqve Gallicos, vel eos, qvi vicinis tibi collimitant hinc inde provinciis, hæc qvæ à nobis ſunt ſalubri ordinatione diſpoſita, ſub literarum tuarum proſecutione mittentur, &c.* Africanos tamen, cùm ad ipſos ſcriberet eâ de re Siricius, haud paulo molliùs tractavit, ergaqve eos non tàm imperantis qvàm ſvadentis perſonam ſuſtinuit. *Præterea,* inqvit, *qvod dignum, & pudicum, & honeſtum eſt, ſvademus, ut ſacerdotes & Levitæ cum Vxoribus ſuis non coëant,*

coëant, qvia in miniſterio divino qvotidianis neceſſitatibus occupantur. Ad Corinthios namqve ſic Paulus ſcribit, dicens: Abſtinete vos, ut vacetis orationi. Si ergò Laicis abſtinentia imperatur, ut poſſint deprecantes audiri: qvanto magis ſacerdos utiqve omni momento paratus eſſe debet, munditiæ puritate ſecurus, ne aut ſacrificium offerat, aut baptizare cogatur? Qvi ſi contaminatus eſt carnali concupiſcentiâ, qvid faciet? excuſabit? Qvo pudore, qvâ mente uſurpabit? Qvâ conſcientiâ, qvo merito hic exaudiri ſe credit? —— Qvâ de re hortor, moneo, rogo, tollatur hoc opprobrium, qvod poteſt jure etiam gentilitas accuſare, &c. Scripta eſt hæc Epiſtola Synodalis poſt reſponſum Himerio miſſum, idqve argumento eſt, Himerium Africanos ex poteſtate delegatâ in ſententiam Pontificis trahere minimè potuiſſe, ſed ipſum Pontificem ſuapte opera & ſub alio ſchemate tentare id oportuiſſe.

XXI. Utrum ſucceſſum apud Africanos habuerit iſta Siricii commonefactio, non auſim affirmare. Ita qvidem putat Petrus de Marca *de concord. ſacerd. & imp. lib. 1. cap. 8. num. 4.* refertqve eò canonem ſecundum Concilii Carthaginienſis II, qvem recenſet Gratianus *cap. 3. diſt. 84.* & hoc Concilium ait Marca, celebratum fuiſſe anno CCCXC, præteritum autem Concilium qvod in iſto canone adducitur, coactum fuiſſe ad ſummum anno CCC LXXXVIII, & Siricii epiſtolam ad Africanos ſcriptam fuiſſe anno CCCLXXXVI, ut adeò ad inſtigationem & ſuggeſtionem Siricii in concilio iſto præterito primùm eâ de re ſcripta lex fuerit apud Africanos. Verùm præterqvam, qvod valdè luxata & confuſa fuerint Concilia iſta Africana, uti patet ex præfatione, qvam Codici canonum Eccleſiæ Africanæ præmiſit Chriſtophorus Juſtellus, ipſe etiam canon allegatus ab eodem Juſtello vindicatur Concilio, qvod poſt Conſulatum Honorii XII, & Theodoſii VIII, anno CCCCXIX habitum fuit, & præteritum concilium, cujus mentio fit, ab eodem explicatur de præcedente illo, qvod Vincentio & Flavito Coss. hoc eſt A. D. CCCCI celebratum eſt, qvo tempore Siricius diem ſuum jam obierat. Georgius Calixtus autem *de conjug. cler. pag. 287.* per præteritum Concilium intellectum vult qvintum illud Carthaginienſe, anno CCCXCVIII celebratum, & canonem ejus tertium, qvem adducit Gratianus *cap. placuit diſt. 32. & cap. cum de qvorundam diſt. 84.*

XXII. Qvicqvid hujus ſit, ipſas etiam canonum ſententias ex Afri-

canis conciliis adductas minimè refragari, nec legem perpetuæ abſtinentiæ inde inferri, idem docet Calixtus, easdemqve explicat de abſtinentiâ circa tempus ſacri miniſterii, ſumendæqve euchariſtiæ. Et ita jam olim verba κτ̀ τὰς ἰδίας ὅρους in canonibus Carthaginienſibus interpretati ſunt Balſamon, Zonaras & Ariſtenus *ad can. 13. Concilii VI, in Trullo habiti*. Add. Guil. Bevereg. *ibid.* Nec verò tolerari poteſt, qvod *in d. c. 2.* Concilii Carthaginienſis II, peroravit Aurelius Epiſcopus: *ut qvod Apoſtoli docuérunt, & ipſa ſervavit antiqvitas, nos qvoqve cuſtodiamus.* Si qvidem verba iſta de lege perpetuæ abſtinentiæ accipi debeant. Nusqvam enim tale qvid docuérunt Apoſtoli, nec legem aliqvam talem ſervavit antiqvitas. Idqve animadvertens Gratianus contra omnium exemplarium fidem vocabulum *exemplo* inſeruit, hoc ſenſu: ut qvod Apoſtoli docuérunt emplo &c. Ineptior adhuc eſt gloſſa, qvæ antiqvitatem â tempore Siricii interpretatur, Pontificis aut adhuc viventis aut vix defuncti.

XXIII. Cæterum dubitat B. Chemnitius *in exam. Concil. Trid. part. 3. pag. 504.* utrum epiſtolæ Siricii ſint genuinæ. *Agrè*, inqvit, *adducor, ut credam Siricium, cui vera hiſtoria meliora tribuunt teſtimonia, tàm contumelioſè contra Scripturam & contra ſinceræ antiqvitatis manifeſta judicia, repetitis ipſisſimis veterum hæreticorum argumentis, de legitimo conjugio ita ſcripſiſſe, ſicut Epiſtolæ decretales, qvæ ipſi tribuuntur, loqvuntur, &c.* Sed nolim ego de earum fide dubitare, præſertim cum eas circa annum Chriſti DXXV, Codici ſuo cum præfatione ad Julianum presbyterum tituli ſanctæ Anaſtaſiæ inſeruerit Dionyſius Exiguus, cujus collectionem in ſummo ſemper honore habuit Eccleſia. Vid. Franc. Florens *differt. Canon. pag. 167.* Mirari autem deſino, cur Siricius tàm ſeverè cœlibatum imperaverit, dum perpendo, in Concilio Niceno tantum Patrum numerum in idem decretum inclinaſſe, & perfeciſſe etiam, niſi unius Paphnutii ſententia in ſaniorem mentem eos reduxiſſet.

XXIV. Anno CCCCXVIII, habita fuit Synodus Telepténſis itidem in Africâ, qvæ malè vulgò Teleníis dicitur. Telepte enim metropolis erat & prima ſedes provinciæ Byzacenæ. *In illâ*, ait Severinus Binius *nihil aliud actum reperitur, niſi qvod ad definitionem cauſæ, de qvâ controverſia agitabatur, juſſa eſt recitari decretalis Epiſtola Siricii Romani Pontificis ad Africa-*

ricanos Epiſcopos data. Qvalis ea cauſa fuerit, non explicat Binius. Putat tamen Petrus de Marca *d. l.* juxta præſcriptum iſtius Epiſtolæ decreta fuiſſe aliqvot diſciplinæ capita, nec inter ea omiſſum illud, qvod Clericorum continentiam ſancit. Qvod ſi concilium iſtud Carthaginienſe à Gratiano *c. 3. diſt. 84.* memoratum anno CCCCXIX habitum fuit, uti Juſtellum putare dixi ſupra, præteritum concilium, ad qvod dicto canone provocatur, de nullo commodiùs, qvam de Teleptenſi hoc explicabitur, qvippe qvod & ipſum Africanum, & anno tantùm uno anterius fuit. Sed hîc nihil definio, cùm in enodandis conciliorum Africanorum decretis vix qviſqvam ſatis circumſpectus eſſe qveat.

XXV. Provocat verò etiam Innocentius I, qvi ineunte ſeculo V Eccleſiæ Romanæ Epiſcopus fuit, ad Siricii iſtam legem *in epiſt. ad Exuperium Archiepiſcopum Tholoſanum*, qvam prolixè refert Gratianus *c. 2. diſt. 82. Propoſuiſti*, inqvit, *qvid de his obſervari debeat, qvos in diaconii miniſterio aut in officio presbyterii poſitos incontinentes eſſe aut fuiſſe generati filii prodiderunt. De his etiam manifeſta eſt divinarum legum diſciplina & beatæ recordationis Siricii Epiſcopi monita evidentia commearunt, ut incontinentes in officiis poſiti talibus, omni honore Eccleſiaſtico privarentur. Nec admittantur ad tale miniſterium, qvod ſolâ continentiâ oportet impleri. — — Sed ea planè diſpar & diverſa ſententia eſt. Nam ſi ad aliqvos forma Eccleſiaſticæ vitæ pariter & diſciplina, qvæ ab Epiſcopo Siricio ad omnes provincias commeavit, non probatur perveniſſe, his ignorantibus venia non negabitur: ita ut de cætero penitus incipiant abſtinere: & ita gradûs ſuos, in qvibus fuerint inventi, retentent, ut eis non liceat ad potiora conſcendere, qvibus in beneficio eſſe debet, qvod tunc ipſum locum, qvem retinent, non amittunt. Si qvi autem ſciſſe formam vivendi miſſam à Siricio deteguntur, neqve ſtatim cupiditatem libidinis abjeciſſe, illi ſunt modis omnibus ſubmovendi, qvi poſt admonitionem cognitam, præponendam arbitrati ſunt voluptatem.* Qvæ diſtinctio addita ſatis notat, ipſum etiam Innocentium legem Siricii pro novâ habuiſſe, adeoqve manet, qvod ſupra dixi, Siricium primum fuiſſe, qvi lege latâ univerſum Sacerdotum genus perpetuæ abſtinentiæ addixit.

XXVI. Sed ad univerſos tamen Clericos, & ad inferiores ordines extendere prohibitionem conjugii noluêrunt Pontifices Romani. Sic enim ſeculo adulto V legem explicat Leo I. Pontifex referente Gratiano

tiano *c. ſeriatim diſt. 32. Seriatim & apertè proſeqvamur, qvod ſancta Romana Eccleſia de gradibus Clericorum ait: Clericos, oſtiarios, Lectores, exorciſtas, acolythos, ſi extra votum & habitum monachi inveniantur, & continentiam profiteri noluerint, Uxorem ducere Virginem, cum benedictionee Sacerdotali permittuntur: non autem viduam aut repudiatam, qvia propter hoc deinceps nec ad ſubdiaconatum provehi poterunt, qvia nec Laicus niſi virginem ſortitus Uxorem aut digamus ad Clericatum poteſt adſcendere: vel ſi qvis ex præfatis ordinibus deſiderat ad ſubdiaconatum adſcendere, non poteſt ſine conſenſu Uxoris ſuæ, ut fiat de carnali deinceps ſpirituale conjugium, nemine cogente eos. Neqve permittitur poſtea Uxor jungi eidem marito ſuo carnaliter: nec cuiqvam nubere in vitâ aut poſt mortem illius.* Subdiaconatum igitur cum cæteris ordinibus ſuperioribus ſub lege Prohibitivâ comprehendere, reliqvis autem ordinibus inferioribus liberam conjugii poteſtatem relinqvere voluit Eccleſia Latina.

XXVII. Sed nec fortè talis illicò ab initio fuit Subdiaconatûs conditio, propterea qvod ille inter ſacros ordines olim minimè referretur. Ita enim inferre videtur Joh. Paul. Lancelottus *in Inſtit. jur. Can. lib. 1. tit. 22. §. 2.* dum ait: *Subdiaconos licet & Eccleſia primitiva legatur habuiſſe, talis tamen ordo apud antiqvos inter ſacros non annumerabatur: paulatim tamen poſt aliqvot temporum curricula cæptus eſt & ſubdiaconatus inter ſacros ordines reponi. Eiſqve ad ſimilitudinem tàm presbyterorum, qvàm diaconorum continentia fuit imperata, &c.* Digitum hîc ſine dubio intendit Lancelottus ad conſtitutionem Innocentii III, qvæ extat in *c. 9. X. de ætat. & qval. præf.* ubi Urbani II P. R. autoritas adducitur, ac ſi illo demum autore ſubdiaconatus inter ordines ſacros relatus fuiſſet. Et extat qvidem illa Urbani Decretalis apud Gratianum *c. erubeſcant diſt. 32.* Ipſe tamen Urbanus ſubdiaconatum inter ſacros ordines primus non retulit. Imò verò jam Leonis I tempore h. e. circa annum CCCCXL, talis habitus fuit Subdiaconatus. Hæc enim ejus apud Gratianum *c. 1. diſt. 32.* ſunt verba: *Omnium Sacerdotum tàm excellens eſt electio, ut hæc qvæ in aliis membris Eccleſiæ vacant à culpâ, in illis tamen habeantur illicita. Cùm enim extra clericorum ordinem conſtitutis nuptiarum ſocietati, & procreationi filiorum ſtudere ſit liberum; ad exhibendam tamen perfectæ continentiæ puritatem, nec ſubdiaconis carnale connubium qvidem conceditr, ut etiam, qvi habent, ſint tanqvam non habentes*

habentes, & qvi non habent permaneant ſingulares & innupti. Qvod ſi in hoc ordine, qvi qvartus extat à capite, dignum eſt cuſtodiri, qvanto magis in primo vel in ſecundo, tertiove ſervandum eſt? &c. Et ergò ſeculo jam qvinto etiam Subdiaconi abſtinere conjugio coacti fuére. Hoc verò Urbanus II introduxiſſe videtur, & qvidem in Concilio Beneventano, ut Subdiaconus in Epiſcopum eligi poſſit, de qvâ qvæſtione præcipuè agit Innocentius III *in d. c. 9.* Canones Concilii Beneventani primus in lucem edidit Stephanus Baluzius *in addit. ad Petr. de Marca de concord. ſacerd. & imp. lib. 8. c. 13.* De caſtitate autem & abſtinentiâ ſubdiaconorum plura extant decreta alia apud Gratianum *diſtinct. 28.*

XXVIII. Etſi verò Siricius & poſt eum Innocentius Sacerdotibus & diaconis uxorum uſum ita interdixerint, ut in contumaces admodum ſeverè animadverterent, in provincialibus tamen qvibuſdam conciliis temperatam eam fuiſſe ſententiam obſervamus. Qvo inprimis pertinet decretum Concilii Turonenſis I, habiti anno CCCCLXXX. *c. 2. Et licet à patribus noſtris è commiſſâ autoritate id fuerit conſtitutum, ut qvicunqve Sacerdos vel Levita filiorum procreationi operam dare fuiſſet convictus, à communione dominicâ abſtineret; nos tamen huic diſtrictioni moderationem adhibentes, & juſtâ conſtitutione mollientes, id decrevimus, ut Sacerdos vel Levita conjugali concupiſcentia inhærens vel à filiorum procreatione non deſinens ad altiorem gradum non conſcendat, neqve Sacrificia Deo offerre, vel plebi miniſtrare præſumat. Sufficiat his tantùm ut à communione non efficiantur alieni, &c.* Verba ipſa Innocentii & Siricii non videntur continere, qvod inde inferunt Patres Turonenſes, nec durius qvidqvam conſtituiſſe. Excluſionem igitur à communione in praxi potius & ex interpretationne uſuali receptam colligimus, qvàm ex verbis legis. Qvicqvid hujus ſit, id utiqve intendérunt Patres Turonici, ut legem molliori ſententiâ temperarent, & ſuis accommodarent moribus.

XXIX. Cum ita cœlibatus lege publicâ imperatus eſſet, dubium non eſt, maximos in pleriſqve provinciis excitatos fuiſſe motus, nec obtineri potuiſſe illicò aſſenſum ab omnibus. Proinde in qvamplurimis conciliis particularibus repetere opus fuit, & reſtaurare legem parum accommodam. Ex multis videri poſſunt decreta Concilii Taurinatenſis *can. 7.* Arauſicani I. *can. 22. 23. 24.* Arelatenſis II. *can. 2.* Agathenſis *c. 9.* Toletani II. *c. 1.* Toletani

letani IV. *c. 26.* & qvæ plura coacervavit Gratianus *diſt. 28.* Singula illa hîc enumerare nulla ratio cogit. Teſtantur autem univerſa & ſingula, leges de cœlibatu ſacerdotum, qvod creberrimè violarentur, novis ſanctionibus identidem muniri oportuiſſe, nec niſi difficulter atqve coactè receptas fuiſſe. Naturæ ſcilicet vim inferunt, qvi amorem conjugalem ex animis hominum eradicare nituntur. Primi ex omnibus Philoſophis à naturâ tributum eſſe docuérunt, ut ii, qvi procreati eſſent, à procreatoribus amarentur & id, qvod temporum ordine antiqvius eſt, ut conjugia Virorum & Uxorum natura conjuncta eſſe dicerent, ait Cicero *lib. 4. de finib.*

XXX. Qvantocunqve verò conatu legem hanc ſuam ab omnibus gentibus obſervari voluerint Pontifices Romani, obtinere tamen à Græcis non potuérunt, ut eam reciperent, & Clericorum ſuorum conjugia ſimili modo prohiberent. Imò verò contrariam hanc illi in Concilio generali ſexto *can. 13.* poſuérunt legem: *Qvoniam Romanæ Eccleſiæ pro canone traditum eſſe cognovimus, ut diaconi vel presbyteri, qvi ut ordinentur digni exiſtimandi ſunt, profiteantur ſe non amplius ſuis Uxoribus conjungendos: nos antiqvum canonem Apoſtolicæ perfectionis ordinisqve ſervantes hominum in ſacris ordinibus legitima conjugia deinceps ex hoc temporis firma & ſtabilia eſſe volumus, neqvaqvam eorum cum Uxoribus conjunctionem diſſolventes, vel eos mutuâ tempore convenienti conſvetudine privantes. Qvamobrem ſi qvis dignus inventus fuerit, qvi hypodiaconus vel diaconus vel presbyter ordinetur, is ad talem gradum aſſumi neqvaqvam prohibeatur, ſi cum legitimâ Uxore cohabitet. Sed neqve ordinationis tempore ab eo poſtuletur, ut profiteatur, ſe à legitimâ cum Uxore conſvetudine abſtenturum: ne ex eo à DEO conſtitutas & ſuâ præſtantia benedictas nuptias injuria afficere cogamur: Evangelicâ voce exclamante: Qvæ DEUS conjunxit homo ne ſeparet, & Apoſtolo docente honorabiles nuptias & thorum immaculatum, & : alligatus es Uxori, ne qvære ſolutionem. Scimus autem, ſicut & qvi Carthagine convenérunt, miniſtrorum gravitatis honeſtatiſqve curam gerentes dixérunt, ut Subdiaconi, qvi ſacra myſteria contrectant, & diaconi & presbyteri, propriis terminis à conſortibus abſtineant. Ut & qvod per Apoſtolos traditum eſt, & ab ipsâ uſqve antiqvitate ſervatum, nos qvoqve ſimiliter ſervemus, tempus in omni re ſcientes, & maximè in jejunio & oratione. Oportet enim eos, qvi divino altari adſident, in ſanctorum*

tractandorum tempore eſſe omninò continentes, ut poſſint id, qvod à DEO ſimpliciter petunt obtinere. Si qvis ergò præter Apoſtolicos canones incitatus ſit aliqvem eorum, qvi ſunt in ſacris, presbyterorum, inqvimus, vel diaconorum vel Hypodiaconorum conjunctione cum legitimâ Uxore & conſvetudine privare, deponatur. Similiter & ſi qvis presbyter vel diaconus ſuam Uxorem pietatis prætextu ejecerit, ſegregetur, & ſic perſeveret, deponatur Adducitur ex parte à Gratiano *c. qvoniam diſt. 31.* Ex qvo duo inprimis notanda veniunt. 1. Eccleſiæ Romanæ conſtitutionem de perpetuâ Clericorum ab Uxoribus abſtinentiâ in hoc concilio prorſus reprobatam & rejectam fuiſſe, 2. Neqve conjugia ante ordinationem contracta impedimento habita fuiſſe clericatui, nec proinde diſſolvi debuiſſe, & potuiſſe adeò presbyteros & diaconos etiam poſt ordines receptos Uxoribus ſuis cohabitare, qvod concedere noluit Eccleſia Latina.

XXXI. Sed & in Occidentis qvibuſdam provinciis multa ſæpè inter Clericos movebatur contradictio, plurimiqve ſemper exiſtebant, qvi legem iſtam ſibi parum placere verbis & facto conteſtabantur. Et videtur alicubi ſeculo undecimo aut dormitaſſe lex iſta, aut prorſus intermortua fuiſſe. Cùm enim Hildebrandus ſive Gregorius VII Eccleſiæ Romanæ regimen accepiſſet, non aliter, niſi vi factâ obtinere potuit, ut lex iſta de cœlibatu Sacerdotum deinceps obſervaretur. Referam iſtud verbis Lamberti Schaffnaburgenſis, qvi Hildebrandi σύγχρονος fuit, & optimam ejus rei cognitionem habuit. Sic igitur ille *in hiſtoriâ anni CIↃ LXXIV. Hildebrandus Papa cum Epiſcopis Italiæ conveniens jam freqventibus ſynodis decreverat, ut ſecundum inſtituta antiqvorum canonum presbyteri Uxores non habeant, habentes aut dimittant, aut deponantur; nec qviſqvam omninò ad ſacerdotium admittatur, qvi non in perpetuum continentiam vitamqve cœlibem profiteatur. Hoc decreto per totam Italiam promulgato crebras literas ad Epiſcopos Galliarum tranſmittebat, præcipiens, ut ipſi qvoqve in ſuis Eccleſiis ſimiliter facerent, atqve à contubernio ſacerdotum omnes omninò fœminas perpetuo anathemate reſecarent. Adverſus hoc decretum protinus vehementer infremuit tota factio Clericorum; hominem planè hæreticum & veſani dogmatis eſſe clamitans, qvi oblitus ſermonis Domini, qvo ait: non omnes capiunt hoc verbum, qvi poteſt capere, capiat; & Apoſtoli, qvi ſe non continet, nubat: Melius eſt enim nubere, qvàm uri: violentâ exactione homines vivere cogeret ritu angelorum, & d. in*

conſuetum curſum natura negaret, fornicationi & immunditiei frena laxaret. Qvod ſi pergeret ſententiam confirmare, malle ſe ſacerdotium, qvàm conjugium deſerere, & tunc viſurum eum, cui homines ſorderent, unde gubernandis per Eccleſiam DEI plebibus angelos comparaturus eſſet. Nihilominus ille inſtabat, & aſſiduis legationibus Epiſcopos omnes ſocordiæ ac deſidia arguebat, & niſi ocyus injunctum ſibi negocium exſeqverentur, Apoſtolicâ ſe cenſurâ in eos animadverſurum comminabatur. Archiepiſcopus Moguntinus ſciens non parvo conſtare operam hanc, ut tanto tempore inolitam conſvetudinem revelleret, atqve ad rudimenta naſcentis Eccleſiæ ſeneſcentem jam mundum reformaret, moderatius agebat cum eis, & primo eis in dimidium annum inducias & deliberandi copiam dedit, hortans eos, ut qvod neceſſariò faciendum ſit, ſponte faciant, & tàm ſibi qvàm Romano Pontifici neceſſitatem adimant, aliqvid in eos, qvod ſecus ſit, decernendi. Ad ultimum congregatâ Synodo in Erfordiâ menſe Octobri preſſiùs jam imminebat, ut relegatâ omni tergiverſatione in præſentiarum aut conjugium abjurarent, aut ſacri altaris miniſterio ſe abdicarent. Multas contra illi rationes afferebant, qvibus inſtantis perurgentiſqve improbitatem eludere ſententiamqve caſſare niterentur. Cumqve adverſus Apoſtolicæ ſedis auctoritatem, qvâ ſe ille ad hanc exactionem præter voluntatem propriam compulſum obtendebat, nihil argumenta, nihil ſupplicationes preceſqve proficerent; egreſſi tanqvam ad conſultandum, conſilium ineunt, ut in Synodum non redeant, ſed injuſſi omnes in domos ſuas diſcedant. Nonnulli etiam confuſis vocibus clamitabant, meliùs ſibi videri, ut in Synodum regreſſi ipſum Epiſcopum, priuſqvam execrabilem adverſum eos ſententiam promulgaret, Cathedrâ Epiſcopali deturbarent, & meritâ morte multato inſigne monumentum ad poſteros tranſmitterent, ne qvis deinceps ſucceſſorum ejus talem ſacerdotali nomini calumniam ſtruere tentaret. Qvùm ad Epiſcopum relatum eſſet, hoc eos machinari, commonitus à ſuis, ut tumultum, qvi oriebatur, maturâ moderatione præverteret, miſit ad eos foràs, rogavitqve, ut ſedato pectore in ſynodum regrederentur, ſe, qvùm primum opportunitas arriſiſſet, Romam miſſurum, & dominum Apoſtolicum, ſi qvâ poſſet ratione, ab hâc ſententiæ auſteritate deducturum.

XXXII. Qvievit ita negocium iſtud per integrum annum, & ſecuri interim Uxoribus ſuis cohabitabant Sacerdotes. Seqvente verò anno MLXXV, menſe Octobri coacta iterum fuit Synodus Moguntiæ. *Ubi*

Ubi inter alios (ita pergit Lambertus) *Epiſcopos, qvi convenerant, aderat Curienſis Epiſcopus, Apoſtolicæ ſedis literas & mandata deferens, qvibus ei ſub interminatione gradûs & ordinis ſui præcipiebat, ſicut antea qvoqve multis legationibus præceperat, ut presbyteros omnes, qvi intra ſuam diœceſin eſſent conjugati, cogeret aut in præſentiarum conjugibus renunciare, aut ſe in perpetuum ſacri altaris miniſterio abdicare. Qvod dum facere vellet, exſurgentes, qvi undique aſſidebant Clerici, ita eum verbis confutabant, ita manibus & totius corporis geſtu in eum debacchabantur, ut ſe vitâ comite ſynodo exceſſurum deſperaret. Sic tandem rei difficultate ſuperatus, ſtatuit ſibi deinceps tali qvæſtione omninò ſuperſedendum, & Romano Pontifici relinqvendum, ut cauſam, qvam ipſe toties inutiliter propoſuiſſet, ille per ſemetipſum, qvando & qvomodo vellet, peroraret.* Hæc Lambertus, cui addi poſſunt, qvæ ſcribit Sigebertus Gemblacenſis ad ann. MLXXIV, & qvæ de tyrannide Hildebrandinâ collegit Claudius Eſpencæus, *de continent. lib. 1. cap. 12.* Non dubito, Ivonem Carnotenſem Clericorum conjugatorum cœtûs intellectos voluiſſe, cum ad Rogerium presbyterum impudicè viventem ſcriberet *epiſt. 29. Hoc qvaſi argumentum ad defenſionem ſuarum abuſionum ſubſannando ſibi adſciſcunt qvidam Eccleſiarum cœtûs.* Eo enim tempore difficile fuit continentiam Clericis imperare, multiqve adhuc extitêrunt conjugio ligati. Vid. Franc. Juret. *ad Ivon. epiſt. 218.*

XXXIII. Eventus ſcilicet docuit, legem hanc de cœlibatu Sacerdotum non fuiſſe Eccleſiæ convenientem. Inter virtutes legis hæc inprimis refertur, qvod debeat eſſe honeſta, & de rebus licitis, atqve de illis, qvæ ſunt in noſtrâ poteſtate. At talis non eſt lex de cœlibatu, cùm perpetua illa, qvæ imperatur, continentia & caſtitas extra noſtram poteſtatem ſit, & vires naturæ ſuperet. Non nego, dari nonnullos, qvibus iſtud donum datum eſt; ſed negari viciſſim neqvit, extraordinarium iſtud planè eſſe, atqve hinc pauciſſimis contingere, nec ulli mortalium à Deo promiſſum eſſe, út meritò cenſeatur ſacrilegè divinam ordinationem violare, qvi certo hominum generi, qvod de dono iſto incertum eſt, conjugio interdicicit. Placet omninò ſententia Panormitani ad *c. cum olim X. de cler. conjug. num 4.* dum ait: *Papa etiam cum majori parte concilii non poterit indicere continentiam certo generi perſonarum poſt promotionem eis reſiſtentibus & reluctantibus qvia continentia eſt res, qvæ poteſt perſvaderi, imperari autem non.* Et

Kk 2 poſt

poſt pauca *ſub num. 5.* de lege cœlibatus hunc in modum diſſerit: *Credo pro bono & ſalute animarum, qvod eſſet ſalubre ſtatutum, ut volentes continere relinqvere voluntati eorum, non valentes autem continere, poſſint contrahere: qvia experientiâ docente contrarius prorſus effectus ſeqvitur ex illâ lege continentiæ, cum hodiè non vivant ſpiritualiter, nec ſint mundi, ſed maculantur illicito coitu cum eorum graviſſimo peccato: ubi cum propriâ Uxore eſſet caſtitas. Unde deberet Eccleſia facere, ſicut bonus Medicus, ut ſi medicinâ experientiâ docente potiùs officit, qvàm proſit, eam tollat.*

XXXIV. Qvod ſi jam à Pontificibus rationem prohibitionis exqviras, ab ipſis ejus autoribus non aliam accipies, qvàm qvod carnali concupiſcentiâ contaminati acceptabile Deo munus offerre neqveant, neqve exaudiantur à Deo, qvorum mens & conſcientia eſt coinqvinata. *c. propoſuiſti & c. ſeq. diſt. 82.* Georgius Caſſander *in conſultatione*, qvam eâ de re Ferdinandi I & Maximiliani II mandato conſcripſit, rationes has reddit: *Qvarum*, inqvit, *prima fuit, ut miniſtri Eccleſiæ caſtè, pudiceqve in Eccleſiâ ſerviant, ut ſancta ſanctè contrectent atqve diſpenſent. Altera, ut avaritiæ cauſa præcideretur, qvam rei familiaris procuratio & liberorum cura adferre ſolet. Tertia, ut à cura rei familiaris liberi expeditiùs & attentiùs res divinas adminiſtrent. Paulus enim ait, Maritum mundana curare, ut Uxori placeat; cœlibem verò ea qvæ ſunt Domini curare, ut Domino placeat, &c.* Sed agnoſcit mox ipſe verbis ſeqventibus, rationes iſtas noſtris temporibus, qvibus juvenes nondum ſibi cogniti nec explorati ad miniſterium admittuntur, non convenire. *Cauſæ illæ*, inqvit, *qvibus majores ad conſtitutionem hanc faciendam inductos eſſe diximus, non ſolùm hodiè ceſſarunt, ſed etiam in contrarium ſunt converſæ. Nam primùm vidmus hoc decreto uſqve adeò caſtitatem & continentiam in Chriſto non confirmari, ut per illud ad omne libidinis & flagitii genus feneſtra aperta eſſe videatur. Item uſqve adeò non refrenatam in Clero avaritiam, ut etiam freta magis laxata eſſe videantur. Tùm res in pleriſqve Sacerdotibus ita comparatæ ſunt, ut conjugum piarum conſortio non modo ad functiones Eccleſiaſticas obeundas non impediantur, ſed etiam ad earum procurationem adjuventur ab eis, qvem-*

qvemadmodum de patre ſuo Gregorio & matre Nonnâ Gregorius Nazianzenus teſtatur. Sunt & contra plerique cœlibes, qvi uſqve adeò cœlibatu ſuo ad ea, qvæ DEI ſunt expeditius curanda non incitentur, ſed etiam contra curis hujus ſeculi ſupra reliqvos homines immergantur & obruantur, &c. Concludit tandem, relaxari debere ſtatutum iſtud, & honeſtos etiam maritos ad miniſterium Eccleſiaſticum admittendos eſſe.

XXXV. Videtur Caſſander, ut fuit integræ mentis & candidi pectoris, non ſatis penetraſſe arcana aulæ Romanæ, neqve exploraſſe rationes, qvibus lex cœlibatus hodiè qvàm maximè nititur. Eas nobis in Concilio Tridentino haud paulo alias explicavit Rodolphus Pius Cardinalis Carpenſis, referente Petro Svav. *in hiſt. Concil. Trid. lib. 5. p. m. 517. Si*, inqvit, *connubia permittantur Sacerdotibus, id inde ſecuturum, ut familiam, Vxorem ac liberos alentes ad Principis qvisqve ſui obedientiam reſpiciens Pontificis obſeqvium detrectet: ut liberorum charitas ab officio ad omnem Eccleſiæ fraudem ac præjudicium abducat: ut de ſacerdotiis in familias ſuas hereditario jure adſciscendis cogitent: ut deniqve intra breve tempus ſedes Apoſtolica Vrbis Romanæ cancellos non exſcendat. Ante inſtitutum cœlibatum ſedem Romanam nullam ex aliis civitatibus ac regionibus fructum percepiſſe, per hunc adeptum dominatum omnium ſacerdotiorum, qvæ matrimonium exiguo tempore illi eriperet.*

XXXVI. Hæc ſunt ſcilicet cœlibatûs ſacerdotalis arcana & curiæ Romanæ ſecreta conſilia, qvæ aliam honeſtiorem cauſam mentiuntur, & πρόφασιν ex puritate cultûs divini mutuantur. Nec mirari hinc amplius qvisqvam poteſt, eò vaſaniæ proceſſiſſe nonnullos, ut ſtatuerent, ſatius eſſe, qvamplurimas domi â clerico haberi meretrices, qvàm ut unam habeat honeſtam Vxorem. Nempe â concubinis & meretricibus tantum Apoſtolicæ ſedi haud imminet periculum, qvàm ab honeſtis Vxoribus. Sed profectò iſta Clericorum vivendi ratio jam diu diſplicuit Bernhardo. *Væ*, inqvit, *inimicus hominum ſulphurei illius incendii reliqvias infelices circumqvaqve diſperſit, execrabili illo cinere Eccleſiæ corpus adſperſit, & ipſorum qvoqve miniſtrorum ejus nonnullos ſanie fœdiſſimâ ſpurciſſimâqve reſperſit. Ingrediuntur cum hâc maculâ ſanctuarium DEI viventis, inhabitant cum maculâ, templum ſanctum Domini polluentes, judicium multiplex accepturi, qvod & tàm graviſſimas conſcientias gerunt, & nihilominus ſe ingerunt in ſanctuarium DEI. --- Eſſet autem ſine dubio melius nubere, qvàm uri, & ſalvari in humili gradu fidelis populi, qvàm in Cleri ſublimitate & deteriùs vivere*

& diſtrictius judicari. *Multi enim, non qvidem omnes, ſed tamen multi, certum eſt, nec latere qveunt præ multitudine, nec præ impudentiâ qværunt. multi utiqve libertatem, in qvâ vocati ſunt, in occaſionem carnis dediſſe videntur, abſtinentes remedio nuptiali, & in omne deinceps flagitium effluentes.*

XXXVII. Sed nolo Camarinam hanc movere diutius. Plura qvi deſiderat, &, qvam impudica ſit in Eccleſiâ Latinâ, Clericorum caſtitas, noſſe cupit, adeat is Alvarum Pelagium *de planctu Eccleſ.* Georg. Wicelium *in viâ reg.* Joh. Juell. *adverſ. Harding. part. 4.* Andr. Rivet. *in Jeſuit. vapul. cap. 3.* Georg. Calixt. *de conjug. Cler.* Lepida eſt ratio differentiæ inter jus civile & Canonicum, illo inceſtuoſis & adulterinis liberis alimenta denegante, hoc decernente, qvam reddit Joh. Petr. de Ferrariis *in prax. tit. 49. n. 27. & 28. Utrumqve jus*, inqvit, *habet infectionem. Nam ratio juris civilis fuit, ut reprimeretur vitium carnis; ratio autem Clericorum fuit (qvia luxurioſi ſunt & carent uxoribus, ut ampliaretur facultas luxuriandi,) qvia inhumanum erat, qvod anima creata fame periret, qvæ non peccaverat, &c.* Salſè perſtringit cœlibatum clericorum, ideò ſcil. carere eos Vxoribus, ut ampliaretur facultas luxuriandi. Scilicet illis plus placet Venus vaga & deſultoria, qvâm caſta & legitima.

Capvt XV.

De vitiis & delictis Diaconorum.

I. *Vitium qvatenus differat à flagitio, peccato, ſcelere, &c.* II. *Qvæ diaconorũ vitia ſint recenſenda.* III. *Eorum cum delictis militis comparatio.* IV. *Diſtinctio inter delicta & caſus privilegiatos in Galliis exorta.* V. *Ex neglectu muneris reatus.* VI. *Diaconorum faſtus & in ſuperiores præſumtio.* VII. *Exemplum hujus rei prolatum,* VIII. *& cauſſa duplex indicata,* IX. *ex auctore qvæſtionum veteris & novi teſtamenti.* X. *Qvare diaconi Romanæ Eccleſiæ non ſunt ſuperiores aliis.* XI. *Diaconus vrbicus, item Epiſcopus, magiſtratus, &c.* XII. *Diaconus ne ſedeat coram presbytero.* XIII.

XIII. *Diaconorum ebrietas,* XIV. *Stupra, fornicatio. mulieres συνείσακτοι,* XV. *Pollutio labrorum,* XVI. *avaritia,* XVII. *ex ſordida Clericorum cupiditate monſtratur,* XVIII. *& fœnere, uſuris.* XIX. *an crimen hoc ſit mere Eccleſiaſticum?* XX. *Clericorum ira, invidia, videlicet cupiditas, & qvæ hinc Eccleſiæ mala.* XXI. *Pervicacia, rabies, veritatis neglectus, convicia.* XXII. *Qvare Deus hæc permittat.* XXIII. *Per vitia miniſtri perſonalia non corrumpitur miniſterium aut deſtruitur.* XXIV. *Vitiorum perpetuitas.*

I. Vitia flagitiis leviora eſſe, ſcribit A.Gellius *l.1.noct. Attic. cap. 17.* Qvod agit indomita cupiditas ad corrumpendum animum & corpus ſuum, flagitium vocatur. Auguſtin. *lib.3. de doctr. Chriſt. c. 10.* Vitium verò eſt turpis habitus animi. Unde, ſi â peccato & culpâ accuratè diſtingvi debeat vitium, docent Moraliſtæ, vitium eſſe in habitibus & in actibus virtuti contrariis, peccatum verò & culpam ſolùm in actibus conſiſtere. Joh. Azor. *inſtit. moral. lib. 4. cap. 1.* Et qvia ſæpe confunduntur, crimen, delictum, peccatum, ſcelus, flagitium, &c. ut vocabula iſta in ſignificatione genuinâ diſtingvenda ſint, non Theologi tantùm, ſed JCti etiam ſæpè ſolliciti ſunt. Ex multis videri poſſunt Gerhardus Johannes Voſſius *in hiſtor. Pelag. lib. 2. part. 3. th. 2.* Nicol. le Maiſtre *de bon. Eccleſ. lib. 1. cap. 8.* Tiberius Decianus *tr. Crim. lib. 1. per tot.* Petr. Theodoric. *Colleg. criminal. diſp. 1. th. 1.* Anton Matthæus *de crim. in prolegom. cap. 1.* Proſp. Farinac. *lib. 1. cap. 18.*

II. Nos ea cura non tangit, qvandoqvidem non vitiis tantùm, ſed flagitiis etiam & atrociſſimis criminibus inqvinati qvandoqve eſſe ſolent diaconi. Et ab his recenſendis lubens abſtinerem, niſi qvotidiana adhuc ſæpe numero occurrerent exempla, qvæ antiqvorum Patrum qverelas eâ de re identidem in memoriam revocant. Nec tamen, ut ſingula qværqve enumerem, expectari vel poteſt vel debet, cùm & diverſæ atqve multiplices delictorum ſpecies ſint, & exempla infinita, & Patrum ſententiæ haud paucæ. Sufficiet igitur, ſi ex immenſâ copiâ talia hîc conſignemus, qvæ ſumma qvaſi & extantiora capita conſtituant, reliqva cujusqve alterius induſtriæ relinqventes. Nec enim id hîc intendimus, ut de moribus doctrinam plenè tradamus, ſed ut deſcribamus tantùm, qvibus delictis ſanctiſſimum officium contaminatum haud rarò fuerit, & contaminari adhuc ſoleat.

III. Præmittendum verò adhuc eſt, applicari hîc poſſe diſtinctionem

deli-

delictorum, qvam in perſonâ militis obſervatam voluit JCtus in *l. 2. ff. de re militari*. Militum nempe delicta ſive admiſſa aut propria ſunt, aut cum cæteris communia, qvorum ratione etiam perſecutio aut propria aut communis eſt. Communia ſunt, qvæ etiam in reliqvos homines cadunt, ut homicidium, adulterium, furtum, &c. Propria, qvæ milites, ut milites admittunt, qvæqve adeò ſpecialem militiæ rationem includunt. Talia plurima referuntur in *l. 3. ff. eod.* Sic enim delinqvit deſertor, emanſor, qvi in exploratione emanet, qvi à foſſato recedit, qvi ſtationis munus relinqvit, qvi ab excubatione deſiſtit, qvi ad diem commeatûs non venit, qvi ad hoſtem confugit, qvi in bello arma amittit vel alienat, qvi vallum transſcendit, aut per murum caſtra ingreditur & ſimiles alii. Conf. Tib. Decianus *tr. crim. lib. 7. c. 15.* Alexand. ab Alexandr. *genial. dier. lib. 2. c. 13.* Ad eundem modum Eccleſiaſticorum admiſſa ſive delicta aut propria ſunt, id eſt, qvæ illi ut Eccleſiaſtici admittunt adverſus Eccleſiaſticam diſciplinam; alia verò communia ſunt, qvæ non jam ut Eccleſiaſtici, ſed ut civium numero, atqve in Rep. conſtituti admittunt. Nam, ut rectè ipſe etiam Bellarminus *lib. 1. de Cler. cap. 28.* agnoſcit, Clerici præterqvam qvod Clerici ſunt, ſunt etiam cives & partes Reip. politicæ. Hâc igitur ratione diaconorum delicta propria ſunt, qvando illi delinqvant in officio ſuo, vel omittendo vel committendo, qvando non agunt, ut debent, aut qvando aliter agunt.

IV. Canoniſtæ recentiores in alio ſignificatu accipiunt delicta communia, qvando ea opponunt caſibus privilegiatis. Nempe communia delicta illis dicuntur, de qvibus in judicio Eccleſiaſtico agitatur; caſus autem privilegiati, qvorum cognitio ad judicem ſecularem pertinet. Utrobiqve ſubjectum delinqvens debet eſſe clericus, ne qvis ad alios id pertinere putet. Atqve ea diſtinctio in Galliis primùm exorta videtur. Cùm enim à Romanâ Eccleſiâ exemtio Eccleſiaſticorum ab omni poteſtate ſeculari magno conatu adſtrueretur, nec Gallia tamen omnem jurisdictionem, qvam â multis ſeculis in perſonas Eccleſiaſticas exercuerat, deſerere & renunciare vellet, temperamentum aliqvod per hanc diſtinctionem excogitari cœpit, idqve in gratiam Eccleſiaſticorum non omninò improbatum fuit. Neqve tamen animadverſum tunc eſt, poni ita ſenſim fundamenta exemtionis univerſalis ab Eccleſiaſticis tam enixè affectatæ, & eis hâc ratione concedi, qvod maximè cupiebant, non ſubeſſe eos jure communi poteſtatibus ſecularibus, qvandoqvidem caſûs, pro-

propter qvos judices ſeculares in eos animadvertebant, vocabantur privilegiati, ac ſi ſcil. ex privilegio ab alterius beneficio proveniente id fieret. Qvem errorem, totiusqve diſtinctionis commentitias rationes ſolidè detegit Benignus Milletotus in Divionenſi Curiâ Conſiliarius, *in aureo libello de delicto communi & caſu privilegiato*.

V. Hâc igitur diſtinctione omiſſâ, neqve de priore qvidem multa nobis erit ſollicitudo, qvandoqvidem, qvæ circa officium delinqvuntur, facilè intelligi poterunt ex illis, qvæ de officio diaconorum ipſo ſupra abunde adduximus. Id enim ſi qvoqvo modo neglectum, aut contrarium qvid commiſſum fuerit, reum facit diaconum, pœnamqve meretur ſecundum canones aut cujusqve loci ſtatuta decernendam. Tàm peccat ille, qvi non facit, qvod facere debet, qvàm qvi facit qvod facere non debet. Atqve ita jus eſt etiam in civilibus negociis, ut puniatur negligentia ejus, qvi qvid facere debuit, *l.7.C.de bon.proſcript.* Qvin imo graviùs delinqvit judex, & graviore pœnâ dignus eſt, qvi negligens eſt in officio, qvàm qvi per imperitiam judicat: cùm negligens omittat id, qvod facere debet, imperitus autem faciat, qvod ignorat. Gabr. Alvarez de Velaſco *de jud.perfect.rúbr.15.annot.1.n.23.* Qvemadmodum igitur in muneribus Eccleſiaſticis ſi qvi inter Epiſcopos ita deſides atqve negligentes reperti fuerint, ut nulla ab eis Eccleſiæ ſperanda ſit utilitas, impune id ferre non debent *c.pervenit & c.ſeq.diſt.84.* ita etiam diaconi pœnâ digni ſunt, qvi munere ſuo abutuntur, & negligenter id obeunt, cùm non exigua pars miniſterii Eccleſiaſtici eis concredita ſit.

VI. Inter communia diaconorum delicta eminet & certo modo proprium fuit faſtus & ſuperbia, qvâ ſæpenumero presbyteris inſultárunt, eisqve ſuperiores videri voluérunt. Ordinum ὑποταγὴ talis jam diu conſtituta fuerat, ut â ſubdiacono usqve ad Lectores omnes ſubditi eſſent diacono Cardinali in Eccleſiâ repræſentantes ei honorem. porrò Pontifici presbyter, presbytero diaconus, diacono ſubdiaconus, ſubdiacono acolythus, acolytho exorciſta, exorciſtæ lector, lectori oſtiarius, oſtiario abbas, abbati monachus in omni loco repræſentaret obſeqviũ, ſive in publico, ſive in gremio Eccleſiæ *c.à ſubdiacono diſt.93.* ſeqvioribus tamen temporibus inſuper habitq hoc ordine diaconi plus ſibi ſumpſêrunt, & tantùm non contemptui aliqvando habuérunt tùm presbyteros, tùm Epiſcopos. Teſtantur id non conciliorum tantùm decreta, ſed privatæ etiam Epiſcoporum epiſtolæ, qvibus acerrimè inſectati fuérunt hanc diaconorum præſumptionem. Plurima talia congeſſit Gratia-

nus *d. diſt. 93.* inter qvæ maximè illuſtre eſt decretum Concilii Toletani IV, *c. 38. Nonnulli diaconi in tantum prorumpunt ſuperbiam, ut ſeſe presbyteris anteponant, atqve in primo choro & ipſi priores ſtare præſumant, presbyteris in ſecundo choro conſtitutis. ergò ut ſublimiores ſe presbyteros agnoſcant, tàm illi qvàm hi in utroqve ordine conſiſtant.*

VII. Autor qvæſtionum veteris & novi teſtamenti, (qvæ Auguſtino vulgo adſcribuntur, ſed perperam, vid. Bellarmin. *de Scriptor. Eccl. ſub Ambroſio) qvæſt. 101.* exemplum hujus rei refert, idqve graviter perſtringit: *Qvidam qvi nomen habet Falcidii duce ſtultitiâ, & civitatis Romanæ jactantiâ, Levitas Sacerdotibus & diaconos presbyteris coæqvare contendit, non dicam præferre, qvia ſtultius eſt & fortè incredibile videtur. -- Qvâ igitur lege, qvâve conſvetudine qvove exemplo hoc aggredi audeat, nullum ſcire arbitror, ut iſtos, qvibus conſeſſus in Eccleſiâ datus eſt minimè, iis coæqvet, qvi propter qvod antiſtites DEI ſunt, in domo DEI & in honore Chriſti cum dignitate conſiſtunt. Qvæ audacia eſt presbyteris miniſtros ipſorum pares facere. --- Nunc videmus diaconos temerè, qvod ſacerdotum eſt, agere per convivia, & in oratione id velle, uť reſpondeatur illis, cum iſtud ſolis liceat ſacerdotibus, &c.* Ejusdem exempli meminit Hieronymus in epiſt. ad Evagrium Epiſcopum, qvam recenſet Gratianus *c. legimus d. diſt. 93.* ex qvâ ſeqventia hoc loco adſcribere operæ precium erit: *Audio qvendam in tantam erupiſſe vecordiam, ut diaconos presbyteris, h. e. epiſcopis anteferret. Nam cùm Apoſtolus perſpicuè doceat, eosdem eſſe presbyteros, qvos Epiſcopos, qvid patitur menſarũ & viduarum miniſter, ut ſupra eos tumidus ſe efferat, ad qvorum preces Chriſti corpus ſangvisqve conficitur? &c.* Ut retunderet Hieronymus faſtum iſtum & præſumptionem diaconorum, ex conceſſis argumentatur. Diaconi ſcil. lubentes agnoſcebant, ſe Epiſcopis inferiores eſſe. Atqvi, ait Hieronymus, juxta phraſin ſcripturæ presbyteri non differunt ab Epiſcopis. Ergò itidem presbyteris ſe inferiores eſſe agnoſcere debent & fateri.

VIII. Cauſam hujus *ὑπερηφανίας* aſſumtæ invenio duplicem, alteram ſpecialem & diaconorum in Vrbe Româ propriam, generaliorem alteram & reliqvis omnibus communem. Romanæ enim Eccleſiæ diaconi ideò ferè intumeſcebant, qvod Urbs ipſa totius Orbis caput diceretur, & magnificentiâ ſuâ reliqvas civitates omnes ſuperaret. Sed & ſpeciale illi hoc habebant, qvod ordinandis presbyteris adſtarent, cauſas diverſorum ad ſummum Pontificem referrent, acceptaqve ab ipſo reſponſa petentibus redderent. Id qvod illis magnam autoritatem & reveren-

tiam apud omnes comparabat. Communiter verò omne hoc malum ex bonorum adminiſtratione, qvæ illis concredita erat, oriebatur, propter qvam non Romæ tantùm, ſed ubiqve etiam majore obſeqvio diaconi, qvàm presbyteri freqventabantur. Sic enim fieri ſolet, ut rationales, qviqve ærariis præfecti & fiſci curatores ſunt, majore ſemper cultu afficiantur, qvàm alii in altiore licet gradu & dignitate conſtituti.

IX. Utriusqve hujus cauſæ mentionem facit ſupra citatus autor qvæſtionum Veteris & novi teſtamenti, *d. l. Qvanqvam,* inqvit, *Romanæ Eccleſiæ diaconi modico inverecundiores videantur, ſedendi tamen dignitatem in Eccleſiâ non præſumunt. -- Sed qvia Romanæ Eccleſiæ miniſtri ſunt, idcircò honorabiliores putantur, qvàm apud cæteras Eccleſias, propter magnificentiam Urbis Romanæ, qvæ caput eſſe videtur omnium civitatum. Si itaqve ſic eſt, hoc debent & ſacerdotibus ſuis vindicare: qvia ſi ii, qvi inferiores ſunt, creſcunt propter magnificentiam civitatis, qvanto magis qvi potiores ſublimandi ſunt. -- Vides qvid pariat vana præſumptio. Immemores enim elatione mentis, eò qvod videant Romanæ Eccleſiæ ſe eſſe miniſtros, non conſiderant qvid illis à Deo decretum ſit, & qvid debeant cuſtodire; ſed tollunt hæc de memoriâ aſſiduæ ſtationes domeſticæ, & officialitas, qvæ per ſuggeſtiones malas ſeu bonas nunc plurimùm poteſt.* (Intelligit œconomos & ſervos adminiſtrationi adjunctos, qvi ratione officii freqventiores erant apud diaconos qvàm presbyteros.) *Hi ſunt, qvi faciunt eos ordinis ſui non conſiderare rationem. Dum enim per adulationem obſeqvuntur illis illicite, præcipites illos faciunt, ut plus ſibi putent licere: qvippe cùm videant non ſic deferri ſacerdotibus, ac per hoc anteferri ſe putant. Sed teſtimonio, inqvit, diaconi fit presbyter, qvaſi iſtud ad prærogativam pertineat magnitudinis. -- Ecce Laicorum teſtimonio creati ſunt diaconi, &c.*

X. In iisdem argumentis confutandis etiam Hieronymi epiſtola ſupra ex Gratiani compilatione adducta, occupata eſt. Verba qvæ huc faciunt ſunt iſta: *Nec altera Romanæ Urbis Eccleſia, altera totius Orbis exiſtimanda eſt. -- Si auctoritas qværitur, orbis major eſt urbe. -- Potentia divitiarum & paupertatis humilitas vel ſublimiorem vel inferiorem epiſcopum non facit. Cæterùm omnes Apoſtolorum ſucceſſores ſunt. Sed dices: qvomodo Romæ ad teſtimonium diaconi presbyter ordinatur? Qvid mihi profers unius Urbis conſvetudinem? Qvid paucitatem, de qvâ ortum eſt ſupercilium in Leges Eccleſiæ vendicas? Omne qvod rarum eſt plus appetitur. Pulegium apud Indos pipere precioſius eſt. Diaconos paucitas honorabiles, presbyteros turba contemptibiles facit. -- Sciant diaconi qvare*

conſtituti ſunt. Legant acta Apoſtolorum & recordentur conditionis ſuæ. -- Qvi provehitur, de minori ad majus provehitur. Aut igitur ex presbytero ordinetur diaconus, ut presbytero major comprobetur, in qvem concreſcit ex parvo, aut ſi ex diacono ordinatur presbyter, noverit ſe Laicis majorem ſacerdotibus eſſe minorem.

XI. Dum hæc ſcribo, in mentem mihi venit canon decimus octavus Concilii Arelatenſis I, qvi ſic habet: *De diaconibus Urbicis, ut non aliqvid per ſe præſumant, ſed honor presbyteris reſervetur.* Videtur hic canon de diaconis Vrbis Romæ, qvi propterea Urbici dicuntur, conceptus eſſe. Etſi enim pleriqve omnes ſtatuant, Concilium iſtud provinciale fuiſſe, ex illorum tamen, qvi ſubſcripſerunt, nominibus, qvorum maxima pars periit, apparet, ex toto Occidente congregatos tùm fuiſſe Epiſcopos, qvi utiqve circa diſciplinam Eccleſiæ Romanæ canonem conſcribere optimo jure potuerunt. Uti enim Vrbs per antonomaſiam & κατ' ἐξοχὴν Romam denotat: ſic & Urbicus Romanum. Ita Urbicus Epiſcopus â Paulino *epiſt. 1.* dictus eſt Pontifex Romanus. Sed & Paulino antiqvior Optatus Afer Zephyrinum Urbicum appellat, *lib. 1.* qvi & Romæ Epiſcopus & Romanus origine fuerat. Sic confeſſores & Clericos Urbicos nominat Cyprianus *epiſt. 40.* Romanos intelligens: Urbicos Magiſtratus Svetonius *in Auguſto c. 46.* Urbica negocia Ulpianus *l. 51. ff. de adminiſtr. & peric. tut.* Urbicos piſtores & urbica miniſteria Paulus *l. ult. ff. de excuſ. tut. l. 4. §. ſi ita ff. de penu leg.*

XII. Urbici igitur iſti diaconi, qvia ſæpiſſimè adverſus presbyteros cervicem erigebant, qvod ſe majore cultu â populo obſervari animadverterent, nec attenderent, presbyteros ab ipſo inſtitutionis initio in altiore gradu poſitos fuiſſe, iteratis cenſuris coërcebantur. Et qvia inde exemplum etiam in aliis Urbibus capiebant diaconi, hinc & illis fibula injecta non unis vicibus fuit. Res notior eſt, qvam ut prolixiore commentario comprobetur. Utqve eo magis conditionis ſuæ memores exiſterent diaconi, in qvamplurimis conciliis conſtitutum fuit, ut diaconi præſente presbytero ne ſederent, niſi jubente eo. Cumqve nihilominus diaconi in faſtu illo ſuo perſiſterent, ſuasqve illas præſumtiones ſummo cum canonum contemtu repeterent, addi tandem in ſynodo Trullanâ fuit comminatio pœnæ haud contemnendæ. Verba refert Gratianus *c. ult. diſt. 93. Præcipimus, ne diaconus, qvamvis etiam indignitate, h. e. in officio qvolibet Eccleſiaſtico ſit, ante presbyterum ſedeat.*

-- *Si*

— *Si qvis verò præſumpſerit hoc tyrannicè facere, à proprio gradu repulſus, ultimus omnium fiat in ordine ſuô.* Et hactenus de affectatâ Diaconorum ſuperbiâ.

XIII. Sed & aliis vitiis dediti ſemper qvamplurimi fuerunt diaconi. Ebrietatem jam diu notârunt Canones, qvi dicuntur Apoſtolici *cap. 42. Epiſcopus vel presbyter vel diaconus aleis & ebrietatibus vacans vel deſiſtat, vel deponatur, καθαιρείσθω.* Gratianus; damnetur, *c. 1. diſt. 35.* In Concilio Agathenſi *c. 41.* qvem idem refert Gratianus *c. ult. eād.* Similiter conſtitutum legitur: *Ante omnia Clericis vitatur ebrietas, qvæ omnium vitiorum fomes & nutrix eſt. Itaqve eum, qvem ebrium fuiſſe conſtiterit, ut ordo patitur aut triginta dierum ſpacio à communione ſubmoveatur, aut corporali ſubdatur ſupplicio.* Similia ex libris pœnitentialibus refert Ivo *in decret. part. 13. inprimis c. 81.* ex pœnitentiali Romano: *Qvi per ebrietatem vomitum facit, ſi presbyter aut diaconus eſt, 40. dies pœniteat; ſi monachus, 30. dies, ſi clericus 20. dies: ſi laicus, 15. dies.* Plura coacervari hîc poſſent, ſi digna res eſſet prolixiore tractatione. Exemplum diaconi per ebrietatem miſerè pereuntis refert Gregorius Turonenſis *hiſt. lib. 10. c. 14.*

XIV. De ſtupris & fornicatione diaconos olim ſuſpectos faciebant mulieres συνείσακτοι, de qvibus ſupra jam nobis ſermo fuit. Scribit Cyprianus *lib. 1. epiſt. 11.* ſuo tempore diaconos cum virginibus, qvales ſe credi volebant, non modo eodem tecto, ſed & lecto uti voluiſſe, & illas, cum propterea reprehenderentur, jactâſſe nihilominus, ſe virgines eſſe, & ad obſtetricum judicium provocaſſe, interea turpiter multa feciſſe. Animadvertentes hoc Patres in Concilio Niceno, ſub iſto prætextu turpem impudicitiam velari, talium mulierum conſvetudinem Clericis prorſus interdixêrunt, *can. 3.* Secuta deinceps in aliis ſynodis ſimilia decreta, ſed qvæ inveteratum hoc malum nunqvam tollere prorſus potuêrunt. Ipſe etiam Juſtinianus ſeverâ conſtitutione *novellâ 123. c. 29.* prohibitionem iſtiuſmodi iteravit. Sed & iſtam parum profeciſſe, argumento ſunt tot alia ſubſecutis ſeculis decreta ſynodalia. Suſpectas enim ejuſmodi mulierculas domibus clericorum ejici juſſit Synodus Qviniſexta in Trullo habita *can. 5.* Nicena II, *can. 18.* Aqviſgranenſis *can. 39.* Moguntiacenſis *c. 10.* Metenſis *c. 3.* Claramontenſis *c. 9. & 10.* Turonenſis I, *c. 3.* Nannetenſis *c. 3.* Cabilonenſis *c. 3.*

XV. In epiſtolâ Baſilii Archiepiſcopi ad Amphilochium Canonicâ *can. 70.* mentio fit diaconi, qvi in labris pollutus eſt, qvod is à miniſterio prohiberi debeat. Verba ita habent: *Diaconus qvi pollutus*

 eſt

eſt in labris, & ſe eo uſqve peccaſſe confeſſus eſt, à miniſterio prohibebitur: ut autem ſit Sacramentorum cum diaconis particeps, dignus habebitur. Id ipſum autem presbyter quoqve. Si qvid autem amplius peccaſſe qvis deprehenſus fuerit, in qvocunqve ſit gradu, deponetur. In commentario diſqvirit Balſamon, qvid ſit ſacratum hominem in labris pollui? Et varias refert interpretationes, de qvibus ait Ariſtenus, in ſcriptis tradi non oportere propter rei turpitudinem. Ego non aliud intelligo opus monſtroſum, qvam cujus ſæpè meminit Martialis in epigrammatibus.

XVI. Pari modo etiam avaritiæ vitium maximè freqvens jam olim fuit inter diaconos, uti inter Clericos reliqvos. Notatqve eos inprimis Hieronymus ad Euſtochium: *Alii presbyterium & diaconatum ambiunt, ut mulieres licentius videant. Qvidam in hoc omne ſtudium vitamqve poſuérunt, ut matronarum nomina, domos, moreſqve cognoſcant: ex qvibus unus hujus artis princeps, (qvo faciliùs cognito diſcipulos recognoſcas) cum Sole feſtinus exſurgit: ſalutandi ei ordo diſponitur, viarum compendia reqviruntur, & penè uſq; ad cubicula dormientium ſenex importunus ingreditur. Si pulvillum viderit, ſi mantile elegans, ſi qvid ſupellectilis domeſticæ, laudat, miratur, attrectat, & ſe his indigere conqverens non tàm impetrat, qvàm extorqvet: qvia ſingulæ metuunt, veredarium Urbis offendere, &c.*

XVII. Pertinet huc ejuſdem Hieronymi *ex epiſtolà ad Nepotianum*, in heredipetas invectiva, qvâ Clericorum ſordidiſſima artificia, ut ex facultatibus morientium compendium ſibi faciant, deſcribit: *Audio*, inqvit, *in ſenes & anus abſqve liberis qvorundam turpe ſervitium: ipſi apponunt matulam, obſident lectum, purulentiam ſtomachi, & phlegmata pulmonis manu propriâ ſuſcipiunt: pavent ad introitum Medici: frementibuſqve labiis, an commodiùs habeant, ſciſcitantur: & ſi paulùlum ſenex vegetior fuerit, periclitantur, ſimulatâq; lætitiâ, mens intrinſecus avara torqvetur. Timent enim, ne perdant miniſterium, & vivacem ſenem Mathuſalem annis comparant. O qvanta apud DEUM merces, ſi in præſenti precium non ſperarent! Qvantis ſudoribus hereditas caſſa expetitur? minori labore margaritum Chriſti emi poterat, &c.* Qvæſtuariam hanc & ſordidam Clericorum cupiditatem ut coërceret Valentinianus Imperator, conſtitutionem promulgavit, qvæ etiamnum extat *in l. 20. Cod. Theodoſ. de Epiſc. Eccleſ. & Cler.* his verbis: *Eccleſiaſtici, aut ex Eccleſiaſticis, vel qvi continentium ſe volunt nomine nuncupari, viduarum ac pupillarum domos non adeant, ſed publicis exterminentur judiciis, ſi poſthac eos ad fines*

earum vel propinqvi putaverint deferendos. Cenſemus etiam, ut memorati nihil de ejus mulieris, qvi ſe privatim ſub prætextu religionis adjunxerint, liberalitate qvâcunq; vel extremo judicio poſſint adipiſci; & omne in tantum inefficax ſit, qvod alicui horum ab his fuerit derelictum, ut nec per ſubjectam perſonam valeant aliqvid vel donatione, vel teſtamento percipere, &c. Non hæc odio in perſonas Eccleſiaſticas ſcripta lex eſt, ſed in avaritiam & ſordes, qvibus inqvinati heredipetæ Eccleſiæ nomen proſtituebant, & turpiſſima lucra ſub religionis & cultûs divini pallio ſectabantur, uti adverſus Baroniũ eleganter defendit Jacobus Gothofredus *in not.* Conf. Nicol. le Maiſtre *de bon. Eccleſ. lib. 2. c. 1.* Renat. à Valle *in Hipparch. pag. 88.*

XVIII. Inter avaros primum ferè locum obtinent fœneratores, qvi proinde legibus tùm Eccleſiaſticis tùm civilibus nunqvam non coërciti fuérunt. Potiſſimùm verò in Clericis id improbatum ſemper fuit, ſi qvi fœnus exercere haud erubuerint. In concilio Arelatenſi I, *c. 12.* conſtitutum eſt, *ut miniſtri, qvi fœnerantur, juxta formam divinitus datam à communione abſtineant.* Idem jam ante decretum legitur *canone Apoſtolico 44.* & in Concilio Niceno *c. 17.* & in Eliberitano *c. 20.* Verba refert Gratianus *diſt. 47. & c. 14. q. 4.* Et ſanè jam diu odioſum nomen eſt uſura, ſed qvæ nihilominus toto die datur & accipitur. Et videntur Canoniſtæ recentiores damnare eandem odio ferè ſoliùs nominis, cùm interim ſub alio colore permiſſa & licita eis fiat. Nec enim alia eſt ratio annuorum redituum, qvi emi & vendi ſolent, qviqve proinde in fraudem legis inventi haud fruſtra dicentur. Vid. qvæ dixi diſſert. *de Mohatra num. 22. ſeq.* Sed ea qvæſtio propriè huc non pertinet. Illud certum eſt, ſive licitas facias uſuras, ſive illicitas, utrobiqve verendum eſſe, ne non ſatis reſpondeat eventus. Altero enim caſu, ſi uſuræ omninò damnentur, conſcientiæ ſine dubio arctiùs adſtringentur, qvàm Devs ipſe voluit; altero autem, ſi vel minimum concedatur, ſtatim ſub illo prætextu effrenis licentia arripietur, qvæ temperari deinceps difficulter poterit.

XIX. Πολιτικὸν σόφισμα in hâc materiâ obſervavit Johannes Petrus de Ferrariis *in prax. Papienſ. tit. 43. gloſſ. 3. n. 11. & 12.* qvando ſcribit: *Sunt tamen nonnulli, qvi dicunt, qvod nimia Clericorum multitudo, & nimia uſurariorum probibitio ſtatum deſtruit Laicorum.* Et porrò: *Creditur tamen à pluribus, qvod ideò Clerici ſimul convenérunt ſic acriter prohibere uſuras contra Imperiales ſanctiones, ut Laicos eorum juriſdictioni ſubmitterent, ſicut & in diverſis aliis caſibus ſubmittere ſtuduérunt.* Perſtringit ſcil. errorem qvorundam Canoniſtarum, qvi dixérunt,

xerunt, eſſe hoc crimen merè Eccleſiaſticum, & de foro ſuæ duntaxat Eccleſiæ, ita ut ſecularis judex neqveat de eo cognoſcere, niſi ubi ſola facti qvæſtio vertitur. Vid. Car. Molinæ. *de uſur. num. 155.*

XX. Poſſent recenſeri multo plura vitiorum genera, qvibus contaminati Clerici ſcandalum ſubinde præbent latiſſimè ſerpens, niſi abſtinere nos juberet religionis, qvam profitentur, ſanctitas. Magnum pondus habet morum integritas, magnam habet autoritatem conjuncta manſvetudini conſtantia, deniqve plurimùm valet ſeveritati copulata humanitas. Sed qvotusqvisqve eſt, qvi, ut imperet affectibus ſuis, animum ſufficienter inſtruat, qvi de jure ſuo, qvod ipſe ſibi haud rarò fingit, qvicqvam remittat? Iſtis ſub tunicis deploratiſſimæ nonnunqvam mentes latitant, intolerabili arrogantiâ, ferventiſſimâ irâ, virulentâ invidiâ, pertinaciſſimo odio, & extremâ vindictæ cupiditate flagrantes. Ac dolendum ſanè eſt, amarulentis qvorundam contentionibus totam Chriſtianæ rei labefactari tranqvillitatem. Neqve enim res intra argumentorum conflictationem conſiſtere ſolet, ſed plerumqve atrocibus utrinqve conviciis pugna crudeſcit, dentatis libellis res geritur, ac reciprocantibus maledictis tumultus in rabiem exit. Hæc aliqvoties parvis initiis orta ſæpenumerò vaſtiſſimum gignunt incendium, fitqve, ut malum, qvod initio ceu leve neglectum fuerat, paulatim auctum, tandem erumpat in grave diſcrimen tranqvilitatis Chriſtianæ.

XXI. Et hæc qvidem inter ipſos unius Eccleſiæ cives contingere qvandoq; ſolent, neq; aliam plerumqve cauſam habent, qvàm qvod nemo errorem ſuum, qvem commiſit, agnoſcere velit. Eſt enim hoc pertinaciæ pleriſq; mortaliū ingeniis inſitū, ut qvod ſemel qvocunqve caſu pronunciaverint, nunqvam tueri deſinant, etiamſi compererint, ſeſe perperam pronunciaſſe. Primum pudor obſtat, is per contentionem proficit in pervicaciam, pervicacia tandem exit in rabiem, ita fit, ut dum utrinq; crudeſcit pugna, utrinq; veritati vis inferatur. Nihil deinceps tàm conſideratè, nihil tàm ſimpliciter, nihil tàm circumſpectè ſcribi poteſt, qvod non rapiatur in calumniam, ut adeò nec loqvi tutū ſit, nec tacere. Tandē, qvod per ſe non poſſunt, aut qvod facere verentur, per ſubornatos agunt, conducto Chærilo qvopiā aut malo Rhetore. Tanta eſt lædendi libido, tanta ſitis rei cùm facillimæ tùm ſceleratiſſimæ.

XXII. Sæpè admiror, homines profeſſione pietatis inſignes id ſibi permittere, qvod omnium maximè cum verâ pietate pugnat. Sed mirari deſino, qvoties mecum perpendo, in acie eos ſtare, & inſultibus atqve ſpiculis diaboli ante omnes expoſitos eſſe. Qvi pugnam init, in eo totus eſt, ut

ut robuſtiſſimas hoſtis copias uno impetu deleat, reliquas facilè vinci poſſe perſuaſus. Haud aliter communis mortalium hoſtis fortiſſima Chriſtianorum præſidia aggreditur, & Theologorum animos, qvos ſibi maximè infeſtos novit, & à quibus ſibi metuendum perſpicit, variis vitiis atque criminibus inqvinat, ut vel hâc ratione, dum aliter non poteſt, à ſtatione dejiciat; ſed qvos ipſos divina mirabiliter ſuſtinet potentia. Et patitur qvidem DEUS in oviculas ſuas Satanam & mundum hunc totis artibus ac viribus ſuis inſurgere, verum arcanis ſuis conſiliis omnia mala vertit in bonum. Solus enim ille Rex Regum novit, & uti bonis & abuti malis in ſuam gloriam & Eccleſiæ ſalutem.

XXIII. Quoties igitur vel inſignes Theologos, vel alios Eccleſiæ miniſtros, vitiis deditos & affectibus ſuis indulgentes conſpicio, toties cogitandum puto, noluiſſe DEUM per angelos nobiſcum agere, ſed per peccatores. Nec enim propterea infectum aut contaminatum dicere licet miniſterium, cùm hoc ex divinâ inſtitutione obſervandum ſit, neqve per vitia miniſtri perſonalia corrumpi aut deſtrui qveat. Nam *ſi viſibilis ſolis iſtius radii, cùm per loca fœtidiſſima tranſeunt, nullâ contactûs inqvinatione maculantur: multo magis ipſius qui iſtum viſibilem fecit, virtus nullâ miniſtri indignitate conſtringitur. Nam & Judas cum fuerit ſacrilegus atque fur, qvicqvid egit inter Apoſtolos pro dignitate commiſsâ ſibi, beneficia per indignum data nulla ex hoc detrimenta ſenſerunt &c.* c. *ſecundum diſt. 19. Si juſtus fuerit miniſter*, inqvit Auguſtinus, *computo eum cum Paulo, qvi gloriam ſuam non qværit, dicens: Ego plantavi, Apollo rigavit, DEus autem incrementum dedit. Qvi verò ſuperbus fuerit miniſter, cum Zabulo computabitur. Sed non contaminatur donum Chriſti, qvia per illum purus fluvius tranſit & venit ad fertilem terram. Scio qvia lapis ex aquâ fructum ferre non poteſt, etſi per lapideos canales tranſit aqva ad areolas, in canali lapideo nihil generatur, ſed hortus plurimum fructum affert. Spiritualis enim virtus ſacramenti, ut lux pura ab illuminandis excipitur: ſed per immundos tranſiens non coinqvinatur.* apud Gratian. *c. ſi juſtus 1. q. 1.*

XXIV. Quocirca præſtat abſtinere ab ulteriori hujus capitis continuatione, qvàm prolixiore enarratione vitiorum, qvibus Clerici ſæpè toti immerſi ſunt, politiam Chriſtianam proſtituere. Vitia erunt dum homines ſunt. Et ipſi ſanctiſſimi homines nihil humani à ſe alienum eſſe fateantur oportet. Sed & Ethnicis humanæ naturæ corruptio non ignota fuit, quibus perpetua ab omni peccato abſtinentia ſupra humanam conditionem eſſe dicitur; corruptio

tamen illa; qualis & quanta ſit, & unde originem habeat, ex ſolo naturæ lumine cognoſci non potuit. A-Agnovérunt illi σύμφυτον τὸ ἁμαρτάνειν ἀνθρώποις; ſed neque cauſam tanti mali neque pondus intellexérunt. Intelligunt autem Chriſtiani, qvi per liberam declinationem voluntatis & exècutionem operis contra legem DEI â primis parentibus factam, omnium & ſingulorum hominum vires peſſimè corruptas, totamqve poſteritatem miſerè infectam ſentiunt, tantâ quidem cum πανωλεθρίᾳ, ut nemo qvisqvam ſine peccato vitam tranſigere qveat. *Nemo*, inquit Lactantius *lib. 6. Inſtit. c. 13. eſſe ſine delicto poteſt, qvamdiu carnis indumento oneratus eſt: cujus infirmitas triplici modo ſubjacet domino peccati, factis, dictis, & cogitationibus &c.*: Et mox: *Itaque etiam juſti homines, qui frenare ſe poſſunt ab omni opere injuſto, nonnunqvam tamen ipsâ fragilitate vincuntur, ut vel in irâ malum dicant, vel in adſpectu rerum delectabilium cogitatione tacitâ concupiſcant.*

Caput. XVI.

De foro Diaconorum competente.

I. *Eccleſia, quà talis, nullum habet judicium, aut jus fori contentioſi.* II. *Atque hæc etiam fuit primitivæ Eccleſiæ praxis.* III. *Leges ac Sanctiones civiles ab Eccleſiaſticis multum diſcrepant.* IV. *Excommunicatio, cenſuræve aliæ, ex poteſtate coercendi jurisdictionali non proveniunt:* V. *Excommunicatio, pœna non niſi privativa eſt.* VI. *Poteſtas omnis in Eccleſia coërcitiva ex civili poteſtate arceſſenda.* VII. *Judicium Epiſcopale hodiernum, qua ratione ab antiquo diſceſſerit.* VIII. *Poteſtas ejus coactiva pars eſt è poteſtate civili decerpta,* IX. *Vel Principis indulgentia & conſenſu conſtituta.* X. *Epiſcoporum, Metropolitanorum aliorumque jurisdictio ordinaria.* XI. *Eam Abbates & ceteri prælati inferiores non videntur habuiſſe.* XII. *Abbates olim ſubjecti Epiſcopis, Pontificū privilegiis deinceps exemti.* XIII. *Ordinarium diaconi forum penes Epiſcopum; in actionibus realibus etiam forum ſeculare.* XIV. *Magiſtratus civilis in Eccleſiæ miniſtros poteſtas probata,* XV. *exemplo Pauli, provocantis ad Cæſarem.* XVI. *Fragmentum Clementis Romani ſuppoſititium.* XVII. *Itemque Alexandri I Papæ,* XVIII. *& Marcellini, de Clericorum exemtione à ſeculari jurisdictione.* XIX. *Conſtantini Magni conſtitutio*

tutio, XX. *ſpuria.* XXI. *Silveſtri Papæ lepida decreti ſententia,* XXII. *& abſurditas ex Hincmaro demonſtrata.* XXIII. *Ipſe Silveſter cauſam in Principis conſiſtorio peroravit.* XXIV. *Epiſtola Julii Romani Epiſcopi commentitia.* XXV. *Valentinianus Senior Epiſcoporum judicia in certis quibuſdam cauſis adprobavit.* XXVI. *Sed conſtitutio deſideratur.* XXVII. *Ambroſius eam recitans explicatur.* XXVIII. *Septuaginta Epiſcoporum judicium.* XXIX. *In illo damnatus Chronopius provocavit ad Imperatorem.* XXX. *Conſtitutio Gratiani illuſtrata.* XXXI. *Ex illa judiciorum diſcrimen.* XXXII. *Communia clericorum delicta ab illuſtribus vindicata poteſtatibus.* XXXIII. *Conſtitutio Gratiani recepta in Oriente.* XXXIV. *Canon Concilii VI CPni expenſus,* XXXV. *Et de cauſa pecuniaria per ſuas partes examinatus.* XXXVI. *Delicta Eccleſiaſtica levia ſacro Judicio deſtinantur.* XXXVII. *Judiciorum Eccleſiaſticorum gradus, & exorta hinc provocationes.* XXXVIII. *Quando Synodus Provincialis adiri potuerit.* XXXIX. *Concilium totius dioeceſeos illa ſuperius fuit. Dioeceſis, qualis tractus.* XL. *Metropolitanorum conventus apud Patriarcham.* XLI. *Adpellationum & Jurisdictionis Eccleſiaſticæ gradus.* XLII. *Theodoſii conſtitutio,* XLIII. *à peſſima Gratiani obtruncatione vindicata.* XLIV. *Nec Rufinus juvare Gratianum poteſt.* XLV. *Decreto Concilii Carthaginienſis III lux.* XLVI. *Honorius Imp. Eccleſiaſtica judicia arctius reſtrinxit.* XLVII. *Epiſtola Innocentii Papæ examinata.* XLVIII. *Honorius Epiſcopis priſtinum privilegium reſtituit.* XLIX. *Alia ejuſdem conſtitutio,* L. *limitate intelligenda.* LI. *Ea fuerunt abuſi clerici, αὐτονομίαν poſthac machinantes.* LII. *Joannes primicerius Notariorum privilegia Eccleſiaſtica evertit; Valentinianus III reſtituit, cujus conſtitutio illuſtrata.* LIII. *Canon IX Concilii Calchedonenſis contra Balſamonem adſertus.* LIV. *Valentianus modo privilegium fori Epiſcopalis imminuit,* LV. *Cujus legislatio à Baronii criminationibus liberatur.* LVI. *Quomodo invaluerit opinio, competere Juriſdictionem Epiſcopis jure ſuo.* LVII. *Imperatores identidem reſtiterunt.* LIIX. *Marciani Imp. conſtitutio, conveniri poſſe Clericum in judicio ſeculari.* LIX. *Seculo VI Clerici conſenſu epiſcopi in publico judicio cauſſas perorarunt ſuas. Marcellini epiſtola ſpuria.* LX. *Juſtiniani de Epiſcopali Juriſdictione conſtitutiones aliquot periodis allata & explicata.* LXIV. *Ejuſdem tem-*

tempore jam fuit nota diſtinctio inter delicta Eccleſiaſtica & communia. LXV. *Novellæ CXXIII caput 21.* LXVI. *ulterius proponitur*, LXVII. *& illuſtratur.* LXVIII. *Non poteſt hæc legislatio impugnari ab ullo, qui de majeſtate recte ſentit, cum ſit Imperialis, non ſacerdotalis; mandatoria, non executoria, &c.* LXIX. *Canon Concilii Matiſconenſis ſeptimus explicatus.* LXX. *pariter & ejuſdem octavus.* LXXI. *Mox in Hiſpania qvoqve clerici probibiti, ne in foro ſeculari ſtarent.* LXXII. *Pelagii II Pontificis modeſtia de foro Clericorum privilegiato.* LXXIII. *Vehementia Gregorii magni.* LXXIV. *Poteſtas Papæ à temporibus Phocæ Imp.* LXXV. *ei ſequentes Imperatores ſemper oppoſiti.* LXXVI. *Lis circa cognitionem criminis, à Canonico patrati, in Gallia tempore Juonis Carnotenſis.* LXXVII. *Judicia Clericorum in confiniis ſeculi XIII ex mente coævorum.* LXXIII. *Criminis communis Judex.* LXXIX. *Primus regiam & ſecularem poteſtatem excuſſit Hildebrandus.* LXXX. *qvæ ſententia nimium placuit aliis.* LXXXI. *ut hinc plurima priſtinis conſtitutionibus adverſa ſtatuerent.* LXXXII. *In atrocibus qvoqve delictis exemtionem obtendunt.* LXXXIII. *qvodnam inde ſcandulum oriatur in plebem.* LXXXIV. *vanitas hujus exemtionis indicata.* LXXXV. *Forum Eccleſiaſticum non niſi in cauſis & Criminibus Eccleſiaſticis competens eſt.* LXXXVI. *Generalium de clericis dictorum ad Diaconos adplicatio.*

I. NE quid temerè hîc ſtatuatur, aut magiſtratuum civilium poteſtas in dubium vocetur, præmittendum eſt, Eccleſiam, qvà talem, qvatenus ſcil. eſt coetus hominum miniſterio verbi & Sacramentorum ad regnum DEI congregatorum, nullam habere jurisdictionem propriè ſic dictam, nullum judicium. Cùm enim doctrina Evangelica vitam æternam pro fine, atqve animam humanam pro materiâ atqve ſubjecto nativo habeat, per doctrinam autem iſtam Eccleſia colligatur, & in eſſe conſtituatur, tota ea occupari debet in internis conſcientiæ motibus dirigendis, minimè omnium in manu aut vi externâ adhibendâ. Proinde nullatenus judicat ea aut imperat per externum aliqvod regimen poteſtatem ἀναγκαστικὴν comprehendens; ſed ſollicita eſt tantum de mediis neceſſariis ad beatitudinem, conformiter ad cauſas effectiales ſpirituales religionis Chriſtianæ applicandis; h. e. ſvaſivè tantùm & directivè per verbi divini prædicationem & Sacramentorum diſpenſationem, atqve monitorum moralium crebram atqve iteratam ſuggeſtionem.

nem. Anima namqve, ut proprium ſubjectum doctrinæ Evangelicæ interno ſolùm non externo movetur principio; atqve adeò Eccleſia, ut fundata eſt, jure divino neqve territorium neqve jus gladii, neqve jus fori contentioſi, neqve proinde jurisdictionem habet, uti optimè id exponit Autor libelli *de Eccleſ. & polit: poteſt. n. 11. ſeqq.* qvi habetur inter ſcripta Theologorum & JCtorum Pariſienſium.

II. Neqve alia fuit praxis Eccleſiæ primitivæ, qvæ ſub Imperatoribus & magiſtratibus idololatris congregabatur. Neqve enim uti ea tùm poterat jurisdictione tali externâ, qvam nec habebat qvidem. Nullum tùm Epiſcopis erat forum, nulla competebat jurisdictio contentioſa, ſed audientia tantùm, & ſimplex notio. *l. 25. C. de Epiſc. & cler. Novell. Valentin. de Epiſc. judic.* Sed neqve hæc qvidem in omnes perſonas extendebatur, neqve indifferenter in omnibus caſibus uſui erat; ſed in Eccleſiaſticas tantùm perſonas & in rebus Eccleſiaſticis competebat. In reliqvis omnibus contentioſa omnis jurisdictio, & omnis diſceptatio forenſis tàm ſeverè illis erat prohibita ut abſurdum crederetur & Clericorum ordini opprobrioſum, ſi peritos ſe vellent oſtendere diſceptationum forenſium. *l. 41. C. de Epiſc. & Cler.* Nec idcircò publicatio teſtamentorum, qvæ tamen contentionis expers videbatur, apud eos fieri permittebatur. *d. l. 41. & l. 23. C. de teſtament.* Add. Benign. Milletot. *de delict. comm. & caſ. privil. pag. 27.*

III. Multa ſcil. & magna inter leges civiles & Eccleſiaſticas eſt differentia, uti ſolidè & enucleatè exponit Petrus de Marcâ *de concord. ſacerd. & imp. lib. 2. c. 16. n. 6. ſeqq.* Leges Eccleſiaſticæ ad Eccleſiæ ordinem externum compoſitæ non neceſſitate ſed voluntate, non timore corporali, ſed dilectione ſubjectorum nituntur; civiles autem leges etiam in invitos feruntur & cum poteſtate coactivâ. Imperio civili non ſolæ ſingulorum civium rationes commiſſæ ſunt, ſed totius Reip. ſalus, & hæc vel maximè atqve potiſſimùm, etſi cum damno & detrimento atqve pernicie ſingulorum; ſed Epiſcopali regimini Eccleſiæ ſalus ita eſt commiſſa, ut ſingulorum præcipuè ſaluti invigilare oporteat, nec curari poſſit univerſum corpus aliqvorum membrorum perniciê, ſed ad exemplum Magiſtri nonaginta novem oves deſerendæ ſint, ut centeſima ad caulas reportetur. Sic & pœnæ ex legibus civilibus provenientes, & cenſuræ, qvibus utitur Eccleſia adverſus contumaces & ſceleratos multum diſcrepant.

Princeps enim adulterum aut cædis reum gladio plectit, eum in finem, ut puniat, neqve emendationis ſpem tùm attendit; Eccleſia vero non exigit pœnam, ſed morborum curationem: itaqve non infligit excommunicationem, ut mactet; ſed ut pœnitentem ad ſalutem reducat.

IV. Cave tamen hinc putes, excommunicationem & reliqvas cenſurarum ſpecies ex jurisdictione provenire. Ut maximè enim poteſtatem hanc, qvâ in ſceleratos utitur Eccleſia, ſeparatam faciamus â poteſtate merè internâ, qvæ in prædicatione verbi & diſpenſatione Sacramentorum conſiſtit; nego tamen, omne id qvod ad diſciplinam & bonum ordinem conſervandum conſtituitur, ex poteſtate coërcitivâ jurisdictionali ſemper provenire. Perſpicuè id patet ex illis, qvæ â Collegiis omni jurisdictione deſtitutis per modum conventionis ſtatuuntur. Qvæ qvidem dici qvandoqve ſolent leges propter ἀναλογίαν illam, qvam habent cum propriè dictis legibus, qvantum ad effectûs dirigendi & obligandi, talem tamen poteſtatem, qvalem leges veræ requirunt, nunqvam ſupponunt. Neqve nos movent, qvæ de poteſtate jurisdictionis Eccleſiæ competente magnificè prædicant Canoniſtæ. Illam enim ſi ex origine ſuâ metiaris, qvanta ſcil. ab autore & inſtitutore Chriſto conceſſa fuit, nullam omninò annexam habuit poteſtatem cogendi externè & violenter. Et in his namqve primordiis conſideravimus hactenus hanc poteſtatem, qvatenus ſcil. Eccleſiæ antiqvitùs competiit, non qvatenus nunc ſe habet ex conceſſione Principum, uti mox explicabimus.

V. Nec movet porrò, qvod excommunicatio excluſionem à viſibili Eccleſiæ coetu inferat, & ex hoc maximè coactiva eſſe videatur. Siqvidem tota ea, ſi qva eſt, pœna non niſi privativa eſt, neqve in effectum deduci poterit, niſi ſuâ ſponte pareat excommunicatus. Si autem ſeſe ingerat iterum de facto coetui fidelium, non erit poteſtatis Eccleſiaſticæ, qvà talis, adhibitâ externâ violentia eum abigere & manu armatâ repellere; ſed ad contumacem coërcendum, ſi neceſſarium aut opportunum videatur, poteſtas politica imploranda erit, & brachium ſeculare adhibere oportebit. vid. Marc. Ant. de Dominis, *de Rep. Eccleſ. lib. 5. cap. 2. n. 30.* Tantum abeſt, ut pœnas Eccleſiaſticas etiam omnium atrociſſimas, qvantæ intelligi in Eccleſiâ, qvà tali, poſſunt ad poteſtatem ἀναγκαστικὴν referre liceat.

VI. Apprimè autem notandum eſt, loqui nos de poteſtate Eccleſiaſticâ, qvà tali, non de perſonis Eccleſiaſticis, qvippe qvæ & ſpirituali & temporali poteſtate ex inſtituto ſeqvioris Eccleſiæ ſæpè ſunt præditæ. Nec tamen poteſtates illæ propterea con-

confundendæ ſunt. Utraqve ſeorſim ſubſiſtit; qvanqvam non ſemper utraqve ſeorſim, ſed ſpiritualis qvandoqve ope & auxilio ſecularis poteſtatis operatur. Poteſtas namqve Eccleſiaſtica abſolutè & in ſe conſiderata imponit pœnam per modum directionis ſeu præcepti; poteſtas verò civilis infligit eandem per modum coërcitionis. Quod ſi coërcitio talis acceſſerit ad præceptum Eccleſiaſticum, tota ea poteſtati civili accepta referenda eſt, neque ex poteſtate Eccleſiaſticâ, ut ea jure divino ſe habet, derivari ullo modo poteſt.

VII. Qvæ igitur hodiè extant & in uſu ſunt judicia Eccleſiaſtica, longè alia ſunt ab illis, qvæ antiqvitus fuérunt. Cùm enim in ſummâ omnium veneratione eſſent Epiſcopi, & propter integritatem qvam ubiq; declarabant, graviſſimæ ſæpè controverſiæ deciſioni & arbitrio eorum ſubjicerentur, nec qvisqvam ferè eſſet, qvi non in illorũ opinione acqvieſceret, cœpit hinc, antiqvo jure ſublato, jurisdictio Epiſcopalis vires accipere, easqve alienas planè & aliunde comparatas. Aliqvando enim ex benignâ & liberali Principum conceſſione aut permiſſione judicia inſtituebant; aliquando autem invitis Pricipibus per invaſionem & violentam uſurpationem jurisdictionis maximam partem ad ſe rapiebant, etiam excluſis illis, qvibus ea jure competebat. Nec qvicqvam adeò contingere poterat porrò, etiam in civilibus negotiis & inter perſonas ſeculares, qvod non affectarent judicio ſuo decidere Epiſcopi, hoc tantùm excepto, qvod cognitio de poſſeſſione alicujus rei aut juris principibus erepta non eſt omninò, non qvod hanc ſibi Pontifices vindicare non tentaverint, ſed qvod Principes ſemper hâc in re habuerint adverſos. Cujac. *ad c. 4. extra qvi fi'. ſint legit.* Hâc ratione ſingulare iſtud forum atqve judicium, qvod Epiſcopale dicitur conſtitutum eſt, idque ſpeciali deinceps jure & noviter adornato proceſſu, qvem Pontifices ex æmulatione & odio in Imperatores excogitârunt, regi cœpit.

VIII. Meminiſſe tamen oportet, omnem iſtam poteſtatem coactivam, quâ utuntur Epiſcopi in ſuis judiciis, partem eſſe peteſtatis ſecularis, & ex hâc veluti decerptam. Ex quo ſeqvitur, judicia Eccleſiaſticæ poteſtatis terminos notiſſimos & ab initio poſitos excedere, atqve hinc planè heterogenea eſſe, non provenientia ex poteſtate politicâ principibus & magiſtratibus competente. Agnovit id Jacobus Almainus Doctor Pariſienſis *in lib. de dominio nat. civ. & Eccleſ. in probat. 2. concluſ.* dum ait: *De ratione poteſtatis Laicæ eſt, poſſe pœnam civilem infligere, ut ſunt mors, exilium, bonorum privatio &c.: ſed nullam talem pœnam ex inſtiutione divinâ*

autem Epiſcoporum ſibi ſubditorum dioeceſibus ea, qvæ jurisdictionis & legis dioeceſanæ vulgò dicuntur, exercere minimè qveant. Præter Epiſcogos verò etiam inferiores Prælati in Ordinariorum cenſu referuntur, qvi ſcil. jurisdictionem in ſubditos habent vel ex conſvetudine vel ex privilegio, quales ſunt Abbates, Decani, Plebani ſeu Rectores Eccleſiarum parochialium, Priores qvandoqve & Archidiaconi, aliisqve, de qvibus videri poſſunt Antonius Dadinus Alteſerra *ad c. 13. X. de offic. jud. ord.* Anton. Bengeus & Franc. Pinſſon, *de benefic. tit. de mod. acq. benef. §. 13.*

XI. Videntur tamen Abbates & cæteri prælati inferiores talem ab initio jurisdictionem non habuiſſe. Imò verò antiqvitùs obtinuit, ut Abbates nec non ipſi monachi, ſecularium Clericorum adminiſtrationi & regimini ſubeſſent, & in ultimum Clericorum locum retruderentur, ſi credendum Gratiano, qvi *c. à ſubdiacono diſt. 93.* verba Synodi Romanæ II ſub Sylveſtro habitæ hoc ordine recenſet: *A ſubdiacono uſqve ad Lectores omnes ſubditi ſint diacono Cardinali Viro reverendiſſimo in Eccleſiâ repræſentantes ei honorem. Porrò Pontifici presbyter, presbytero diaconus, diacono ſubdiaconus, ſubdiacono acolythus, acolyto exorciſta, exorciſta lector, lectori oſtiarius, oſtiario abbas, abbati monachus in omni loco repræſentet obſeqvium, ſive in publico, ſive in gremio Eccleſiæ.* Dixi, à Gratiano ſic recenſeri verba. In editionibus enim Conciliorum & apud Ivonem haud paulo aliter ſe habent, qvod etiam obſervarunt, qvi juſſu Gregorii XIII Gratiani decretum emendârunt.

XII. Qvicqvid hujus ſit, certum eſt illud, Abbates olim in univerſum omnes ſubjectos fuiſſe jurisdictioni Epiſcopi. Unde in Concilio Aurelianenſi I, *c. 19.* conſtitutum legitur: *Abbates pro humilitate religionis in Epiſcoporum poteſtate conſiſtant. Et ſi qvid extra regulam fecerint, ab Epiſcopis corrigantur.* Et in Aurelianenſi II, *c. 21.* *Ut Abbates, qvi Epiſcoporum præcepta deſpiciunt, ad communionem nec penitus admittantur, niſi contumaciam humilitate ſuſceptâ deponant.* Qvæ verò impetratæ deinceps fuêrunt à Pontificibus Romanis monaſteriorum exemtiones, Epiſcoporum in dioeceſi ſuâ regimen non difficile tantùm reddidêrunt, ſed & toti Hierarchiæ valdè perniciosæ extitêrunt. Vid. qvæ dixi ad Lancellotti Inſtit. *lib. 1. tit. 19. §. 11.* etſi concedamus, plurima talia privilegia non ad jurisdictionem & legem dioeceſanam, uti vocant, ſed tantùm ad electionem Abbatum & liberam bonorum adminiſtrationem aut rerum diſpenſationem pertinuiſſe. De qvâ re videri poterunt Nicol. le Maiſtre *de bon. Eccleſ. part. 2. lib. 2. c. 1.* Franc. Florens *in diſſertat. pag. 88.*

XIII. Qvia igitur Epiſcopo regulariter & ex primo Eccleſiæ inſtituto in univerſam ſuam dioeceſin & omnes in eâ perſonas Eccleſiaſticas jurisdictio competit, conſeqvens hinc eſt, ordinarium diaconi forum eſſe penes Epiſcopum, ſicubi ille actione perſonali conveniri aut rei partes in tali causâ ſuſtinere debeat. Actiones enim reales adverſus eum etiam in foro ſeculari inſtitui poſſunt. Et hoc Epiſcopi forum declinare non poterant Clerici, niſi & pars altera & ipſe etiam Epiſcopus in aliud judicium conſenſerint. Id ita jam olim obtinuiſſe patet ex *canone 9.* Concilii Calchedonenſis, qvi eſt in Codice canonum Eccleſiæ univerſæ centeſimus octogeſimus ſeptim9: *Si qvis Clericus litē cum Clerico habuerit, propriū Epiſcopū ne deſerat, & ad ſecularia judicia ne excurrat. Sed prius cauſam agat apud proprium Epiſcopum, vel certè de Epiſcopi ſententiâ apud eos, qvos utrinqve pars elegerit, judicium agitetur. Si qvis autem præter hæc fecerit, canonicis pœnis ſubjiciatur, &c:* Hoc caſu etiam in Laicos judices compromitti potuiſſe, non obſcurè produnt verba adducta, qvorum hic eſt ſenſus: Non licere Clericum in judicio ſeculari convenire niſi ipſo volente conſenciente inſuper Epiſcopo. Apertè magis id permittit Synodus Aurelianenſis IV, *can. 20. in fin. Si cauſam habentibus placuerit ire ad judicium fortè ex voluntatè communi permittentè* præpoſito Eccleſiæ, *Clerico licentia tribuatur.* ſcil. Utriusqꝫ partis conſenſus reqviritur, & permiſſio inſuper & potiſſimū qvid: Epiſcopi. Sed qvia hic articulus de foro Clericorum, & qvatenus illi in judicio ſeculari conveniri poſſint, à Canoniſtis obſcurè tractatur, operæ pretium erit, brevem ex hiſtoria antiqviorum temporum commentarium hîc annectere.

XIV. Apoſtolos & doctrinâ & exemplo ſuo ſuſtinuiſſe, miniſtros Eccleſiæ poteſtatibus ſecularibus ſubjectos eſſe debere, & magiſtratum civilem fundatam in illos habere jurisdictionem, ex libris Novi Teſtamenti conſtat. Celebre eſt dictum Pauli *Rom. XIII, 1. Omnis anima poteſtatibus ſupereminentibus ſubjecta eſto.* Iſtam propoſitionem antiqvi Interpretes tàm latè exponunt, ut nullam omninò exceptionem admittant. Chryſoſtomi *homil. 23. in Epiſt. ad Rom.* hæc ſunt verba: *Omnibus hæc jubet & Sacerdotibus & monachis, non tantùm ſecularibus, vel ſi fueris Apoſtolus, aut Evangeliſta vel Propheta, aut alius qvilibet.* Et addit: *Nam ſi Ethnicis tunc imperantibus hanc legē ſanxit, qvanto magis ſub fidelibus hæc fieri oportet.* Ne ſcil. qvis putet, ſub Principe Chriſtiano aliam planè eſſe rerum faciem, Ethnicis Principibus cogente neceſſitate parendum fuiſſe, ſecꝰ ſe rem habere ſub Principe Chriſtiano, Hanc ſentētiā refutat Chriſoſt.

imò Paulus ipſe, *d. c. verſ. 5.* dum ait, *Magiſtratibus morem geri oportere, non tantùm ob iram, ſed etiam propter conſcientiam,* h. e. non tantùm metu pœnæ, ſed etiam, qvia hoc eſt pars pietatis & cultûs divini. Eodem modo Bernhard. *in epiſt. 42.* ad Archiepiſcopum Senonenſem ſcribit: *Omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit, ſi omnis, & veſtra. Qvis vos excipit ab Univerſitate? ſi qvis tentat excipere, conatur decipere &c.*

XV. Id ipſum Paulus ſuo etiam comprobavit exemplo. Cùm enim vidiſſet, Judæorum calumniis atqve mendaciis invidioſiùs ſe onerari, nec poſſe citra injuriam ex tribunalibus eorum judicari, beneficio juris utendum ſibi cenſuit, & ad ſuperiorem, Cæſarem nimirum, provocavitq́: *Ad tribunal Cæſaris ſto,* inqvit, *ubi me oportet judicari: Act. XXV, 10.* Ac ne qvis putet, aſtu declinatum ab eo fuiſſe periculum, Lucas *Actor. XXIII, 11.* non obſcurè docet, factum id impulſore Spiritu S. Dum igitur ab Apoſtolo Paulo provocatur ad tribunal Cæſaris, penes Cæſarem etiam in ipſos Apoſtolos ſummum fuiſſe imperium certum eſt. Nec audiendus eſt Bellarminus qvandoqve ſcribit Paulum fuiſſe coactum appellare ad Cæſarem eumqve pro judice ſuo agnoſcere oportuiſſe de facto, non de jure, qvia tunc Petri poteſtas nec agnita nec credita fuerit. Ubi enim oportuit Apoſtolum judicari, ibi de jure ſubjectus fuit judicio. Qvod ipſe, dum provocat, agnovit, qvandoqvidem liberum ipſi fuit, utrum provocare velit. Vid. Robert. Abbot *de ſupremâ pot. Reg. prælect. 6.*

XVI. Dum ita ſe geſſit Paulus Apoſtolus, & in judicio ſeculari cauſam ſuam ventilari voluit, meritò in dubium vocatur Clementis Romani fragmentum, qvod decreto ſuo inſeruit Gratianus *c. ſi qvi 11. q. 1.* Verba ita habent: *Si qvi ex fratribus negocia habent inter ſe: apud cognitores ſeculi non judicentur, ſed apud presbyteros Eccleſiæ, qvicqvid illud eſt, dirimatur.* Niſi univerſalem hanc addidiſſet notam, dicerem, verba iſta explicari debere de cauſis & controverſiis Eccleſiaſticis. Sed cum ita definitè decretum ſuum proponat Clemens, qvem â Petro ipſo ordinatum referunt nonnulli, adeoqve coævum Apoſtolis faciunt, Apoſtoli autem aliud & docuerunt, & in praxi præſtitérunt, facile hinc liqvet, non venire iſtud fragmentum ex diſciplinâ Apoſtolicâ adeoqve verum eſſe, qvod jamdiu obſervarunt eruditi, ſcriptorem iſtum antiqvum qvidem, ſed ſuppoſititium & mendaciorum multorum manifeſtum eſſe, adeoqve ob fidem ſuſpectam indignum, cujus multùm ratio habeatur. Ipſa illa epiſtola ad Jacobum fratem Domini, ex qvâ fragmentum adductum depromtum eſt, â plerisqve omnibus

nibus manifeſtæ νοθείας arguitur, inprimis ex eo, qvod Jacobus ad qvem ſcribitur epiſtola multo ante Petrum obierit, & tamen in his epiſtolis Jacobo ſignificetur mors Petri. Vid. Bellarmin. *de Scriptor. Eccleſ.* Dav. Bondell. *in Pſeudo Iſidor. p. 28. ſeq.*

XVII. Non melioris notæ eſt Alexandri I Pontificis fragmentum, qvod ex ſecundi ſeculi hiſtoriâ profert Gratianus *c. relatum 11. q. 1.* his verbis: *Relatum eſt ad hujus ſanctæ & Apoſtolicæ ſedis apicem, cui ſummarum diſpoſitiones cauſarum, & omnium negotia Eccleſiarum ab ipſo Domino traditæ ſunt, qvaſi ad caput pro ipſo dicente: Tu es Petrus & ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam, qvod qvidam æmuli Chriſti ejusdemqve ſanctæ Eccleſiæ inſidiatores, Sacerdotes DEI ad judices publicos accuſare præſumant, cum magis Apoſtolus Chriſtianorum cauſas ad Eccleſias deferri & ibidem terminari præcipiat, &c:* Hanc Alexandri epiſtolam itidem confictam & commentitiam eſſe oſtendit idem Blondellus *d. l. p. 171.* Nec ergò eſt, ut de ipſius interpretatione multum ſimus ſolliciti. Sed nec congruè explicat verba Apoſtoli PſeudoAlexander. Dum enim â litibus inter fideles ſubortis componendis gentiles excludit Paulus *1. Cor. VI, 4.* non eò id facit, qvod erant Laici, ſed qvod infideles, & qvod melius eſſet, â fidelibus controverſiam decidi. Nec ergò turbare voluit ordinem judiciorum, aut Laicorum rejicere judicia.

XVIII. Ex ſeculo tertio eoqve præcipiti adducitur â Gratiano Marcellini Papæ epiſtola ſecunda, ex qvâ *d. cauſ. 11. q. 1. can. 3.* iſta deſcripſit verba: *Clericum cujuslibet ordinis absqve Pontificis ſui permiſſu nullus præſumat ad ſecularem judicem trahere, nec Laico qvemlibet Clericum licet accuſare.* Sed & hanc Marcellini epiſtolam totam confictam & ex variis poſteriorum temporum ſententiis conſutam eſſe modo laudatus notat Blondellus. Verba autem adducta inveniuntur in decretis Concilii Aurelianenſis III, *c. 31.* qvod anno Chriſti DXL celebratum fuit. Qvâ de re infra dicetur commodius. Nobis interim ſufficit oſtendiſſe, ex primorum trium ſeculorum ſcriptis nihil præſto fuiſſe Gratiano, ex qvo probare potuiſſet, Clericos jurisdictione ſeculari exemtos fuiſſe, neqve judicia talia agnoſcere debuiſſe. Imò verò ex notiſſimis illis decem perſecutionibus, qvibus per trecentos annos graviter afflicta fuit Eccleſia, ſatis perſpicuum eſt, ad ſecularium judicum tribunalia Epiſcopos & clericos reliqvos qvotidiè ſtetiſſe, neqve qvenqvam fori incompetentiam tùm objeciſſe. Qvod ſi dixeris, exceptionem iſtam metu omiſſam fuiſſe, qvæſo ego, qvid poteſt timere ille, qvi mortē non timet? potuiſſent illi eâdem conſtantiâ, qvâ tormēta deſpuērunt, etiā judicē rejicere & ejus judiciū exceptione declinare.

XIX.

XIX. Inter ſeculi qvarti monumenta ad Epiſcopalem jurisdictionem pertinentia multum jactatur privilegium Conſtantini Magni, qvod Theodoſio adſcribit Gratianus *cap. qvicunq; 11. q. 1.* ideò ſcil. qvia in Codice Theodoſiano habetur, uti exiſtimat Antonius Auguſtinus *de emend. Grat. lib. 2. dial. 11.* Referam id verbis, prout apud Gratianum extant: *Qvicunqve litem habens ſive petitor fuerit, vel in initio litis, vel decurſis temporum curriculis, ſive cum negotium peroratur, ſive cùm jam cœperit promi ſententia, ſi judicium elegerit ſacroſanctæ ſedis antiſtitis, illicò ſine aliqvâ dubitatione, etiamſi alia pars refragatur, ad Epiſcoporum judicium cum ſermone litigantium dirigatur.* *Et can. ſeq.* *Omnes itaq; cauſæ, qvæ prætorio vel civili jure tractantur Epiſcoporum ſententiis terminatæ, perpetuo ſtabilitatis jure firmentur, nec ulterius licet retractari negocium qvod Epiſcoporum ſententiâ deciditur.* Conſtitutio hæc directò qvidem ad præſentem materiam non facit; qvia tamen judicia Epiſcopalia tantis privilegiis per eam munita ſunt, ut lite etiam pendente & in judicio ſeculari atqve inter perſonas ſeculares verſante, qvicunqve eſſet cauſæ ſtatus, ſi alterutra pars, alterâ licet obluctante, Epiſcopum ſibi judicem depoſceret, illicò ad ejus cognitionem lis referretur, turpe ſanè eſſet. Clericos tàm ſanctum, tantisqve privilegiis & laudibus ornatum, atqve ab Laicis tàm cupidè expetitum judicium relinqvere, atqve ad ſecularia judicia provocare velle, præſertim cùm hâc ratione in perſonas Clericorum jurisdictio Epiſcopalis præ cæteris fundata ſit.

XX. Sed tamen etiam hanc Conſtantini legem ὑποβολιμαῖαν eſſe, enucleatè oſtendit Jacobus Gothofredus *in Cod. Theodoſ. ad eand.* propter paradoxa & abſurdas ampliationes, qvæ in eâ continentur. Primùm enim id valdè offendit, qvod uni tantùm ex litigatoribus, altero licet diſſentiente, liceat cauſam ad judicium Epiſcopale deferre, qvodqve ille, qvi refragatur, judicium hoc agnoſcere debeat, id qvod planè videtur iniqvum & juri adverſum, tùm etiam conſtitutionibus ſeqventium Imperatorum contrarium. Alterum eſt, qvod in qvovis proceſſûs articulo, etiam cum jam promi cœperit ſententia, ad judicium Epiſcopi alterutri parti provocare liceat. Deniqve qvod nulla ætatis haberi debeat ratio, neqve minoribus reſtitutionis beneficio ſuccurendum ſit, ſi cauſa in judicio Epiſcopali deciſa fuerit. Tanta ſcil. fuit ex privilegio Conſtantiniano hujus judicii dignitas, tanta de ſententiis ejus præſumtio. Sed ſingulis iſtis capitibus reliqva omnis refragatur jurisprudentia & ipſa naturalis ratio. Ut taceam, qvàm inconditè ſe habeat

verborum ſtructura, uti prolixè probat *d. l.* Jacobus Gothofredus. Qvæ omnia *ἀυθεντίαν* hujus privilegii totam evertunt & prorſus extingvunt.

XXI. Eodem ſeculo qvarto Romanam ſedem tenuit Silveſter Papa, ex cujus decretis ſub eâdem *c. 11. q. 1.* Gratianus hanc refert ſententiam: *Nullus Clericus vel diaconus vel presbyter propter qvamlibet cauſam intret in curiam, nec ante civilem judicem ſuam præſumat dicere cauſam.* Factum iſtud decretum dicitur in Synodo Romanâ II. habitâ anno ſalutis CCCXXIV. Et qvia paulo prolixiùs illic ſub *can. 16.* exponitur ſententia Sylveſtri non pigebit ea hîc adſcribere: *Nemo clericus, vel diaconus, aut presbyter propter cauſam ſuam qvamlibet intret in curiam, qvoniam omnis curia à cruore dicitur & immolatio ſimulachrorum eſt. Qvoniam ſi qvis Clericus in curiam introierit, anathema ſuſcipiat, nunqvam rediens ad matrem Eccleſiam. A communione autem non privetur propter tempus turbidum.* Lepide eſt ratio, qvam ab Etymologiâ petit Pontifex, & lepida eſt ipſa etiam Etymologia. Sed nec cohærent inter ſe, anathema fieri, & tamen â communione non excludi. Anathematiſmus enim non â fraternâ tantum ſocietate ſeparat, ſed ab ipſo Chriſti corpore reſcindit. *c. ſin. 3. q. 4.*

XXII. Et ut clariùs pateat, qvid de iſtis Silveſtri decretis ſentiendum ſit, adſcribam verba Hincmari Archiepiſcopi Remenſis *ex epiſt. de presbyteris criminoſis*, qvæ in editione Jacobi Sirmondi eſt qvadrageſima octava, *tom. 2.* Ille enim, poſtqvam vidiſſet, ſententiæ ſuæ Silveſtri decreta valdè obſtare, *ſub num. 21.* hunc in modum verba facit: *Caterùm qvoniam qvidam qvaſi in auctoritate proferunt, ſanctum Silveſtrum Papam decreviſſe talia, qvæ catholica Eccleſia inter ſynodalia decreta non computat, qvæ majores noſtri inde nobis tenenda ſuis poſteris reliqvêrunt, hîc neceſſarium ponere duximus. Scriptum namqve eſt in qvodam ſermone, ſine exceptoris nomine de geſtis S. Silveſtri excepto, -- eundem S. Sylveſtrum decreviſſe, ut nullus Laicus crimen Clerico audeat inferre, & ut presbyter non adverſus Epiſcopum, non diaconus adverſus presbyterum, non ſubdiaconus adverſus diaconum, non exorciſta adverſus acolytum, nec lector adverſus acolytum, nec lector adverſus exorciſtam, non damnetur Præſul in ſeptuaginta duobus. &c.* Sunt ipſiſſima verba, qvæ habentur inter decreta Synodi Romanæ II, *c. 3.* Pergit nunc Hincmarus: *Qvæ dicta qvam diverſa â ſanctis canonibus & ſacris legibus ſint nemo eſt, qvi dubitet, qvi & hæc dicta cum ratione attenderit, & ſacras regulas ac leges diligentiùs legit.*

Es

Et primum quidem ſcriptum eſt, ut nullus Clericus contra Clericum teſtimonium accuſationis ferat, & mox ſubſeqvitur, in qvantis teſtibus presbyter vel diaconus valeant condemnari, & teſtes & accuſatores ſine infamia, & Uxores & filios habentes, & Chriſtum prædicantes fiant. Qvod qvàm abſurdum ſit, ut Uxores & filios habentes potiùs ad teſtimonium recipi debeant, qvàm continentes & religioſi, ratio aperta demonſtrat, &c. Seqvuntur plura, qvibus perqvam accuratè hoc agit, ut abſurditatis convincat decreta, qvæ ſub Silveſtri nomine circumferuntur. Inter alia concludit: *Qvapropter credendum non eſt, eundem ſanctum Virum talia conſtituiſſe, qvæ in memorato ſermone continentur ſcripta. Et licet propter hæreticos & gentiles qvi tunc perſeqvebantur catholicos, fortè talia dixerit, tamen poſteriorum ſententia tenenda eſt &c.*

XXIII. Imò verò ipſe ſuo exemplo comprobavit Silveſter, non poſſe à perſonis Eccleſiaſticis declinari judicia ſecularia. Cum enim accuſatus fuiſſet â nonnullis, haud veritus eſt ille cauſam ſuam apud Conſtantinum Imp. perorare. Et petiit qvidem deinceps Concilium Romæ congregatum, ut, ſi qvà porrò incideret cauſa Pontificem Romanum concernens, liceret ſibi eam in Concilio decidere, aut ſaltem, ut liceret ei cauſam ſuam in Conſiſtorio Principis peragere, non apud magiſtratûs. Epiſtola Concilii ad Gratianum Imp. exarata extat *in appendice Codicis Theodoſiani*, qvam addidit Jacobus Sirmondus. Ex qvâ colligi poteſt, eo tempore nondum creditum fuiſſe, exemtionem Clericorum â juriſdictione ſeculari eſſe juris divini, uti hodiè doceri qvandoqve in Eccleſiâ Latinâ ſolet. Imò ſeqvitur inde, forum Clericorum privilegiatum concedi ex indulgentia Principum, & ex ipſorum arbitrio pendére, nec licere adeò Clericis, ſi qvid ſecus conſtitutum fuerit, frena mordere, aut refractariis eſſe.

XXIV. Porrò producit Gratianus *d. l. can. 4.* teſtimonium ex Concilio Niceno. Id ita ſe habet: *Judices eſſe non debent niſi qvos ipſe, qvi impetitur elegerit: aut qvos ſuo conſenſu hæc ſancta ſedes aut ejus primates auctoritate hujus ſanctæ ſedis delegaverint.* Sed rectè animadvertunt Interpretes, hæc verba non eſſe ex concilio Niceno, ſed ex Julii Pontificis epiſtolâ *2. c. 34.* deprompta, qvi Julius ſeculo hoc IV Romanæ Eccleſiæ Epiſcopus fuit. Iſtam verò epiſtolam, ex qvâ verba relata deſumta ſunt, totam commentitiam, ex variis Conciliorum atqve Patrum ſcriptis conſarcinatam eſſe præclarè oſtendit David Blondellus *in Pſeudo Iſidor. pag.*

pag. 457. ſeqq. ubi *pag. 473.* verba hæc à Gratiano adducta ſpecialiter perſtringit. Nec tamen, ſi genuina eſſent, multum facerent ad exemtionem Clericorum ſuſtinendam, qvandoqvidem ea tàm generalia ſunt, ut de qvibusvis judicibus, etiam ſecularibus, explicari commodè qveant.

XXV. Videamus qvid hoc ſeculo IV legibus Imperatorum conſtitutum fuerit. Et primùm quidem refert Ambroſius *epiſt. 32.* Valentinianum Seniorem Epiſcoporum judicia in certis qvibusdam cauſis approbaſſe. Sic enim ſcribit ad ejus filium Valentinianum juniorem: *Auguſtæ memoriæ pater tuus non ſolùm ſermone reſpondit, ſed etiam legibus ſuis ſanxit, in causâ fidei vel Eccleſiaſtici ordinis alicujus eum judicare debere, qvi nec munere impar ſit, nec jure diſſimilis, (hæc enim verba reſcripti ſunt,) hoc eſt, Sacerdotes de Sacerdotibus voluit judicare. Qvin etiam ſi aliàs qvoq; argueretur Epiſcopus, & morum eſſet examinada cauſa, etiam hanc voluit ad Epiſcopale judicium pertinere.* Et porrò: *Qvando audiſti clementiſſime Imperator, in causâ fidei Laicos de Epiſcopo judicaſſe? Ita ergò qvâdam adulatione curvamur, ut Sacerdotalis juris ſimus immemores, & qvod DEUS donavit mihi, hoc ipſe aliis putem eſſe credendum.* Et mox: *At certè, ſi vel ſcripturarum ſeriem divinarum, vel vetera temporis retractemus, qvis eſt, qvi abnuat, in causâ inqvam fidei Epiſcopos ſolere de Imperatoribus Chriſtianis, non Imperatores de Epiſcopis judicare, &c.*

XXVI. Conſtitutionem ipſam deſideramus, qvæ ſine dubio per injuriam temporis periit. Extat alia ejusdem Valentiniani in Codice Theodoſiano *l. 20. qvor. app. non recip.* qvàm valdè interpolatam Codici Juſtinianeo *l. 2. de Epiſc. aud.* inſeruit Tribonianus. Ea ita habet: *Qvoniam Chronopius ex Antiſtite idem fuit in tuo, qvi fuerat in ſeptuaginta Epiſcoporum ante judicio, & eam ſententiam provocatione ſuſpendit, à quâ non oportuit provocare, argentariam multam, qvàm hujusmodi facto ſanctio generalis imponit, cogatur expendere. Hoc autem non fiſco noſtro volumus accedere, ſed his qvi indigent fideliter erogari. Qvod in hac causâ & cæteris Eccleſiaſticis fiat.* Conſtitutionem hanc cùm recenſuiſſet Cardinalis Baronius *ad ann. 369. num 40.* non ea tantum, ſed & verbis Ambroſii innui putat ſanctionem generalem illam, qvâ vetitum erat, ne Clerici coram ſecularibus judicibus cauſam dicerent. Id verò rectè refutat Jacobus Gothofredus *ad d. l. 20.* cùm hoc ſeculo inaudita adhuc fuerit doctrina, qvæ Eccleſiaſticos ſecularibus poteſtatibus ſubducit, nec aliam proinde ſanctionem ſubintelligi debere ſcribit, qvàm illam, qvâ qvinqvaginta librarum argen-

phyrini epiſtolâ ſentiendum ſit, qvam argenti multa apellanti impoſita eſt, h.e., *l. 15. & 16. Cod. The. qvor. appell. non recip.* Add. Jac. Ruſſ. *ad l. 2. C. de Eipſ. au.*

XXVII. Ex dictis ergò Ambroſii verbis hoc colligitur, Imperatorem Valentinianum permiſiſſe Epiſcopis, ut de cauſis fidei, atqve Eccleſiaſtici ordinis, h.e. de cauſis merè Eccleſiaſticis, tum etſi cauſa morum incideret, h.e. de levibus Epiſcoporum delictis, ſententias ferrent. Eamqve explicationem ipſe contextus confirmat. Primum enim mentionem facit cauſæ fidei, vel Eccleſiaſtici ordinis. Hanc ait ex lege Valentiniani judicari debere ab Epiſcopis, eò qvod in talibus cauſis Eccleſiaſticis Sacerdotes de Sacerdotibus commodiſſimè ſententiam ferant. Deinde dicit, ſi morum eſſet examinanda cauſa, etiam hanc ad Epiſcopale judicium remiſſam fuiſſe â Valentiniano. Morum autem cauſa non alia eſt, qvàm qvæ leve aliqvod delictum concernit. Criminales enim cauſæ, qvæ ex delictis communibus oriebantur, ſecularibus judiciis reſervatæ manebant, ut & cauſæ pecuniariæ, ſic tamen, ut in his liceret utriusqve partis conſenſu ad judicem Eccleſiaſticum ſive forum Epiſcopi ire, ejusqve ſẽtẽtiã expetere Id enim cùm Laicis liceret, non potuit denegari clericis, ne deterioris conditionis eſſe viderentur.

XXVIII. Cæterùm, ut hoc obiter addam, cùm dicatur in conſtitutione Valentiniani alterâ, Chronopiũ in ſeptuaginta Epiſcoporum judicio priùs damnatum fuiſſe, non videntur mihi ſeptuaginta præciſè Epiſcopi in unum congregati cauſam definiviſſe. Sed accipi ea verba debent de ſynodo provinciali, qvod ejusdem provinciæ Epiſcopi convenerint, & Chronopium damnaverint. Utrum autem ſeptuaginta illi fuerint, an plures, an pauciores, forte parum refert. Debet enim talis cauſa, qvâ Epiſcopus accuſatur, intra provinciam audiri, & â comprovincialibus terminari *c. ultim & ſeqq. 3. q. 6.* & indignum eſt, ut ille ab extraneis judicetur *c. peregrina ibid.* Dicitur autem ſeptuaginta Epiſcoporum judicium fortè ideò, qvia ejusmodi ſynodus comparatur judicio ſeptuaginta Seniorum cum filiis Iſrael, qvi cauſas ſuas Moyſi propoſuérunt, *can. 41.* concil. Niceni, inter eos, qvi ex Arabicâ verſione proſtant. Nec enim ullibi legitur, Epiſcopum â ſeptuaginta coëpiſcopis condemnari debere, qvanqvam in epiſtolâ Zephyrini ad Epiſcopos Sicilienſes primâ, qvam refert Ivo Carnotenſis *in Decreto part. 5. cap. 245.* & in Synodo Romanâ II, *cap. 3.* â Sylveſtro conſtitutum legatur, non debere Epiſcopum condemnari, niſi per ſeptuaginta duos teſtes convictus fuerit nec presbyterum niſi *44.* verſus eum præſtò ſint teſtimonia. Ut enim non repetam, qvæ de autoritate Synodi Romanæ dixi ſupra, nec inqviram longiùs, qvid de Ze-

adverſus Turrianum prolixè examinat Blondellus *in Pſeudo Iſidoro p. 237. ſeq.* ſufficiet hîc, qvod de presbyteris per ἐπικρίσιν addit Hincmarus *d. l. n. 24. Si presbyter approbari non poterit, niſi cum tot idoneis teſtibus, ſicut ibidem ſcriptum eſt, nunqvam probabitur. Sunt enim apud nos presbyteri, qvi tot parochianos non habent &c:* Idem dici potuerit de Epiſcopis, qvod vix fieri poſſit unqvam, ut ſeptuaginta duo teſtes in eâdem cauſâ inveniantur.

XXIX. Id verò expeditum non eſt, qvid ſibi velint verba Conſtitutionis Valentinianeæ initialia, & qvaliter ſe habuerit provocatio Chronopii. Hoc innuere videntur, damnatum eum prius fuiſſe in judicio LXX Epiſcoporum, ſive ſynodali: appellaſſe eum deinceps ad Præfectum Urbi, & denuò condemnatum: provocaſſe eum porrò ad ſuperiorem, Imperatorem nimirum, & hanc appellationem rejectam eſſe ideò qvod ab ſententiâ iſtâ appellari non debuerit. Qvæ ratio facit, ut inſcriptionem conſtitutionis vitioſam eſſe exiſtimem, eamqve non ad Præfectum Urbi, ſed ad Præfectum Prætorio exaratam ſtatuam. Siqvidem à ſententiâ Præfecti Prætorio appellare non licuit. *l. un. ff. de Offic. præf. Præt. l. 17. ff. de min. l. 19. l. 30. l. 35. C. de appell.* benè tamen à ſententiâ, qvam tulerat præfectus Urbi, *l. 38. ff. de minor. l. fin. C. de his qvi propt. met. jud. non app.* Qvomodo verò â ſententiâ Synodali appellari ad judicium ſeculare potuerit, id, uti dixi, nondum expeditum eſt. Videtur Valentinianus etiam in judicio morum, qvod Epiſcopis conceſſerat, reſervaſſe ſibi & magiſtratibus ſuis cognitionem ulteriorem, ut ſi fortè per imperitiam aut corruptelam poteſtate ſuâ abuterentur Epiſcopi, id emendari deinceps in judicio appellationis poſſet.

XXX. Valentiniano ſucceſſit Gratianus, cujus conſtitutio anno CCC LXXVI. promulgata in Codice Theodoſiano *l. 23. de Epiſc.* ita ſe habet: *Qvi mos eſt cauſarum civilium, idem in negociis Eccleſiaſticis obtinendi ſunt, ut ſi qva ſunt ex qvibusdam diſſenſionibus levibusqve delictis ad religionis obſervantiam pertinentia, locis ſuis & à ſuæ diœceſeos ſynodis audiantur: exceptis, qvæ actio criminalis ab Ordinariis extra ordinariisqve judicibus aut illuſtribus poteſtatibus audientia conſtituit.* Conſtitutio hæc & cauſas diſtingvit Eccleſiaſticorum ſive Eccleſiaſticis perſonis intentatas, & judicia, qvibus cauſæ iſtæ dirimi & judicari debeant. Cauſas facit triplices, alias ait ex qvibusdam diſſenſionibus oriri, alias deniqve ex publicis judiciis. De pecuniariis cauſis nullam facit mentionem, qvod dubium nullum fuerit, eas omnes in judiciis ſecularibus ventilari debere, ſive adverſus Eccleſiaſticas perſonas inſtituerentur, ſive

ad-

adverſus Laicos. Qvod diſſenſiones in religione attinet, æqviſſimum eſt, ut de iis in foro Eccleſiaſtico diſceptetur. Pertinentqve eò verba Ambroſii ſupra relata: *Qvando audiſti, clementiſſime Imperator, in cauſâ fidei Laicos de Epiſcopo judicaſſe?* De levibus delictis jam ſupra diximus, ex inſtituto Valentiniani anteceſſoris eorum cognitionem judiciis Eccleſiaſticis conceſſam fuiſſe. Et per delicta tamen non promiſcuè qvævis, ſed illa tantùm qvæ ad religionis obſervantiam pertinent, qvæ diſciplinam & ordinem Eccleſiaſticum lædunt, qvæqve Eccleſiaſtica ἐγκλήματα, ſeu ἁμαρτήματα vulgò dicuntur, & Eccleſiaſticorum propria ſunt ſubintelligi debere, verba manifeſtè produnt. Reliqva autem Eccleſiaſticorum delicta, qvæ communia diximus cap. anteced. foro ſeculari reſervantur.

XXXI. Judicia ita diſcriminat Gratianus, ut diſſidia qvidem & delicta Religionem aut diſciplinam Eccleſiaſticam attinentia locis ſuis & à ſuæ diœceſeos ſynodis audiantur; cauſæ autem criminales ab ordinariis extraordinariisqve judicibus aut illuſtribus poteſtatibus definiantur. In priori membro triplex forum contineri enucleatè tradit Jacobus Gothofredus *ad d. l. 23.* ubi loca, qvæ in hoc textu memorantur, explicat de judicio Epiſcopi, tum &, qvod alterum & ſuperius eſt forum, de ſynodo totius provinciæ, qvam Metropolitanus cum omnibus provinciæ Epiſcopis facit. Seqvitur tandem forum adhuc altius, Synodus nempe diœceſeos qvam facit Patriarcha vel Primas ſeu Exarchus cum Epiſcopis ex multis provinciis ſibi ſubjectis. Etſi enim diœceſeos vocabulum ambiguum ſit, & modo territorium Epiſcopi, modo integram provinciam Archiepiſcopi, modo multas ſimul provincias denotet; uti id probat Jacobus Sirmondus, *ad Apollinar. Sidon. lib. 9. epiſt. 16.* Chriſtoph. Juſtell. *ad Cod. Can. Eccleſ. African. can. 56.* Ultima tamen ſignificatio propriiſſima eſt, qvat. ſcil. ſignificat complexum multarum provinciarum, vocabulo à civili adminiſtratione petito. Circa diſſidia igitur in Religione, & delicta Clericorum levia tres gradus juriſdictionis ab Imperatore referuntur. Primus eſt fori Epiſcopalis, alter Synodi provinciæ, & tertius Synodi diœceſeos. Qvi ultimus tantam autoritatem ſententiæ conferebat, ut provocare ab eâ nullo modo liceret, uti in ſeqventibus dicam.

XXXII. Qvod delicta Clericorum communia concernit, ea vindicari ait Imperator ab ordinariis extraordinariisqve judicibus aut Illuſtrib9 poteſtatibus. Ordinari judices

cùm erant in Urbe præfectus Urbi, *l. 1.ff.de off.præf.Urb.* in provinciis Præſides *l. 6. §.pen.ff. de off.præſ.* & Proconſules, *l.6.ff. de off. Proconſ.* qvibus in ipſâ creatione merum imperium conferebatur. Extraordinarii erant, qvibus Imperator cognitionem extra ordinem mandabat. Illuſtres poteſtates dicebantur alii, ut præfecti prætorio &c. Vid. Jacob Gutherius *de offic. dom. Aug. lib. 1. c. 4.* Probat igitur hæc Gratiani conſtitutio, circa crimina Clericorum nihil omninò mutatum eo tempore fuiſſe, ſed eorum cognitionem ad ſecularia judicia pertinuiſſe, ut olim; reliqvam autem audientiam Epiſcopis & ſynodis conceſſam venire ex indulgentiâ Principis, qvi in favorem Eccleſiaſticorum privilegiata iſta fora inſtituit, ut ne promiſcuè illi inter fratres ſubroſtranos ad tribunalia ſtare, & cauſas ſuas perorare cogerentur.

XXXIII. Qvod ita in Occidente conſtituerat Gratianus Imp. id in Oriente non invito Imperatore ſuo acceptárunt Patres Conſtantinopol. anno CCCLXXXI habitum fuit, ſive in aliqvo poſteriore, uti putat Gvilielmus Beveregius *in not. ad dict. Concil. Conſtantinop.* cùm in Dionyſii Exigui aliisqve vetuſtis latinis collectionibus nihil tale inveniatur, ſed in Græcis tantùm, Johannis Antiocheni & Theodori Balſamonis, qvi Canonem iſtum, qvem mox recenſebimus, Conſtantinopolitano Oecumenico vindicant, eumqve *num. 6.* ponunt. Verba in verſione Latina ita habent: *Qvoniam multi Eccleſiaſticum ordinem confundere & ſubvertere volentes, inimicè & ſycophanticè adverſus Orthodoxos Epiſcopos, qvi Eccleſias adminiſtrant, accuſationes qvasdam confingunt, nihil aliud qvàm Sacerdotum bonam exiſtimationem contaminare & in pace degentium populorum tumultûs concitare conantes: eâ de cauſâ placuit ſanctæ Synodo Epiſcoporum, qvi Conſtantinopoli convenerunt, nec ſine diſcuſſione admittere accuſatores, nec omnibus eorum qvi Eccleſias adminiſtrant, accuſationes permittere, nec omnes excludere; ſed ſi qvis propriam qvidem qverelam, id eſt privatam intendat Epiſcopo, ut detrimento aliqvo vel injuriâ aliqvâ ab ipſo affectus,* ὡς πλεονεκτηθεὶς, ἢ ἄλλο τι παρὰ τὸ δίκαιον παρ' αὐτοῦ πεπονθώς, *in ejusmodi accuſationibus, nec accuſatoris perſonam, nec religionẽ examinari. Oportet enim Epiſcopi conſcientiã eſſe omnibus modis liberam, & eũ qvi ſibi injuriam factam eſſe dicit, cujuscunq; ſit religionis jus ſuum conſeqvi. Si autem ſit crimen Eccleſiaſticum, qvod Epiſcopo intenditur, tunc examinari perſonas accuſatorum: ut primùm qvidem hæreticis non liceat Orthodoxos Epiſcopos pro rebus Eccleſiaſticis accuſare. Hæreticos autẽ dicimus & qvi olim ab Ec-*

cle-

ſiâ abdicati ſunt, & qvi ſunt poſtea â nobis anathematizati: ad hæc autem & eos, qvi ſe ſanam qvidem fidem conſiteri præ ſe ferunt, avulſi autem ſunt & abſciſſi & adverſus Canonicos noſtros Epiſcopos congregationem faciunt. Præterea autem etſi aliqvi eorum ab Eccleſiâ ob aliqvas cauſas priùs condemnati & ejecti & vel excommunicati fuerint, ſive ex Clero ſive ex Laicorum ordine nec licere eis Epiſcopum accuſare, priusqvam proprium crimen abſterſerint. Similiter autem & eos, qvi priùs rei facti accuſatiqve ſunt, non prius ad Epiſcopi vel aliorum Clericorum accuſationem admitti, qvàm ſe objectorum ſibi criminum inſontes oſtenderint. Sed ſi nonnulli nec hæretici nec excommunicati fuerint, nec priùs damnati vel aliqvorum criminum accuſati, dicant autem ſe habere aliqvas adverſus Epiſcopum criminationes, eos jubet ſancta Synodus primùm qvidem apud provinciæ Epiſcopos accuſationem perſeqvi, & apud eos probare crimina Epiſcopi, qvi aliqvarum rerum accuſatur. Qvod ſi evenerit, ut provinciales Epiſcopi crimina, qvæ Epiſcopo intentata ſunt, corigere non poſſint, tunc ipſos accedere ad majorem Synodum dioeceſis illius Epiſcoporum pro hâc causâ convocatorum, & accuſationem non priùs intendere, qvàm æqvale periculum ſibi ſtatuant, ſi qvidem in rebus examinandis accuſatum Epiſcopum calumniari convicti fuerint. Si qvis autem iis, qvæ, ut priùs declaratum eſt, decreta fuerunt, contemtis auſus fuerit vel Imperatoris aures moleſtiâ afficere, vel ſecularium Principum judicia vel univerſalem Synodum perturbare, neglectis Dioeceſis Epiſcopis, eum nullo modo eſſe ad accuſationem admittendum, ut qvi canonibus injuriam fecerit, & Eccleſiaſticum ordinem everterit.

XXXIV. Agitur qvidem in hoc canone inprimis de actionibus adverſus Epiſcopum intentatis, & qvaliter ſe habere debeant actores aut accuſatores; Fit tamen in eo aliqvando etiam reliqvorum Clericorum mentio, ut inde concludere liceat, haud diſparem rationem aliqvo ſaltem caſu obſervandam eſſe, ſicubi adverſus reliqvos, qvi in ordine ſacro ſunt, actio aut accuſatio inſtituatur. Caſus ille talis eſt, ſi qvis, qvi in reatu ipſemet eſt, accuſare Epiſcopum aut Clericum velit, anteqvam accuſationis nexu ſe liberaverit. Videamꝰ autem potiſſimũ, qvid de foro decretum fuerit. Et primùm qvidem agitur de causâ privatâ, qvæ pecuniariâ demum æſtimatione litis abſolvitur, uti commentatur Zonaras, qvando ſcil. qvis de damno dato aut injuriâ ſibi illatâ conqveritur. Et in tali cauſa non attẽdi debere qvalitatem actoris decernitur. Ubi autem & in qvo judicio cauſa ejusmodi ventilari debeat, expreſſum qvidem non eſt; ex qvibuſdam tamen verbis colligi poteſt, in foro Eccleſiaſtico diſce-

ceptationem inſtituendam eſſe. Dicitur enim: *Decrevit ſancta Synodus Epiſcoporum, qvi Conſtantinopoli convenérunt, non ſine examine accuſatores admittere &c:* & circa finem: *Si qvis autem iis, qvæ decreta fuérunt contemtis auſus fuerit vel Imperatoris aures moleſtiâ afficere, vel ſecularia Principũ judicia, vel univerſalem ſynodum perturbare, eũ nullo modo eſſe ad accuſationem admittendum, &c:* Decernere non poteſt Synodus, qvid in judiciis ſecularibus obſervari debeat. Per conſeqvens, qvicqvid hîc de examine dicitur, id ad judicia Eccleſiaſtica referendum eſt.

XXXV. Ergone pecuniariæ, qvæ adverſus Epiſcopos competunt, actiones in judiciis Eccleſiaſticis peragendæ erunt? qvas tamen ex legibus Imperatoriis ad forum ſeculare pertinere paulo ante dixi. An dicemus, mutatum id eſſe tâm celeriter, qvod ante qvinqvennium Gratiano Imperatori placuit? Imò verò, qvid dici hîc debeat, obſcurum & dubium eſt, nec niſi per conjecturas effugere licet. Attendantur tamen ſeqventia. Primum, qvod ſupra dixi, à plerisqve ſtatui, canonem hunc non ſeculo hoc qvarto, neqve in Concilio Conſtantinopolitano generali, ſed recentiori aliqvo conſcriptum eſſe. Deinde, Epiſcopis id tantùm tributum, ne accuſationes adverſus eos in judiciis fierent, ſed apud alios Epiſcopos explorarentur; reliqvorum Clericorum reſpectu jus commune relictum eſſe, neqve ſpeciale hoc privilegium eis indultum. Tertiò: fortè etiam differentiam aliqvã ex imperio Orientis & occidentis petendam eſſe, cùm aliter Romæ aliter Conſtantinopoli habere ſe res potuerit, indulgentibus ſcil. & conniventibus Imperatoribus. Qvartò, videri Patres Conſtantinopolitanos admodum timidè hunc canonem compoſuiſſe, & ſub ſpecie moleſtiæ derivandæ palpum Imperatori obtrudere voluiſſe, ut eo facilius ille in hoc forum Eccleſiaſticum conſentiret. Si qvis, ajunt, iis, qvæ decreta fuérunt, contemtis auſus fuerit vel Imperatoris aures moleſtiâ afficere, vel ſecularium Principum judicia, vel univerſalem ſynodum perturbare, neglectis omnibus diœceſis Epiſcopis, eum nullo modo eſſe ad accuſationem admittendum. Qvomodo verò ad accuſationem non admittetur, qvi ad Imperatoris aures aut ſecularia judicia accuſationem ſuam defert? niſi ſtatuas, etiam hæc judicia illi interdicta eſſe. Qvod num à coetu Eccleſiaſtico fieri poſſit, aut num ſecularis judex ad tale decretum obligatus ſit, valdè dubito.

XXXVI. Et hæc qvidem de causâ pecuniariâ. Qvod delicta Epiſcoporum concernit, oppidò notandum eſt, non agi in hoc canone de qvibusvis eorum criminibus, ſed Eccleſiaſticis tantùm. Ita habent verba: εἰ δὲ ἐκκλησιαστικὸν εἴη τὸ ἐπιφερόμενον ἔγκλημα τῷ ἐπισκόπῳ. *Si autem ſit crim*

*menEccleſiaſticum,qvod Epiſcopo intenditur,&c.*Et porrò: λέγοιεν δὲ ἔχειν τινὰς ἐκκλησιαστικὰς κατὰ τοῦ ἐπισκόπου κατηγορίας, *dicant autem*, ſcil. accuſatores, *ſe habere Eccleſiaſticas aliqvas adverſus Epiſcopum criminationes,&c:* Qvæ ſint illa Eccleſiaſtica ἐγκλήματα, ſive delicta, ſupra explicavi, levia ſc. illa, qvæ ad religionis obſervantiam pertinent, qvæqve diſciplinam & ordinem Eccleſiaſticum lædunt, & motum cauſam conſtituunt. Iſta cùm ita limitatè judicio Eccleſiaſtico deſtinat Synodus, reliqva omnia juri communi & judiciis ſecularibus reliqviſſe cenſenda eſt. Ut adeo circa iſta talia nihil adhuc qvicqvam eo tempore immutatum inveniatur.

XXXVII. Præcipuum verò, qvod ex hoc canone Conſtantinopolitano obſervandũ eſt, verſatur in enumeratione judiciorum Eccleſiaſticorum, qvorum jam ſupra aliqvam feci mentionem. Erant enim eorum qvidam veluti gradûs, perinde uti in judiciis ſecularibus, poteratqve ab uno ad alterum juſto ordine provocari. Primùm enim cuilibet Epiſcopo ſuo erat ἐπισκοπὴ & juriſdictio, adeoqve oportebat diaconum conveniri primùm coram Epiſcopo ſuo. Qvod ſi ſuſpectum eſſet diacono judicium iſtud, aut diacono ipſi cumEpiſcopo ſuo res eſſet, poterat ille provocare adEpiſcopos vicinos, ſi qvidẽSynodus provincialis cogi illicò non poterat, aut ad hanc, ſi præſto eſſet talis congregatio. Judicium Epiſcoporum vicinorũ maximè probatum fuit in ConciliisAfricanis, qvibus conſtitutum fuit, ut Epiſcopus à duodecim Epiſcopis, & presbyter à ſexEpiſcopis cum proprio ſuo Epiſcopo audiatur, & diaconus à trib9. *Vid.can.12.14.20.28.& 125.in eod.can Eccl.Afr.* Utrum autem à judicio horũ vicinorumEpiſcoporum ad ſynodum provincialem provocare licuerit, non auſim aſſerere. Imò verò tutiùs id negabitur, tùm qvod Epiſcopi illi Synodi provincialis vices ſuſtineant, tùm qvod eligi ab accuſato ſoleant, uti patet ex *can.20.ejuſd.cod.* At ſi ex cõſenſu partiũ electi iudices fuiſſent, etiam à pauciore numero, qvàm conſtitutũ eſt, non licebat provocare. *can.15.ibid.*

XXXVIII. Ubi tales judices cõpromiſſarii electi non fuiſſent, adiri poteratSynodus provincialis vel in primâ inſtantiâ, ſi cumEpiſcopo res eſſet, vel per appellationem, ſi inferior aliqvis in judicio Epiſcopi gravat9 fuiſſet. Synod9 illa provincialis conſtabat ex omnib9 totius provinciæEpiſcopis cũ ſuo metropolitano ſeu primate, aut Epiſcopo primæ ſedis. Tales Synodos bis in anno haberi debere Concilium Nicenũ *can.5.* præſcripſerat, idq; repetiit Concilium Antiochenum & Chalcedonenſe Sed Juſtin. Imp. *Novell.123. & 137.* celebrationem horum Conciliorum ſemel tantùm in anno fieri conceſſit, qvod etiam ſecuta eſt Synodus in Trullo, *c.8.* & ſecunda Nicæna *c. 6.* Agebatur in illis de cauſis Clericorũ & Laicorũ, qvi abEpiſcopis ſuis excommunicati erãt, audiebãtur accuſationes adverſus Epiſcopis, expediebãtur difficultates, qvæ contin-

gebant circa adminiſtrationem bonorum Eccleſiaſticorum, & in univerſum tractabantur omnes controverſiæ & dubitationes, qvæ ad ceremonias ſacrorum, perſonas & res Eccleſiaſticas pertinent. Iſta concilia ex qvâ ratione celebrari deſierint, optimè exponit Petrus de Marca *de concord. ſacerd. & imp. lib. 6. c. 15.*

XXXIX. Superiora adhuc erant Concilia totius dioeceſeos, qvæ â Patriarcha ſive exarcho cum metropolitanis & Epoſcopis totius diœceſeos celebrantur. Diœceſis hoc loco accipitnr pro tractu & collectione pluriumdiverſarum provinciarum, qvemadmodum provincia pro collectione plurimorum Epiſcopatuum. Qveamdmodum igitu Epiſcopus pluribus presbyteris, & parochis, & metropolitanus ſive Archiepiſcopus pluribus Epiſcopis, itemqve Exarchus ſive patriarcha pluribus metropolitanis præerat: ita conventus ab unoqvoqve cum ſibi ſubjectis facti vel ſynodi ſimplicis, vel ſynodi provincialis, vel ſynodi diœceſeos nomine veniebant. Sic & Exarchus h. l. eundem denotat, qvi aliàs dicitur patriarcha, integræ ſcil. diœceſeos inſpector & Epiſcopus primus. Ita explicat Balſamon *ad Concil. Calchedonenſ. c. 9. Provinciæ Exarchus eſt, ut mihi qvidem videtur, non unicujuſq; provinciæ metropolitanus, ſed ſed metropolitanus totius diœceſis. Diœceſis autem, eſt qvæ multas ſub ſe habet provincias.* Et Zonaras *ib. Exarchorum diœceſanorum nomine nonnulli patriarchas, alii metropolitanos intelligi volût.* Scilicet hoc nomine nonnunqvam etiam Metropolitani deſignabantur, qvod qvampluribus teſtimoniis comprobat Chriſtophorus Juſtellus *ad Cod. Can. Eccleſ. African. can. 39.* Et de Patriarchâ qvidem qvando uſurpatum Exarchi nomen fuit, additum plerumqve legitur vocabulum *diœceſeos;* qvando verò metropolitani eo deſignabantur, ſimpliciter illi exarchi dicebantur. Sed qvia inter Metropolitanos adhuc aliqvi præcipui honoratioresqve erant, qvi tamen Patriarcharum nomine non veniebant, illi non ſimpliciter Exarchi, ut cæteri, ſed ὑπέρτιμοι ἔξαρχοι appellabantur. Vid. Petr. de Marca *de Canſtantinop. patriarch. inſtit. pag. 144.*

XL. Conventûs iſti Metropolitanorum apud Patriarcham fiebat annuâ, bimâ aut trimâ die, imò ſi gravia atqve ardua negocia repente inciderint, extra ordinem ad lubitum Patriarchæ cogebantur. Eoq; accedere tenebantur Metropolitani loco & die, qvem Patriarcha conſtituiſſet, judicaturi in eis qvæſtiones ad fidem vel ad diſciplinam ſpectantes, ſive in primâ inſtantiâ, ſive in ſecundâ & per modum appellationis, prout cauſæ conditio exegerit. Et qvia tales Synodi ſuo qværqve Patriarchæ ſubditæ erant, earum autoritas ſuprema eſſe debuit, neq; fieri poterat

ut

ut ab aliâ qvâpiam jurisdictione penderet. Itaqve nulla à decreto talis Concilii appellatio fieri poterat, ne qvidem ad Synodum univerſalem. Hoc enim eſt, qvod in canone Conſtantinopolitano condemnatus prohibetur *οἰκουμενικὴν σύνοδον ταράσσειν*, univerſalem Synodum perturbare. Non enim patriarcharum ſententiæ provocationem recipiunt, ait Photius Patriarcha Conſtantinop. *in Nomocanone lib. 9. c. 1.*

XLI. Hæc igitur erat appellationum ratio, ut à presbyterio unius Eccleſiæ ſeu parochiæ, aut Epiſcopi ſententiâ ad plurium Epiſcoporum conſeſſum, aut ad ſynodum omnium Epiſcoporum provinciæ & ab hâc ad Concilium totius diœceſeos provocaretur. Hi etiam erant jurisdictionis Eccleſiaſticæ gradus, qvos pro conditione rei conventi obſervari oportebat. Aut enim Clerico res erat cum alio eidem *ἐπισκοπῇ* ſubjecto clerico, & tunc Epiſcopus, cui uterqve ſubjectus erat, ordinarius erat judex; aut cum Epiſcopo ipſo, & tunc ad Synodum provinciæ eundum erat, aut deniqve cum provinciæ metropolitano, qvo caſu lis ad Exarchum aut Patriarcham referri debebat. Et hi limites erant, intra qvos Eccleſiaſtica jurisdictio continebatur. Eamqve procedendi rationem uberiùs expoſuit Concilium Calchedonenſe *c. 9. & 17.* itemqve Juſtinianus Imp. *l. 29. C. de aud. Epiſc.* ubi inſtantias ita deſcribit, ut nullam omninò præteriri debere ſtatuat, nec ſaltum admittat omiſſo judice inferiore, & patriarcharum de non appellando privilegium lege ſuâ confirmet. Cujus Imperatoris eâ de re conſtitutiones infra pleniùs videbimus. Pergendum nunc nobis eſt ad alia, qvæ Juſtiniani *νομοθεσίαν* antecedunt.

XLII. Ut verò abſolvamus ea, qvæ ex ſeculo IV reſtant, præteriri hîc non debet Conſtitutio Theodoſii, qvæ recenſetur in Codice Theodoſiano *l. 3. de Epiſcopali judic.* Verba, qvæ huc pertinent, operæ precium eſt, hîc adſcribere. — *Idcircò continuâ lege ſancimus, nomen Epiſcoporum vel eorum, qvi Eccleſiæ neceſſitatibus ſerviunt, ne ad judicia ſive ordinariorum ſive extraordinariorum judicum pertrahatur. Habent illi judices ſuos, nec qvicqvam his publicis commune cum legibus, qvantum tamen ad cauſas Eccleſiaſticas pertinet, qvas decet Epiſcopali auctoritate decidi. Qvibuſcunq; igitur mota fuerit qvæſtio, qvæ ad Chriſtianam pertineat ſanctitatem, eos decebit ſub eo judice litigare, qvi præſul eſt in ſuis partibus omnium Sacerdotum, id eſt, per Ægypti diœceſin, Optate Kariſſime ac jucundiſſime. Qvare laudabilis auctoritas tua, arbitrio temperato, qvicqvid negociorum aliunde incidet, terminabit: habituro Pontificium ſacræ diſceptationis Timotheo Epiſcopo, qvem ſibi omnes*

etiam ſuo judicio prætulêre. Eſt enim Vir, cùm omnium Sacerdotum ſuſceptatione venerandus, tùm etiam noſtro judicio approbatus.

XLIII. Legem hanc Decreto ſuo inſeruit Gratianus, ſed peſſimè truncatam, & ſenſu Legislatoris intentioni planè contrario. Audiamq; ipſum, uti eam *c. continuâ II. q. 1.* in compendium redegit: *Continuâ lege ſancimus, ut nullus Epiſcoporum vel eorum qvi Eccleſiæ neceſſitatibus ſerviunt, ad judicia ſive ordinariorum ſive extraordinariorum judicum protrahatur, habent enim illi ſuos judices, nec cuiqvam his publicis eſt commune cum legibus.* Ecce, qvàm perverſa eſt hæc interpretatio, dum omittuntur verba, qvæ addi debuiſſent: *quantum tamen ad cauſas Eccleſiaſticas pertinet, qvas decet Epiſcopali auctoritate decidi.* Qvis enim ex verbis Gratiani non colligeret, ſtatuiſſe Imperatorem, generaliter omnes Eccleſiaſticorum cauſas debere in judiciis Eccleſiaſticis & coram Epiſcopo tractari? At limitatè ille & reſtrictè de cauſis tantùm Eccleſiaſticis conſtitutionem ſuam intellectam voluit, qvaliter jam ante conſtituerat Gratianus Imperator. Vid. Benign. Milletot. *de delict. comm. & caſ. privil. p.* 77. Taceri tamen nec iſtud hîc debet, conſtitutionem hanc Theodoſii non videri genui, nam Jacobo Gothofredo, in libris veterum memoriarum verſatiſſimo, qvi multa νοϑείας argumenta congeſſit, ut adeò hodiè de αὐϑεντία hujus conſtitutionis dubitare valdè oporteat. Qvicqvid tamen hujus ſit, id conforme planè eſt cæteris hujus ætatis legibus, qvod diſtingvere jubeat, inter cauſas Eccleſiaſticas ſive ad Chriſtianam ſanctitatem pertinentes, & alia negocia aliunde accidentia hoc eſt, pecuniaria & criminalia.

XLIV. Neq; excuſari poteſt Gratianus, qvando ad palliandam ſuam, qvam in conſtitutione Theodoſii fecerat, depravationem, ſubjungit dictum Conſtantini Imperatoris ex Rufini *hiſtor. Eccleſ. lib. 10. c. 3.* his verbis: *Item Conſtantinus Imp. præſidens in ſanctâ Synodo, qvæ apud Nicæam congregata eſt, cum qverelam qvorundam Clericorum conſpiceret coram ſe deferendam, ait: Vos à nemine dijudicari poteſtis, qvia ad DEI ſolius judicium reſervamini.* Præterqvam enim, qvod autoritas Rufini tanta non ſit, ut illi ſine teſte fides haberi debeat, qvod jamdiu conqveſti ſunt Viri eruditi, ipſe etiam hic Conſtantini ſermo parum facit ad judicium Epiſcoporum univerſale atq; exemplum probandum. Imò verò ipſa verba oſtendunt, modeſtiæ ſtuduiſſe Conſtantinum, nec rigori judiciorū ſubmittere voluiſſe Clericorum intentatas invicem qverelas. *Qvas*, inqvit Milletotus *d. l. p. 68. Si audire noluit, ſi pro ratione temporum & occaſionis,*

ſionis, qvæ baſis & fundamentum eſt omnis prudentis actionis, hunc naſcentem ignem exiſtimavit ab ipſo initio ſuffocandum, tanto ſanè major ejus auctoritas in eo apparuit, qvo minus eam legum formulis ſubmiſit, & extraordinario modo controverſias ipſorum extinxit. Qvi judiciorum formulas tenent, ſciunt, non tantùm adminiſtrari juſtitiam, qvum norma partibus præſcribitur ſcribendi & producendi, contradictiones & ſalvationes opponendi, & ſecundum productiones jus dicitur; ſed etiam cum in cauſa introductione pars rejicitur in finem non recipiendi: qvum ſupplex libellus aut rejicitur, aut aliò remittitur; qvin etiam qvum utrinq; factâ productione tacito SCto ſuſpenſam iri litem, id eſt, non judicandam pronunciatur. Qvæ ſanè procedendi rationes non manant à defectu poteſtatis aut autoritatis judicis, ſed ipſius prudentiæ ſunt ſigna. —— Neq; ſanè qviſpiam id auſit aſſerere, fuiſſe ſuæ poteſtatis abdicationem, ſed potiùs ejuſdem executionem, qvod Theodoretus obſervat in concluſ. ſermonis qvem habuit Imperator ad iſtius Concilii Patres. Maxima pars Concilii, inqvit, verbis ejus obtemperavit & mutuam concordiam doctrinamqve ſanam amplexata eſt. Idem Imperator deinceps ſatis notum fecit, ſe hoc facto inſignis facilitatis noluiſſe ſe abdicare ſuâ in Eccleſiaſticos poteſtate, cum in epiſtolâ, qvam ad Nicomediæ cives ſcripſit, de qvibuſdam Epiſcopis loqvens, ait: Erga iſtos ingratos aliqvod ſupplicium cenſui ſtatuendum, & propterea mandatum dedi, ut à ſuis abrepti ſedibus qvam longiſſimè relegarentur, &c. Et oppidò notandum qvod ſub hâc eâdem causâ *11. q. 1. c. Sacerdotibus*, Gratianus recenſeat ſententiam Gregorii M. qvam in epiſtolâ ad Mauritium Imperatorem expreſſit, ubi poſtqvam hoc Conſtantini factum retuliſſet, hanc illicò ſubjungit ἐπίμετρον: *In qvâ ſententiâ ſibi magis ex humilitate, qvàm illis aliqvid præſtitit ex reverentiâ impensâ.*

XLV. Sub finem ſeculi IV anno ſcil. Chriſti CCCXCVII celebratum fuit Concilium Carthaginienſe III ex cujus decretis Gratianus *c. placuit, ibid.* hoc recenſet: *Placuit, ut qviſqvis Epiſcoporum, presbyterorum & diaconorum ſeu clericorum, cùm in Eccleſiâ ei crimen fuerit intentatum, vel civilis cauſa fuerit commota, ſi derelicto Eccleſiaſtico judicio, publicis judiciis purgari voluerit, etiamſi pro ipſo lata fuerit ſententia locum ſuum amittat, & hoc in criminali actione, in civili verò perdat qvod evicit, ſi locum ſuum obtinere maluerit, &c.* Reliqva enim, qvæ apud Gratianum ſeqvuntur, à collectore fortè ad marginem adſcripta; & à librariis deinceps contextui inſerta, inde colligit Chriſtoph. Juſtellus *in not. ad Cod. can. Eccleſ. African. pag. 21.* qvia in omnibus codicibus non inveniuntur. Hoc autem canone

coërcitam voluérunt Patres Carthaginienſes Clericorum levitatem & procacitatem, qvi poſt cauſam in Eccleſiaſtico judicio tractari cœptam, ſpretis & relictis judicibus Eccleſiaſticis, ſeculari ſe arbitrio judicioqve committunt. Nempe liberaliùs aliqvando nonnulli Principes præter cauſas ad religionem ſpectantes etiam alias nonnullas, inter ipſos etiam Laicos, ſi videlicet ita compromiſiſſent litigatores, agitari in judiciis Epiſcoporum permiſérunt, idq; Conſtantino Magno p'acuiſſe teſtatur Sozomenus *lib.1. c. 9.* Idem etiam ab Honorio anno mox ſeqvente CCCXCVIII. permiſſum; conſtitutio ejus oſtendit, qvæ extat in *l. ſi qvi 7. C. de epiſc. aud.* ſub triplici ſcil. hâc limitatione 1. Ut adſit conſenſus partium 2. Ut civile tantùm agitetur negocium, 3. Ut Epiſcopus more arbitri ſponte reſidentis ſe habeant. Hanc Imperatorum benignitatem utrâqve manu adprehendérunt Epiſcopi in conciliis congregati, & ut eo latiùs fimbrias ſuas extenderunt, ſuaqve judicia magis ſtabilirent, legibus publicis decreta addidérent; cùmqve turpe viſum eſſet, Clericos judicia ſua Eccleſiaſtica ſpernere, qvæ à Laicis tantâ cum fiduciâ freqventarentur, fibulam illis injecérunt, & ſub gravi comminatione prohibuérunt, ne qvis poſtqvam actio in judicio Eccleſiaſtico cœpta fuit, ad judicium ſeculare deinceps provocet. Criminalis autem actio, cujus hîc fit mentio, intelligenda eſt, qvæ inſtituitur de crimine levi & moribus, uti ſupra explicavimus.

XLVI. Videtur autem circa hæc tempora Imperium & Sacerdotium non uſqveqvaqve conveniſſe, ſi penitius attendamus conſtitutionem Honorii Imp. qvæ anno mox ſeqvente CCCXCIX edita eſt, & in Codice Theodoſiano *l. 1. de relig.* his verbis proſtat: *Qvotiens de religione agitur, Epiſcopos convenit judicare; cæteras verò cauſas, qvæ ad ordinarios cognitores vel ad uſum publici juris pertinent, Legibus oportet audiri.* Qvod ſi rectè percipio mentem Imperatoris, videtur ille per decretum Concilii Africani irritatus, arctiorem reddere voluiſſe juriſdictionem, Epiſcopis hactenus ab Imperatoribus liberaliter conceſſam. Qvia enim illi noluérunt admittere, ut ab Eccleſiaſticis judiciis in cauſis civilibus & criminalibus ad ſecularia judicia Clericis aditus pateret, Imperator viciſſim Eccleſiaſtica iſta judicia ita reſtrinxit, ut in illis de religione ſolùm judicare fas eſſet, cæteræ omnes cauſæ judicibus ſecularibus relinqverentur. Atqve hæc conſtitutio privilegium fori Epiſcopalis à Conſtantino conceſſum prorſus ademit, ut neqve Laicis deinceps amplius liceret in iſtud judicium conſentire, niſi de religione inter eos agatur.

XLVII.

XLVII. Pergimus ad ſeculum V, ex cujus memoriâ apud Gratianum *d. l. can. 25.* primum teſtimonium eſt Innocentii Pontificis ex epiſtolâ ad Victricium Rhotomagenſem: *Si qva cauſa*, inqvit, *vel contentiones inter Clericos & Laicos, tàm ſuperioris ordinis, qvàm etiam inferioris fuerint exortæ, placuit, ut ſecundum Nicenam ſynodum congregatis omnibus ejuſdem provinciæ Epiſcopis judicium terminetur.* Verba hæc longiori cum appendice repetuntur in capitularibus Karoli M. *lib. 2. cap. 287.* & nihil novi conſtituunt, dummodo ſecundum ſupra tradita de cauſis Eccleſiaſticis explicentur. Utrum autem Epiſtola ipſa Innocentii tantæ autoritatis ſit, ut aliqvæ inde peti poſſint probationes, nunc non diſputo, qvanqvam non deſint, qvæ moveri qveant, idqve malè habet Binium *in not. tom. 1. Concil.* Qvicqvid ſit, hoc tantùm principaliter in eâ deciditur, non debere in controverſiis Clericorum decidendis alterius provinciæ judicium implorari, ſed in eâdem provinciâ omnia ejuſmodi negocia â congregatis ejus provinciæ Epiſcopis expedire oportere.

XLVIII. Negari tamen neqvit, admodum variè hiſce temporibus ſeſe habuiſſe judicia Eccleſiaſtica. Idem enim Honorius Imp. qvi extremo ſeculi ſuperioris anno de religione tantùm judicare voluit Epiſcopos, anno CCCCVIII, priſtinum eis privilegium reſtituit, ut liceret deinceps cuivis forum iſtud eligere; adjunxit inſuper axioma aliud multo illuſtrius, ſententias ſcil. eorum appellationi non debere eſſe obnoxias. Conſtitutio extat *in l. 8. C. de audient. Epiſc. Epiſcopale judicium ratum ſit omnibus, qvi ſe audiri â ſacerdotibus elegerint, eamqve illorum judicationi adhibendam eſſe reverentiam jubemus; qvam veſtris deferri neceſſe eſt poteſtatibus; â qvibus non licet provocare. Per judicum qvoqve officia, ne ſit caſſa Epiſcopalis cognitio, definitioni executio tribuatur.* Scripta eſt hæc conſtitutio ad Theodorum præfectum prætorio, primùm Galliarum, tum temporis autem Italiæ. Qvalem igitur Præfecti Prætorio præ cæteris officialibus domûs Auguſtæ habuérunt prærogativam, ut ab eorum ſententiâ nulla reliqva eſſet provocatio *l. 1. §. 1. ff. de off. præf. præt.* talem etiam accepérunt ab Honorio Epiſcopi, ex paritate ſcil. rationis *in d. l. 1.* adductæ, qvia credidit Princeps, eos, qvi ob ſingularem induſtriam, exploratâ eorum fide & gravitate, ad hujus officii magnitudinem adhibentur, non aliter judicaturos eſſe pro ſapientiâ ac luce dignitatis ſuæ, qvàm ipſe foret judicaturus. Probè tamen notandum, easdem iſtas conditiones in hâc *l. 8.* attendi debere, qvas in præcedente *l. 7.* obſervari voluit idem Honorius, uti ſupra expoſui.

Pp 3 XLIX.

XLIX. Poſt qvadriennium, anno ſcil. CCCCXII, prodiit nova Honorii Conſtitutio *in l. 41. C. Theod. de Epiſc. & Cler.* qvâ Clericis valdè conſuluit, ne promiſcuè & temerè à qvibusvis accuſatoribus impeterentur. *Clericos*, inqvit, *non niſi apud Epiſcopos accuſari convenit. Igitur ſi Epiſcopus, vel presbyter, diaconus & qvicunqve inferioris loci, Chriſtianæ legis miniſter, apud Epiſcopum; (ſiqvidem alibi non oportet) à qvâlibet perſonâ fuerint accuſati, ſive ille ſublimis Vir honores, ſive ullius alterius dignitatis, qvi hoc genus laudabilis intentionis arripiet, noverit docenda probationibus, monſtranda documentis ſe debere inferre. Si qvis ergò circa hujusmodi perſonas non probanda detulerit, auctoritate hujus ſanctionis intelligat, ſe jacturæ famæ propriæ ſubjacere, ut damno pudoris, exiſtimationis diſpendio, diſcat ſibi aliena verecundiæ impune inſidiari ſaltem de cætero non licere. Nam ſicut Epiſcopos, presbyteros, diaconos, cæterosq́ue, ſi his objecta comprobari potuerint, maculatos ab Eccleſiâ venerabili æqvũ eſt removeri, ut contempti poſt hæc & miſeræ humilitatis inclinati deſpectu, injuriarum non habeant actionem, ita ſimilis videri debet juſtitia, qvod appetitæ innocentiæ moderatam deferri juſſimus ultionem. Ideoqve hujusmodi duntaxat cauſas Epiſcopi, ſub teſtificatione multorum, actis audire debebunt.*

L. Generalia admodum ſunt verba, qvæ Conſtitutioni huic alicubi inſeruntur, ut concludere inde qvis poſſet, valdè ampliatam, & ad qvascunqve ſive actiones ſive accuſationes extenſam fuiſſe jurisdictionem Epiſcoporum. Qvis enim id non putaret, ſi ἀποτόμως & qvaſi in breviculo concepta legerit verba initialia? *Clericos non niſi apud Epiſcopos accuſari convenit.* Et porrò: *Si apud Epiſcopum, ſiqvidem alibi non oportet, fuerint accuſati.* At ſi totus verborum contextus attentiùs inſpiciatur, apparebit, debere ea intelligi de crimine Eccleſiaſtico tantùm, in ſpiritualibus commiſſo, aut levi alio ad morum judicium pertinente, nec deceſſiſſe adeò Honorium à ſententiâ Anteceſſorum ſuorum, nec aliam ei mentem fuiſſe. Disertè enim agit de tali delicto, qvod verecundiæ alterius inſidiatur, cujusqve nomine removeri tantùm poſſe accuſatus; non ergò de illo, qvod ad uſum publici juris pertinet, & hucusqve à ſecularibus judicibus jure communi puniri oportuit. Idqve confirmant verba ultima, qvæ inſigniter reſtringunt, qvicqvid in antecedentibus conſtitutum fuit: Ideoqve, inqvit, hujusmodi DUNTAXAT cauſas Epiſcopi ſub teſtificatione multorum, actis audire debebunt.

LI. Hâc tamen Imperatoris benignitate non contenti Epiſcopi Afri-

Africani juriſdictionis ſuæ limites ſæpiſſimè excesſérunt, inqve eam rem decreta fecérunt admodum ſibi proficua, ſed Imperatoribus penè injurioſa. Qvia enim poteſtatem habebant lites etiam inter Laicos dirimendi, uti ſupra expoſui, incivile eis viſum fuit judicari ab illis, qvos judicare poſſent ipſi. Et hinc igitur judicia illa ſecularia, qvibus ſubjecti erant, declinare omnibus modis ſtudebant, decretâ etiam pœnâ, ſi qvis ſecus fecerit. Talem *ἀυτονομίαν* præ ſe ferre mihi videtur canon dicimus nonus Concilii Milevitani II, qvem adducit Gratianus *d. c. 11. q. 1. can. 10. Placuit ut qvicunqve ab Imperatore cognitionem publicorum judiciorum petierit, honore proprio privetur; ſi autem Epiſcopale judicium ab Imperatore poſtulaverit, nihil ei obſit.* Celebratum hoc fuit concilium anno CCCCXVI, atqve ſic qvadriennio poſt, qvàm Conſtitutio Honorii edita fuerat. Publica autem judicia ex communi hujus ætatis uſu ſecularia dicebantur, qvatenus opponuntur Eccleſiaſticis. Vid. Hieron. Bignon. *ad Marculfi form. pag. 441.* Canon ſine dubio loqvitur de Clericis judicium poſtulantibus, & qvidem in cauſâ tali, cujus cognitio pertinet ad judicem ſecularem. Ut enim in cauſâ etiam Eccleſiaſticâ, aut tali, qvæ leve aliqvod delictum concernit, Epiſcopale judicium ab Imperatore poſtuletur, neceſſe non eſt, qvandoqvidem id jam ante lege publicâ ab ipſo Imperatore ſtabilitum & confirmatum fuit. Ergo intelligendum hîc tale judicium, qvod ſpecialiter impetrari debuit, qvale eſt judicium Epiſcoporum in cauſâ criminali aut aliâ, qvæ regulariter ad cognitionem judicis ſecularis pertinet. Sic enim puto, & ex verbis canonis colligo, Imperatores qvandoqve extra ordinem cauſarum talium cognitionem judicibus Eccleſiaſticis commiſiſſe. Senſus igitur canonis hic eſt, Clericum in tali cauſâ ad judicium ſeculare tendentem, & ne declinari iſtud à reo qveat, Imperatoris confirmationem petentem, ab officio removendum eſſe; qvod ſi verò epiſcopale judicium ab Imperatore petierit, hoc ei impune eſſe. Id ſcil. qvod ordinarium fuit, ferre non poterant Epiſcopi; extraordinarium faciliùs admittebant, qvod hâc ratione ab juriſdictione ſeculari ſenſim ſe exemtos fieri poſſe putarent, qvodqve extraordinarium, ſæpè iteratum, facilè in ordinarium commutari non ignorarent, exemplo interdictorum, *§. 8. Inſt. de interdict.* Bachov. *de act. diſp. 1. n. 27.* Bern. Sutholt *de juriſdict. num. 320.*

LII. Dum ita Epiſcopi privilegiis ſuis conſervandis & augendis intenti ſunt, diem ſuum obiit Honorius, & Valentiniano III, qvi in imperio ſuccedebat, non niſi qvinqve annos

nato,

nato, Johannes primicerius Notariorum tyrannidem Imperii Occidentalis occupavit, & privilegia Eccleſiaſtica prorſus evertit. Eo verò non multo poſt occiſo, Valentinianus III, aut potius, cùm ipſe adhuc teneræ ætatis eſſet, mater ejus Placidia, anno CCCCXXV, eadem plenè reſtituit, promulgatâ eam in rem conſtitutione, qvæ extat in *l. 47. Cod. Theod. de Epiſc. Privilegia Eccleſiarum omnium, qvæ ſeculo noſtro Tyrannus inviderat, pronâ devotione revocamus. Scilicet, ut qvicqvid à Divis Principibus conſtitutum eſt, vel qvæ ſinguli qviqve Antiſtites pro cauſis Eccleſiaſticis impetrarant ſub pœnâ ſacrilegii, jugi ſolidatâ æternitate, ſerventur. Clericos etiam, qvos indiſcretim ad ſeculares judices debere deduci infauſtus Præſumptor edixerat, Epiſcopali audientiæ reſervamus. Fas enim non eſt, ut divini muneris miniſtri temporalium poteſtatum ſubdantur arbitrio.* In hâc conſtitutione nihil novi, nec amplius qvid conceſſum eſt Eccleſiæ miniſtris, ſed reſtituta ſolùm privilegia antiqva. Dicit enim Imperator, revocare ſe privilegia, qvæ tyrannus inviderat; eum indiſcretim, h. e. nullo facto diſcrimine cauſarum, Clericos ad judices ſeculares remiſiſſe; reſervare ſe proinde eos Epiſcopali audientiæ, in qvâ antehac cauſæ eorum ventilatæ fuerunt. Jacobus Gothofredus *ad h. l.* titubat, & ex generali ratione, qvæ in fine conſtitutionis ſubnectitur eò inclinat, ut putet, generalem fuiſſe mentem Valentiniani, & Epiſcopali audientiæ omnes Clericorum cauſas attribuere voluiſſe. Me verò id non movet. Opponit enim divini muneris miniſtros temporalibus poteſtatibus, illosqve his ſubjici non debere contendit, qvatenus ſcil. ſunt divini muneris miniſtri, & qvatenus in miniſterio ſuo delinqvunt. Hæc enim eccleſiaſtica ἐγκλήματα, & ſi qva alia ad judicium morum pertinent, audientiæ epiſcopali jam diu fuerunt reſervata. Nec infreqvens eſt, rationem generalem diſpoſitioni alicui ſubnectere, qvæ ex ipſâ diſpoſitione deinceps explicari & reſtringi debet.

LIII. Iſtâ Valentiniani ætate habitum fuit Concilium Calchedonenſe anno CCCCLI, cujus canonem nonum huc facientem jam ſupra ſub initium hujus diſſertationis recenſuimus, ubi ſimul notavimus, verba iſtius canonis non obſcurè innuere, Epiſcopo conſentiente licere actori clerico clericum reum in judicio ſeculari convenire. Qvod etſi neget Theodorus Balſamon *in commentar.* firma tamen & fixa penes me manet ea ſententia, qvæ robur etiam accipit ex eo, qvod dicitur: *ἀλλὰ πρότερον τὴν ὑπόθεσιν γυμναζέτω παρὰ τῷ ἰδίῳ Ἐπισκόπῳ. prius cauſam agat apud proprium Epiſcopum.* Illud enim, πρότερον ordinem

&

& gradûs judiciorum denotat, ut ſi prius cauſa in Epiſcopi foro judicata fuerit, per modum appellationis deinceps devolvatur ad judicium ſeculare. Senſus igitur hîc eſt, non eſſe Clerico in actione, qvam habet adverſus Clericum, excurrendum ad judicia ſecularia, niſi priùs apud proprium Epiſcopum cauſa agitata fuerit. Eâ verò illic cognitâ provocari optimè poſſe ad judices ſeculares. Et hunc modum procedendi jam antea fuiſſe in uſu, ex Valentiniani Senioris conſtitutione ſupra adductâ patet, eumqve ſuis temporibus renovavit Juſtinianus Imp. *novell. 83. & 123. cap. 21.*

LIV. Vix diſceſſerant ex Concilio iſto Patres, cùm conſtitutionem novam ederet Valentinianus III, qvâ privilegium fori Epiſcopalis valdè imminutum, & penè omnis cognitio, olim conceſſa, ademta fuit. Extat illa inter novellas Valentiniani *ſub tit. 12. de Epiſcopali judicio.* Verba ipſa, qvia interpretationem continent Legum ab Honorio latarum, qvas ſupra adduxi, digna ſunt, qvæ hîc legantur. *De Epiſcopali judicio diverſorum ſæpè cauſatio eſt. Ne ulterius qverela procedat, neceſſe eſt præſenti lege ſanciri. Itaq; cùm inter Clericos jurgium vertitur, & ipſis litigatoribus convenit, habeat Epiſcopus licentiam judicandi, præeunte tamen vinculo compromiſſi. Qvod & de Laicis, ſi conſentiant, auctoritas noſtra permittit. Aliter eos judices eſſe non patimur, niſi voluntas jurgantium interpoſita, ſicut dictum eſt, conditione præcedat. Qvoniam conſtat, Epiſcopos & presbyteros forum legibus non habere, nec de aliis cauſis, ſecundum Arcadii & Honorii divalia conſtituta, qvæ Theodoſianum Corpus oſtendit, præter religionem poſſe cognoſcere. Si ambo ejusdem officii litigatores nolint, vel alteruter, agant publicis legibus & jure communi. Sin verò petitor Laicus ſeu in civili, ſeu in criminali cauſa cujuslibet loci Clericum adverſarium ſuum, ſi id magis eligat, per auctoritatem legitimam in publico judicio reſpondere compellat. Qvam formam etiam circa Epiſcoporum perſonam obſervari oportere cenſemus. Ut ſi in hujuſcemodi ordinis hominis actionem pervaſionis & atrocium injuriarum dirigi neceſſe fuerit, per procuratorem ſolenniter ordinatum apud judicem publicum inter leges & jura confligant: judicati exitu ad mandatores ſine dubio reverſuro. Qvod his religionis & ſacerdotii veneratione permittimus. Nam notum eſt, procurationem in criminalibus negociis non poſſe concedi. Sed ut ſit ulla diſcretio meritorum, Epiſcopis & presbyteris tantùm id oportet impendi. In reliqvis negociis criminalibus juxta legum ordinem per ſe judicium ſubire coguntur. Si ab executore conventi parere detrectent, ſervato juris ordine ſententia teneat contumaces. In clerico*

rico petitore conſeqvens erit, ut ſecundum leges pulſati forum ſeqvatur, ſi, ut dictum eſt, adverſarius ſuus ad Epiſcopi vel presbyteri audientiam non præſtat adſenſum. Pœna defenſoribus negocii, qvi in eodem extraordinario judicio adfuerint atqve egerint, hujusmodi conſtituta, ut cauſidicum officii amiſſio, JCtum exiſtimationis & interdictæ civitatis damna percellant, &c.

LV. Cardinalis Baronius, cùm *in annalib. ad ann. CCCCLII, num. 52.* hujus conſtitutionis mentionem feciſſet, bilem effundit in Legislatorem, eumqve acriter perſtringit. Ait, indignam planè Chriſtiano Principe eum edidiſſe ſanctionem, turpiterqve eam Romæ promulgaſſe: illi poſt latum impium hoc edictum nulla ceſſiſſe proſpera, ſed adverſa, cunctaqve in deterius eſſe prolapſa, atqve penitùs labefactata, ipſumqve demum miſerando interitu periiſſe. At verò deliqviſſe Valentinianum in eo, qvod privilegia Epiſcopis ab Anteceſſoribus ſuis conceſſa revocaverit, qvodqve jurisdictionem, qvam illi non niſi ex benignitate & indulgentiâ Imperatorum habere potuérunt, limitaverit, maximamqve ejus partem ademerit, nemo mihi perſvadebit. Ex adverſitatibus, qvæ inſecutæ fuérunt, fingi neqvit delictum; neqve credam Baronio, ideò Attilam in Italiam irruptionem fuiſſe, qvia Valentinianus judicia Eccleſiaſtica, foriqve exceptionē Clericis olim conceſſam reſtrinxerit. Ita ſcil. ſolemus in iis, qvæ gravia nobis videntur, fortuita ad culpam trahere, cauſamqve rerum adverſarum ex injuriis nobis factis arceſſere, & in vindictam interpretari omnia, qvæ eveniunt, infauſta.

LVI. Reſtitérunt nihilominus Epiſcopi in Conciliis congregati. Anno enim vertente in Synodo Andegavenſi *c. 1.* conſtitutum legitur: *Ut contra Epiſcopale judicium Clericis non liceat reſilire, neqve inconſultis ſacerdotibus ſecularium judicia expetere.* Et in Concilio Venetico *c. 9. Clerico, niſi ex permiſſu Epiſcopi ſui ſervorum ſuorum ſecularia judicia adire non liceat. Sed ſi fortaſſe Epiſcopi ſui judicium cœperit habere ſuſpectum, aut ipſi de proprietate aliqvâ adverſus ipſum Epiſcopum fuerit nata contentio, aliorum Epiſcoporum audientiam, non ſecularium poteſtatum debebit ambire. Aliter, à communione habeatur alienus.* Senſim enim iſta jam invaleſcebat opinio, competere jurisdictionem Epiſcopis jure ſuo; ipſos autem & omnes clericos ſecularibus judiciis eſſe exemptos, nec poſſe adeò Imperatorem qvicqvam conſtituere, qvod exemtioni huic ſuæ adverſum eſſet. Cùm igitur cogerentur aliqvando Clerici promulgatis in eam rem conſtitutionibus, ſecularia judicia adire, reqvirere nihilominus ſolebant conſenſum Epiſcopi,

ſcopi, (qvi tamen impedire id non poterat,) ſaltem ne id fieret in detrimentum aut perniciem jurisdictionis, qvam ſibi fingebant, Eccleſiaſticæ, & ut ſuo potiùs Epiſcopo, qvam legi Imperatoriæ paruiſſe dicerentur. Nec dubito, obſervatum ita fuiſſe per reliqvas ſeculi qvinti ætates, etſi ex illis pauciora ſuperſint monumenta.

LVII. Suas res nihilominus egérunt Imperatores, & uſurpationibus Clericorum fibulam identidem injecérunt. Extat in Codice Juſtinianéo Conſtitutio Leonis in *l.33. de Epiſc. & Cler.* qvâ exemtos eos jurisdictione ſeculari neqvaqvam voluit, ſed privilegium tantùm de non evocando conceſſit. *Omnes*, inqvit, *qvi ubiqve ſunt, vel poſthac fuerint orthodoxæ fidei Sacerdotes & Clerici cujuscunqve gradûs ſint, monachi qvoqve in cauſis civilibus ex nullius penitus majoris minorisve ſententiâ judicis commonitoria ad extranea judicia pertrahantur: aut provinciam aut locum aut regionem, qvam habitant, exire cogantur. nullus eorum Eccleſias vel monaſteria propria, qvæ religionis intuitu habitant, relinqvere miſerabili neceſſitate jubeatur, ſed apud ſuos judices ordinarios, id eſt, provinciarum Rectores, in qvibus locis degunt, Eccleſiarum miniſteriis obſecundent, omniumqve contra ſe agentium excipiant actiones, ut his horis ſaltem atqve temporibus, qvibus religioſos Viros â turbulentâ obſervatione prætorii vocare contigerit, cumq; eos ad tempus petitorum intentio calumnioſa laxaverit, ad ſua ſe monaſteria & venerabiles Eccleſias conferentes, ſapienti animo, precatione ſollicitâ, faciliusqve de proximo ſacroſanctis altaribus obſecundent, in ſuis laribus domiciliisq; conſtituti, &c.* Seqvuntur alia de perſonis Eccleſiaſticis, qvæ obſervari debeant in judiciis. Conſtitutio ipſa edita eſt circa annum CCCCLXX.

LVIII. Speciale eſt, qvod de Clericis Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ ſubjectis anno CCCCLVI conſtituit Marcianus Imperator, ut aut apud Archiepiſcopum ejús Urbis, aut apud Præfectum prætorio pro lubitu actoris conveniri poſſent. Idqve tamen ipſum argumento eſt, non abſurdum tùm viſum fuiſſe, jubente ita Imperatore conveniri poſſe Clericum in judicio ſeculari. Conſtitutio habetur *in l. 25. C. de Epiſc. & cler. Cum Clericis in judicium vocatis pateat Epiſcopalis audientia, volentibus tamen actoribus; ſi actor diſceptationem ſanctiſſimi Archiepiſcopi noluerit experiri, eminentiſſima tuæ ſedis examen contra catholicos ſub Viro reverendiſſimo Archiepiſcopo hujus Urbis Clericos conſtitutos, vel contra reverendiſſimum Oeconomum tàm de ſuis, qvàm de Eccleſiaſticis negociis ſibimet noverit expetendum, qvi in nullo alio foro, vel apud qvenqvam alterum judicem eosdem clericos litibus irretire & civilibus vel criminalibus negociis tentet innectere, &c.* Concordat, & con-

glutinanda eſt conſtitutioni huic altera illa, qvæ extat *in l.13. C. de epiſcop. aud.* & ab eodem Imperatore, ad eundem præfectum prætorio, atqve in eâdem cauſâ conſcripta eſt. Utramqve confirmavit ex parte, ex parte mutavit ſeculo ſeptimo Heraclius Imperator, *conſtitutione novella,* qvæ extat in jure Græco Romano *lib. 2. p. 73.*

LIX. Qvæ ſeculo ſexto habita fuerunt Concilia, Clericos in judicio ſeculari cauſas ſuas perorare non prohibent, dum tamen id fiat cum conſenſu ſui Epiſcopi. Sic enim decretum in Synodo Agathenſi *c. 32.* anno DVI, recenſente Gratiano *c. clericum 11. q. 1. Clericum nullus præſumat,* (in editionibus Conciliorum legitur: *Clericus nec qvenqvam præſumat) apud ſecularem judicem epiſcopo non permittente pulſare: Sed ſi pulſatus fuerit, non reſpondeat vel proponat: nec audeat criminale negocium in ſeculari judicio proponere.* Et in concilio Epaunenſi *can. 11. Clerici ſine ordinatione Epiſcopi ſui, adire vel interpellare publicum judicium non præſumant; ſed & ſi pulſati fuerint, ſeqvi ad ſeculare judicium non præſumant.* Et in Aurelianenſi III, anno DXL, *can. 31. Clericus cujuslibet gradûs ſine Pontificis ſui permiſſu nullum ad ſeculare judicium præſumat attrahere. Neq; Laico, inconſulto Sacerdote, Clericum in ſeculare judicium liceat exhibere.* Verba hæc, ut ſupra docui, Gratianus ſumſiſſe ſe profitetur ex epiſtolâ Marcellini, ſed confictâ & commentitiâ. Idcirco rectiùs Aurelianenſi huic Concilio vindicantur, nec tamen aliud probant, niſi qvod Clericus ſine conſenſu Epiſcopi ſui forum ſeculare adire non debeat, ne tàm autoritate juris civilis cōmunis, qvàm Epiſcopi ſui id feciſſe videatur.

LX. Jam igitur ad Juſtiniani Imp. tempora devenimus, qvi enucleatè admodum, & diſtinctè tradidit, qvousq; pertingere debeat Epiſcopalis jurisdictio, & qvæ judicum ſecularium circa perſonas Eccleſiaſticas ſint partes. Celebres in hanc rem maximè ſunt duæ ejus novellæ, octogeſima tertia ſcil. & centeſima vigeſima tertia *c. 21.* qvarum illa an. DXXXIX, hæc vero anno DXLI, edita eſt. Prioris verba hæc ſunt: *Plurimas ſacras ſcribentes leges & de DEO amabilibus Epiſcopis, & reliqvo omni ſacerdotio, nec non de reverendisſimis monachis, & nuper hoc agentes, in qvibus volumus reverendisſimos monachos, apud ſolos civitatis epiſcopos, ſub qvibus ſunt monaſteria, conventiones ſuſcipere* (intelligit novellâ 79. eodem an. DXXXIX â ſe promulgatam,) *petiti ſumus â Menna, Deo amabili Archiepiſcopo hujus felicisſimæ civitatis & univerſali Patriarchâ* (notetur hîc, agnoviſſe Mennam, fontem omnis jurisdictionis, etiam Eccleſiaſticæ, eſſe penes Imperatorem, nec poſſe ſe propriâ autoritate qvicqvã eâ de re ſtatuere) *reverendisſimis Clericis hoc dare privilegium,* (ergò ex priviligio Imperatoris

toris Epiſcopi ſuam habent juriſdictionem, non jure ſuo, non per αὐτονομίαν, nec per exemtionem aliam, qvàm qvæ ab ipſo Imperat. conceſſa eſt,) *ut ſi qvis habet adverſus eos qvamlibet pecuniariam cauſam, prius ad Deo amabilem Archiepiſcopum pergat, ſub qvo conſtitutus eſt, & interpellet eum, & ex non ſcripto judicium mereatur,* (h. e. ſine ſcripturâ ſolenni, ut neq; ex libello in jus vocandi ſint, neqve ex libello dicenda ſententia uti exponit Cujacius) *& ſi hoc fiat: nec inqvietet eum, nec trahat ad auditoria civilia, neq; à ſacro eum vacare faciat miniſterio, ſed ex non ſcripto examinetur negocium ſine damnis, & accipiat formam forſan etiam ſcriptam, ſi hoc qvoqve partes voluerint & popoſcerint & liberentur alterutro certamine* (h. e. alterutro electo, ut vel ſcriptis vel ſine ſcriptis procedatur, alterum ceſſare oportet.)

LXI. *Si verò* (pergit Juſtinianus) *aut propter cauſæ naturam* (e. g. ſi cauſa ſit feudalis; aut ſi actio realis inſtituta ſit) *aut propter qvandam fortè difficultatem non fuerit poſſibile Deo amabili Epiſcopo decidere negotium; tunc licentiam eſſe & ad civiles judices pergere, & privilegiis omnibus cuſtoditis, qvæ reverendiſſimis Clericis ſacræ præſtant Conſtitutiones & litigare & examinationem fieri, & terminum imponi liti, & ita liberam fieri cauſam, clariſſimis judicibus ſecundum noſtras conſtitutiones vel leges ſtudentibus cum magnanimitate & velociter lites decidere, ut non propterea hujuſmodi cauſas ſacris amoveantur obſeqviis, & cum oporteat DEUM placari & decentia ſacerdotibus agi, auditoriis detineantur, & illis turbis atqve inhærente tumultu litigantium animabus.* (turbulentam obſervationem prætorii dixit Leo Imp. *in l. 33. C. de Epiſc. & Cler. ſupra adductâ.*)

LXII. *Si tamen de criminibus conveniantur, ſi qvidem civilibus* (qvæ aliàs dicuntur communia & legibus publicis vindicantur, ut eſt adulterium, homicidium, &c.) *hîc qvidem competentes judices, in provinciis autem earum præſides ſive judices non tranſcendente lite menſium duorum ſpacium, ex qvo litis conteſtatio fit, qvatenus brevis imponatur cauſæ terminus.* (Relinqvit ergò Juſtinianus, qvod ad hæc uſqve tempora obtinuit, ut propter ejuſmodi crimina Clerici idem cum Laicis ſortiantur forum, neqve aliqvam privilegii exceptionem obtendere valeant.) *Illud palam eſt, ſi reum eſſe putaverit eum, qvi convenitur, provinciæ præſes & pœnâ judicaverit dignum, prius hunc ſpoliari à DEO amabili Epiſcopo ſacerdotali dignitate, & ita ſub legum fieri manu.* (Degradationem intelligit, qvæ omnem dignitatem, ordinem ac privilegium tollit. Et hanc Canoniſtæ ſeqviorum temporum tùm demùm habere locum volunt, qvando à capitali ſupplicio eſt periculum, qvod tamen, ne infligatur, qvam maximè cupiunt. Et hanc de-

gradationem tot circumſtantiis reqviſitis involvunt, ut rariſſimè ad eam perveniatur.)

LXIII. Pergit adhuc Juſtinianus: *Si verò Eccleſiaſticum ſit delictum, egens caſtigatione Eccleſiaſticâ & multâ, DEO amabilis Epiſcopus hoc diſcernat, nihil communicantibus clariſſimis provinciæ judicibus. Neq; enim volumus talia negocia omninò ſcire civiles judices*, (digna Imperatore ſententia, qvi ea, qvæ miniſterium Eccleſiaſticum dedecent, ad tribunalia deferri noluit, ut ne labaſceret, qvæ illi debetur, reverentia) *cùm oporteat talia eccleſiaſticè examinari, & emendari animas delinqventium per eccleſiaſticam multam, ſecundum ſacras & divinas regulas, qvas etiam noſtræ ſeqvi non dedignantur leges.* (Non dedignantur, inqvit, οὐκ ἀπαξιοῦσι, non qvòd neceſſe ſit ſemper ſeqvi, ſed qvod non reſpuant eas, nec detrectent aut recuſent ſeqvi, in iis præſertim, qvæ Rempublicam ejusqve axiomata non attingunt. Intelligit autem potiſſimùm canones conciliorum, cùm & Canonicum jus aliqvando dicatur divinum. Aug. Barboſa *in c. nimis 30. X. de jurejur. n. 2.*) *Si verò qvædam priùs conteſtatæ ſunt leges, hæ maneant in ipſo ſchemate, velocem accipientes finem: omnibus qvæ jam à nobis ſancita ſunt, ſive ſuper ſanctiſſimis Eccleſiis, ſive ſuper DEO amabilibus Epiſcopis, ſive ſuper Clericis, ſive ſuper monachis, propriam virtutem habentibus.*

LXIV. Videntur tempore Juſtiniani confuſa alicubi fuiſſe judicia, qvæ tamen ipſe diſtincta qvam maximè voluit. Nec verò tùm demum nata fuit diſtinctio inter delicta Eccleſiaſtica & communia, ſed receptam eam jam diu probavi ſupra, qvanqvam eam ſeqvioribus temporibus inviti audirent Epiſcopi, niſi cùm jurisdictioni ſuæ exercendæ utilis eſſet. In Concilio Chalcedonenſi *act. 3.* cùm Dioſcorus Patriarcha Alexandrinus ab Euſebio Dorylæorum Epiſcopo accuſatus, & ut ad libellum reſponderet, à Synodo evocatus, perpetuò exciperet, nolle ſe comparere, niſi præſtò eſſent cognitioni, qvi locum Principis in Concilio obtinebant, Cecropius Epiſcopus Sebaſtopolitanus, unus ex tribus delegatis, qvi Dioſcorum in Synodum vocabant, reſpondit: *Qvando qvædam regularia examinantur* (κανονικῶν γὰρ ἐξεταζομένων) *neqve judices neq; alios aliqvos Laicos intereſſe oportet, niſi tantummodo tuam ſanctitatem, qvæ in propriâ accuſatur perſonâ. Non eſt igitur opus iſtâ tarditate aut dilatione, ſiqvidem volueris & DEO & canonibus obedire, & non per dilationes confirmare ea, qvæ ab accuſatore dicuntur.*

LXV. Videamus nunc etiam novellam Juſtiniani alteram, centeſimam ſcil. vigeſimam tertiam, cujus cap. 21. ita ſe habet: *Si qvis contra aliqvem Clericum, aut monachum, aut diaconiſſam, aut monaſtriam, aut aſce-*

aſcetriam habeat aliqvam actionem, adeat prius ſanctiſſimum Epiſcopum, cui horum unuſqviſq; ſubjaceat; ille verò cauſam inter eos judicet: & ſi qvidem utraq; pars iis qvæ judicata ſunt, acqvieverit, jubemus per loci judicem hoc executioni perfectæ contradi. (Hâc ergò conſtitutione etiam de pecuniariis clericorum cauſis litigare licuit in foro Epiſcopali, qvod anteriorum Imperatorum leges prohibebant. Seqvitur nunc de appellationibus à tali ſententiâ.) *Si qvis autem litigantium intra decem dies contradicat iis, qvæ judicata ſunt, tunc locorum judex cauſam examinet,* (Licuit igitur à foro Eccleſiaſtico ad judicium ſeculare provocare, qvod abſurdum hodiè putant nonnulli.) *& ſi invenerit judicium rectè factum, etiam per ſententiam propriam hoc confirmet, & executioni propriæ tradat, qvæ judicata ſunt, & non liceat ſecundò in tali causâ victo appellare.* (Videtur hoc integritati judicii Eccleſiaſtici conceſſum eſſe, cùm regulariter ſecunda appellatio licita, & tertia demum prohibita ſit, *l. un. C. ne lic. in unâ eâd. cauſ. tertiò prov.*) *Si verò judicis ſententia contraria fuerit iis, qvæ à DEO amabili Epiſcopo judicata ſunt: tunc locum habere appellationem contra ſententiam judicis, & hanc ſecundum legum ordinem referri & exerceri. Si tamen ex imperiali juſſione aut judiciali præcepto* (potuit ergo judex ſecularis cauſam delegare Epiſcopo) *Epiſcopus judicat inter qvaſcunq; perſonas, appellatio ad imperium, aut ad eum qvi transmiſit negocium referatur.* (Uſum & praxin hujus periodi diſcere licet ex epiſtolis Gregorii Magni, qvi *lib. 2. epiſt. 7.* refert, Mauritium Imp. cauſam Adriani Epiſcopi Thebani à diaconis ſuis accuſati mandaſſe Epiſcopo Lariſſæ Johanni, & ab hujus ſententiâ Adrianum ad Imperatorem adpellaſſe.)

LXVI. *Si verò crimen fuerit,* (ita pergit Juſtinianus) *qvod adverſus qvamlibet memoratarum reverendiſſimarum perſonarum inferatur, ſi qvidem apud Epiſcopum aliqvis accuſatur, & ipſe veritatem invenire potuerit, ab honore & gradu hunc ſecundum Eccleſiaſticas regulas dejiciat, & tunc competens judex hunc comprehendat, & ſecundum leges litem examinans cauſæ finem imponat.* (Hâc ergò conſtitutione etiam Epiſcopis de crimine Clericorum communi cognitionem concedit Juſtinianus, non ut puniant, ſed ut, ſi talis repertus fuerit, puniendum tradant judici ſeculari, & eum priùs dignitate Clericali exuant) *Si verò priùs civilem judicem adeat accuſator, & crimen per legitimam examinationem potuerit approbare, tunc Epiſcopo locorum geſta monumentorum palam faciat: & ſi ex his agnoſcatur propoſita crimina commiſiſſe eum, tunc Epiſcopus hunc ſecundum regulas ab honore ſive gradu, qvem habet, ſeparet; judex autem ultionem ei inferat legibus congruentem.*

tem. Si verò Epiſcopus putaverit geſta non juſtè confecta: tunc liceat ei differre & nudare honore ſeu gradu accuſatam perſonam: ita tamen, ut hujuſmodi perſona ſub legitimâ cautelâ fiat, & ita ad nos negocium tàm ab Epiſcopo qvam à judice referatur, ut nos hoc cognoſcentes, qvæ nobis videntur, jubeamus. (Reſervavit igitur ſibi Imperator ſupremam & ultimam cognitionem, ſi qvidem parum inter ſe convenerint Epiſcopus & judex ſecularis.)

LXVII. *Si qvis autem* (ſunt adhuc verba Juſtiniani) *pro pecuniariâ causâ contra aliqvam omnium memoratarum perſonarum habuerit actionem aliqvam, & Epiſcopus diſtulerit inter eas judicare, licentiam habeat actor civilem judicem adire: ita tamen, ut accuſata perſona nullo modo cogatur fidejuſſorem dare, ſed ſolam cautionem ſine jurejurando cum hypothecâ ſuarum rerum exponere. Si verò pro criminali causâ accuſatio cōtra aliqvam memoratarū perſonarum proponatur, ſub legitimâ cautelâ accuſata fiat perſona. Si autem Eccleſiaſtica cauſa eſt, nullam communionem habeant judices civiles circa talem examinationem, ſed ſanctiſſimus Epiſcopus ſecundum ſacras regulas cauſæ finem imponat.* (Ita ſcil. recurrit Juſtinianus ad diſtinctionem, qvæ jam diu obſervata fuerat, inter cauſas Eccleſiaſticas & pecuniarias, ne ex eo, qvod delictorum communium cognitionem utriſq; commiſerit tùm Epiſcopis, tùm judicibus ſecularibus inferret qvis, etiam Eccleſiaſticorum criminum cognitionem utriſqve communem eſſe debere; cùm utiqve crimina ejuſmodi ſub cauſis Eccleſiaſticis comprehendantur, qvarum cognitio foro Eccleſiaſtico meritò reſervatur.)

LXVIII. Hæc fuit Juſtiniani Imp. *νομοθεσία*, qvam, etſi ex poteſtatis defectu impugnent nonnulli, alii excuſent qvodammodo, uti videre licet apud Card. Baron. *ad ann. DXXVIII. n. ſeqq.* jure tamen optimo conſiſtere fatebuntur omnes, qvi de majeſtate rectè ſentiunt. Qvis enim dubitet, competere curam circa ſacra Principi cuiq; ſummo ex vi ipſâ majeſtatis, qvâ pollet, & qvâ princeps eſt, & qvidem jure gentium, abſtractâ qvalitate religionis ſeu cultûs? ita ut in qvocunq; cultu, qvem ipſe pro divino habuerit, poteſtatem hanc ſuam exercere poſſit. Qvia enim Reip. adminiſtratio eo fine illi à divino Numine concredita eſt, ut civium tranqvillitatem procuret; ex illo capite etiam de religione conſtituendâ & diſciplinâ Eccleſiaſticâ firmandâ ſollicitus eſſe debet, cùm cives in officio ſuo erga ſe, & erga Principem religionis cultu, veluti vinculo qvodam adſtringantur. Nec tamen propterea involare eum dicemus in poteſtatem ſacerdotalem, qvæ in executione muneris Eccleſiaſtici conſiſtit. Imperialis eſt Principis poteſtas, non Pontificalis aut Sacer-

Sacerdotalis: coactiva eſt, non directiva aut definitiva in cauſis fidei: mandatoria eſt non executoria. Externa eſt & temporalis, non ſpiritualis & interna. Sed hæc mittimus, viſuri deinceps, qvid poſt Juſtiniani tempora Epiſcopi in congregationibus ſuis decreverint.

LXIX. Anno DLXXXII habitum fuit Concilium Matiſconenſe, cujus duo canones, ſeptimus & octavus ad noſtrum inſtitutum faciunt. Prior ita ſe habet: *Ut nullus Clericus de qvâlibet cauſâ extra diſcuſſionem Epiſcopi ſui à ſeculari judice injuriam patiatur aut cuſtodiæ deputetur. Qvod ſi qvicunqve judex cujuſcunqve clericum abſqve cauſâ criminali, id eſt, homicidio, furto, aut maleficio, hoc facere fortaſſe præſumpſerit, qvamdiu Epiſcopo loci illius viſum fuerit, ab Eccleſiæ liminibus arceatur.* Excipitur hic homicidium itemqve furtum & maleficium, nec dubito, etiam alia delicta atrociora, qvæ communia dicuntur, excipi debere, ut adeò illorum cognitio ad forum ſeculare pertineat, uti aliqvoties ab Imperatoribus conſtitutum fuit. Illud verò præſumtionem Epiſcoporum arguit ſatis violentam, qvod judices extra caſus exceptos adverſus clericum procedentes excommunicatione feriant, & ab Eccleſiæ liminibus arceant. Qvæ comminationi fallor nullo antehac canone expreſſa legitur. Qvod enim in concilio Agathenſi *can. 8.* ſtatutum fuit, uti id repetit Gratianus *c. placuit 21. 45.* id intelligendum de caſu, qvando clericus propter delictum Eccleſiaſticum ab Epiſcopo condemnatus judicis ſecularis tutamen implorat. Concilium autem Aurelianenſe IV *in can. 20.* qvod idem planè cum Matiſconenſi decretum edidit, nullam talem adjunxit comminationem. Ita nempe evenit, ut poſterioribus temporibus audentiores facti Epiſcopi, plus ſibi qvotidiè ſumſerint, ſuamqve poteſtatem auxerint.

LXX. Canon ejuſdem Concilii octavus hic eſt: *Ut nullus Clericus ad judicem ſecularem, qvemcunq; alium fratrem de Clericis accuſare, aut ad cauſam dicendam trahere, qvocunqve loco præſumat, ſed omne negocium Clericorum aut in Epiſcopi ſui, aut in preſbyteri, aut archidiaconi præſentiâ finiatur. Qvod ſi qvicunq; Clericus hoc implere diſtulerit, ſi junior fuerit, uno minus de qvadraginta ictus accipiat, ſi certè honoratior, 30 dierum incluſione mulctetur.* Generaliter admodum conceptum eſt hoc decretum de omni negocio Clericorum, atqve idcircò niſi de negocio civili iſtud interpreteris, minus conceſſum videtur Clerico accuſanti, qvam judici cognoſcenti. Nempe ſecundum tenorem canonis antecedentis poteſt judex ſecularis crimen à Clerico perpetratum punire; de eo autem accuſare eundem non poteſt

Clericus alius in eodem judicio, qvanqvam denunciare id poſſit Epiſcopo. Qvicqvid hujus ſit, novum planè videtur genus pœnæ, qvod additum eſt, plagarum ſcil. undeqvadragenarum, qvod qvidem ad exemplum Pauli *1. Cor. XI. 24.* & ad ritum atqve conſvetudinem Veteris teſtamenti, *Deut. XXV, 3.* inſtitutum videtur. Coërcitos autem qvandoq; verberibus fuiſſe Clericos, docent verba Ivonis Carnotenſis, qvibus *in epiſt. 29.* alloqvitur Rogerium preſbyterum: *Qvoniam ſub diſciplinâ & timore Domini à pueritiâ tuâ nutritus es & eruditus, & in exceſſibus regularis vitæ tam verborum, qvàm verberum ſeveritate correctus, &c.*

LXXI. Hæc ita in Galliâ conſtituta erant. Non multo poſt etiam in Hiſpaniâ coërciti fuérunt Clerici, ne ad forum ſeculare cauſas ſuas amplius deferrent. In Concilio enim Toletano III, *c. 13.* hoc factum fuit decretum: *Diuturna indiſciplinatio & licentia inolita præſumtio uſqve eo in illicitis auſibus aditum patefecit, ut Clerici Conclericos ſuo neglecto Pontifice, ad judicia publica pertrahant. Proinde ſtatuimus hoc de cætero non præſumi. Sed ſi qvis hoc facere præſumſerit & cauſam perdat, & à communione efficiatur extraneus.* Legitur apud Gratianum *c. inolita 11. q. 1.* Sed per errorem, ut canon Concilii Milevitani. Ex eo autem diſcimus, diu viguiſſe Conſtitutiones Imperatorias, & ſecundum illas iu foro ſeculari de cauſis Clericorum diſceptatum fuiſſe. Id verò diſſimulare Epiſcopos in Concilio congregatos, & qvod ex Conſtitutionibus licuit, imò oportuit, id diuturnæ indiſciplinationi & licentiæ inolitæ adſcribere. Cæterùm ex pleriſqve his decretis liqvidò patet, ſub generali verborum apparatu & uſu deinceps ſubſecuto ſenſim derogatum fuiſſe conſtitutionibus Imperatorum, & exemtionem Clericorum ex aliis planè fontibus derivatam fuiſſe.

LXXII. Modeſtior tamen circa idem tempus fuit Pelagius II Pontifex, qvi in epiſtolâ ad Sergium Cancellarium, cujus fragmentum extat apud Gratianum *c. ſi qviſqvam 11. q. 1.* de foro Clericorum privilegiato ita ſermonem facit, ut Imperialibus ſanctionibus aliqvam tribuat autoritatem. *Si qviſqvam*, inqvit, *Clericus ſive inferioris, ſive potioris gradûs petitor exiſtat, & contra Laicam perſonam ſuas dirigat actiones: iſte modis omnibus non alibi qvàm apud provinciâ judicem negocium ſuum dicturus occurrat. Si qvis autem Laicus Clericum cujuſcunq; gradûs duxerit eſſe pulſandum, ad Epiſcoporum judicium in eâdem civitate vel territorio conſtitutorum proponat eas, qvas ſe habere exiſtimat, actiones, qvem ordinem legibus per omnia convenientem atq; conſentaneum demonſtrari illa regula manifeſtat, qvæ præcipit actorem rei forum

rum ſemper ſeqvi pulſati. Clericis verò pulſatis in Epiſcopali judicio forum competere, principalium qvoqve ſanctionum deſignat auctoritas. Non videtur ſanctionum harum mentionem feciſſe Pelagius, niſi ad Cancellarium, qvem per eas obtundere oportuit, ſcribendum fuiſſet.

LXXIII. Defenſori tamen Siciliæ haud paulo acerbiùs reſcripſit Succeſſor Pelagii Gregorius Magnus: *Pervenit ad nos, qvod ſi qvis contra qvoslibet Clericos cauſam habeat, deſpectis eorum Epiſcopis, eoſdem Clericos tuo facias judicio exhiberi: qvod ſi ita eſt, valdè conſtat eſſe incongruum: ſed hâc tibi auctoritate præcipimus, ut denuò hoc facere non præſumas: ſed ſi qvis contra qvemlibet Clericum cauſam habuerit, Epiſcopum ipſius adeat, ut aut ipſe cognoſcat, aut certè ab ipſo judices deputentur, aut ſi fortè ad arbitros eundum eſt, partes ad eligendos judices ab ipſo executio deputata compellat. Si qvis verò Laicus vel Clericus contra Epiſcopum cauſam habuerit, tunc te interponere debes, ut inter eos aut ipſe cognoſcas, aut certè te admonente ſibi judices eligant. Nam ſi ſua unicuiqve Epiſcopo juriſdictio non ſervatur, qvid aliud agitur, niſi ut per nos, per qvos Eccleſiaſticus cuſtodiri ille ordo debuit, confundatur.* Refertur à Gratiano *c. pervenit 11. q. 1.* Sed animadvertendum, Defenſorem iſtum Siciliæ non fuiſſe Magiſtratum civilem, qvanqvam & ab Imperatoribus defenſores provinciarum qvandoqve conſtitueretur; ſed fuiſſe clericum à Pontifice Romano ordinatum, ut pauperum defenſioni inſerviret, patrimonia Eccleſiæ curaret, & alia negocia à Pontifice ſubinde commiſſa expediret, tùm &, qvod fragmentum allegatum docet, ut de lite, qvæ adverſus Epiſcopum movetur, cognoſceret. In hoc autem reprehendit Defenſorem iſtum, qvod Clericos reos non pateretur apud Epiſcopum ſuum primam inſtantiam habere, ſed illicò ad ſuum tribunal traheret. De iſtiuſmodi defenſoribus à Pontifice conſtitutis vid. Martinus Magerus à Schönberg *de advocat. arm. cap. 2. num. 131. ſeqq.*

LXXIV. Expedivimus ita per integra ſex ſecula hiſtoriam juriſdictionis Eccleſiaſticæ, qvaliter ea per indulgentiam Imperatorum ampliata aut reſtricta, & in Conciliis ſubinde repetita fuerit. Ut longiùs & ad proximiora noſtris tempora excurramus, nulla ratio ſvadet. Fatemur enim, qvod de Imperatoris Phocæ ætate notat Cedrenus *in Compend. hiſt.* omnis generis mala deinceps in humanum genus qvaſi exundaſſe. Nec dubito, plurimam eorum cauſam inde extitiſſe, qvod Imperator rogante Papâ Bonifacio Romanæ Eccleſiæ ſedem caput omnium Eccleſiarum ſtatuerit, uti narrant Be-

da, Paulus Diaconus, Anaſtaſius Bibliothecarius, Ado, Aimoinus, & alii. Ex hâc enim prærogativâ non in Eccleſias tantùm univerſas & ſingulas, ſed in ipſa etiam deinceps imperia, & in univerſum terrarum orbem, tàm qvoad regimen Eccleſiaſticum, qvàm ſeculare involavit, ſuoqve nutu & arbitrio totum genus humanum ſummoſqve in eo Principes ſtare voluit Papa Romanus. Cumqve huic dominatui ſtabiliendo maximè faceret exemtio Clericorum univerſalis ab omni juriſdictione ſeculari, id maximè operam dedérunt Pontifices, ut univerſis perſvaderent, (perſvadere autem ſeculis illiteratis & craſſiſſimâ barbarie obductis facilè poterant,) exemtionem illam non antiqvitùs tantum, & à primâ Eccleſiæ origine, ſed etiam jure divino competiiſſe. Sic enim factum, ut vererentur omnes ſacra Clericorum capita qvovis modo offendere, eorumqve iram & fulmina in ſe provocare.

LXXV. Reſtitérunt tamen ſubinde Imperatores atqve Principes, & regiam ſuam juriſdictionem non prohibitionibus tantùm adverſus Clericos decretis, ſed etiam, ſi contra niterentur Epiſcopi, pœnali judicio, pignorum ſcil. capione & mulctarum exactione, donec ab invaſione ceſſatum eſſet, maſculè defendérunt. Præiverat namqve ita exemplo ſuo Juſtinus Imperator *in l. 23. C. de teſtam.* Hinc itaqve Carolus Calvus Imperator *in capitulari* anno DCCCXLIV Toloſæ dato, ut ſubveniret presbyteris Septimaniæ ab Epiſcopis ſuis inſigniter qvandoqve vexatis, non modum tantùm, qvi, in viſitandis parœciis tenendus eſſet & ſumtuum qvantitatem præſcripſit, ſed & comminatione aliqvâ Regiam ſuam autoritatem *cap. 8.* his verbis interpoſuit: *Ut Epiſcopi ſub occaſione, qvaſi auctoritatem habeant canonum, his conſtitutis Excellentiæ noſtræ neqvaqvam reſultent aut negligant; ſed Canones potiùs, ut intelligendi ſunt, intelligere, & in cunctis obſervare procurent. Qvia ſi aliter fecerint, omnimodis & qvaliter canones fidelium decimis agendum ſtatuant, & qvaliter intelligi & obſervari cum manſvetudinis noſtræ decreto debeant, Synodali dijudicatione & noſtrâ auctoritate Regiâ docebuntur.* Videtur decimarum perceptionem prohibere voluiſſe, nî Regiis mandatis paruerint.

LXXVI. Ætate Ivonis Carnotenſis, ineunte ſcilicet ſeculo XII. contentio orta fuerat inter Regem Ludovicum Craſſum Galliæ Regem, & Clerum Beluacenſem circa cognitionem criminis à Canonico illius Eccleſiæ commiſſi. Hinc enim Eccleſia propter privilegium perſonæ delinqventis, illinc curia Regis propter delictum & qvali-

qvalitatem facti judicium ſibi aſſerebat. Conſultus eâ de re Jvo juri qvidem & canonibus inſiſtere Belvacenſes reſpondebat *epiſt. 137.* Regem autem valdè offenſum iri, & metuendum proinde, ne per bonorum capionem Regis voluntati parere cogerentur; cui ut reſiſteretur pertinaciter, ipſe ſvadere non audebat. *Si*, inqvit, *concanonicum veſtrum criminaliter impetitum alibi, qvàm in Eccleſiâ examinari conceditis, canonicam legem offenditis: ſi audientiam Regalis Curiæ reſpuitis, Regem offenditis. In qvâ diſceptatione cùm ipſi & ratione & auctoritate ſciatis, qvid ſit verius, qvid honeſtius; tamen pro temporum opportunitate ſeqvi vos oportebit, qvod infirmitati veſtræ erit tolerabilius. Si autem ſciremus, vos eſſe paratos, ut cum gaudio tolerare poſſetis ruinas domorum, exterminationes corporum, rapinas bonorum veſtrorum, poſſemus vos exhortari, ut ſeqveremini conſilium Suſannæ, qvæ magis elegit in manus hominum incidere, qvam DEI legem derelinqvere. Sed qvia in donis ſpiritualibus conſilium & fortitudo conjuncta ſunt, conſilium aliud, niſi qvod patientia veſtra tolerare poſſit, dare non audemus: qvia qvalis veſtra ſit fortitudo, ignoramus, &c.* Idem Ivo *epiſt. 271.* Paſchali Pontifici Romano periculum exponit, qvod ex comminatione Ludovici Regis Clero ſuo immineret. *Iſti enim*, inqvit, *ad hoc Regem ſeduxerunt, qvomodo voluerunt & valuerunt, ut minaces literas adverſus clerum mihi mitteret, continentes cum minis, qvod bona clericorum ſibi accepturus ſit, ubicunqve poterit, niſi privilegium veſtrum deſtruatur, &c.* Sed nec illud prætereundum eſt, paratum fuiſſe ipſumet Ivonem calumniatoribus ſuis, h. e. accuſatoribus aut actoribus reſpondere *vel in Eccleſiâ, ſi Eccleſiaſtica eſſent negocia, vel in curiâ, ſi eſſent curialia. epiſt. 22.*

LXXVII. Nolo addere plura, ne præter inſtitutum in immenſum excreſcat hæc tractatio. Ex dictis autem liqvet, qvàm accuratè diſtincta aliqvando fuerint crimina Clericorum Eccleſiaſtica & communia, & hàc diſtinctione non obſervatâ qvam confuſè ſe habuerit forum Clericorum. Qvi in confiniis ſeculi decimi tertii & decimi qvarti & deinceps vixerunt Theologi, Johannes de Pariſiis, Guilielmus Occam, Johannes Gerſon, & alii, latiùs eam expoſuêrunt & ſubtilioribus annotationibus explicarunt. Supponunt ſcil. qvæſtionem moveri de Titio aut ſub eâ ratione qvâ Clericus eſt, aut ſub eâ, qvâ civitatis membrum eſt, & inter cives recenſetur. Et ſic igitur committi ajunt ab eo crimen vel Eccleſiaſticum, vel ſeculare, ſive commune. Illud in admiſſis directè contra fidem & ſacramenta atqve ſpiritualia conſtituunt; hoc in iis, qvæ jure gentium aut civili ſunt

prohibita. Si itaqve de Clericorum gradibus, ordinibus, muneribus & conditionibus, qvæ ordinandos decent, aut de vitio ordinationum deqve aliis criminibus Eccleſiaſticis agatur, aut circa religionem & fidem controverſia aliqva oborta ſit ipſa materiæ tractandæ ratio oſtendit, ad forum Epiſcopale eam ſpectare, etſi negari neqveat, ea, qvæ ad diſciplinam Eccleſiaſticam pertinent, imò qvæ ad conſervandum unam & veram religionem faciunt, ipſi etiam poteſtati Principis νομοθετικῇ ſubjacere.

LXXVIII. Si verò de crimine communi qvæſtio ſit, intereſſe dicunt, utrum de jure agatur & de peccato opinionis vel erroris, ut ipſi loqvuntur, an verò de facto, ſive de peccato, qvod ipſi vocant vendicationis. Prius volunt contingere tùm, qvando qvis ſibi perſvadet, id qvod committitur, non eſſe peccatum, qvando qvis furtum vel homicidium aut adulterium non habet pro peccato. Et hoc caſu ajunt penes Eccleſiam eſſe poteſtatem cognoſcendi & definiendi, an hoc vel illud factum inter crimina recenſeri debeat, ut etiam cenſuris Eccleſiaſticis coërceri poſſint, qvi diverſum ſentiant. Alterum dicunt contingere, qvando qvis perpetrat crimen, ipſo facto res alienas occupat, homicidium vel adulterium committit. Et de hoc facto fatentur, non ſpectare id ad cognitionem Eccleſiaſticam, aut audientiam Epiſcopalem. Monita tantùm & conſilia dare hic poteſt Eccleſia, punire & coërcere non poteſt: innuere qvid ſeqvendum ſit, & vitandum, non caſtigare, vel ut ipſi loqvuntur, judicare de peccato innuitivè non coërcitivè. Vid. Petr. de Marca *de concord. ſacerd. & imp. lib. 2. c. 3. n. 7.*

LXXIX. Sub hâc diſtinctione diu ſtetit forum Epiſcopale, & optimè ſeſe habuit qvantum ad judicia tùm Eccleſia, tùm Reſpublica, donec univerſus clerus jurisdictioni ſeculari ſubductus, in unius Papæ regimen conceſſit. Primus omnium Regiam & ſecularem poteſtatem præfractè atqve protervè â civilibus ſuis excuſſit Hildebrandus ſive Gregorius VII, Papa. *Primus ille*, ut loqvitur Joh. Aventinus *lib. 5. imperium Pontificium condidit, qvod ſucceſſores per qvadringentos qvinqvaginta continenter annos, invito mundo, invitis Imperatoribus adeò duxere, ut inferos ſuperos in ſervitutem redegerint, atqve ſub jugum miſerint, atqve cuncta fulmine perterritent, &c. Huic* (verba ſunt Onuphrii Panvinii,) *cùm omnes Latinæ Eccleſiæ, tùm præcipuè Romana acceptum referre debet, qvod libera ſit, & ab Imperatorum manu eruta, qvod tot divitiis, opibus & prophanâ ditione locupletata; qvod Regibus, Imperatoribus, Chriſtianis Principibus ſit præfecta: â qvo poſtremo,*

me, ut omnia verbo uno complectar, maximus iſte, eximiusq́; ſtatus, in qvo Eccleſia Romana eſt omnium Chriſtianorum domina; cum antea tanqvam vilis ancilla non ab Imperatoribus modo, ſed à qvovis principe Romani Imperatoris præſidiis fulto, premeretur: ab hoc maximæ illius & omni ſeculo tremendæ venerandæqve Romani Pontificis & infinitæ penè poteſtatis jus manavit. Nam etſi ante Romani Pontifices, tanqvam religionis Chriſtianæ capita, Chriſtiqve Vicarii & Petri ſucceſſores colerentur; non tamen eorum auctoritas ultra protendebatur qvàm in fidei dogmatibus vel aſſerendis vel tuendis. Ceterùm Imperatoribus ſuberant, ad eorum nutum omnia fiebant, ab eis creabantur: de eis judicare vel qvicqvam decernere non audebat Papa Romanus. Primus omnium Romanorum Pontificum Gregorius VII, armis Nortmannorum fretus, opibus Comitiſſæ Mathildis mulieris per Italiam potentiſſimæ confiſus, diſcordiaqve Germanorum Principum bello civili laborantium inflammatus, præter majorum morem, contemptâ Imperatoris auctoritate & poteſtate, cùm ſummum Pontificatum obtinuiſſet, Cæſarem ipſum, â qvo ſi non electus, ſaltem confirmatus fuerat, non dico excommunicare, ſed etiam regno imperioqve privare auſus eſt. Res ante ea ſecula inaudita, &c.

LXXX. Ab eo tempore doceri cœpit in Eccleſiâ Latinâ, Clericos omni juriſdictione Laicorum eſſe exemtos, & qvidem jure divino. Qvæ ſententia eo usqve placuit ſeqvioris ævi hominibus, ut Clericorum iſta exemtio, & juriſdictio Epiſcopalis prorſus negaretur eſſe ex beneficio Principum. Cumqve obſtarent Leges Imperatorum ſupra adductæ, reſpondet Bellarminus *de poteſt. Pontif. in reb. temp. cap. 34.* Imperatores Chriſtianos nondum ſatis edoctos de exemtione, qvam jure divino Clerici haberent, iſtiusmodi leges propoſuiſſe. *Qvod vero,* inqvit, *ſub piis principibus ante Juſtiniani tempora cauſæ civiles & criminales Clericorum apud Magiſtratus politicos aliqvando agitarentur: dico inveniri qvidem leges Principum in Codice, qvæ diſponunt de cauſis Clericorum apud ſeculares judices terminandis, ſed inveniri etiam canones Conciliorum ejusdem ætatis, ut Carthaginenſis III, Milevitani, Chalcedonenſis & aliorum, qvibus prohibetur Clericis acceſſus ad judicia ſecularia. Itaqve piis principibus nondum ſatis nota & explicata erat exemptio, qvam jure divino Clerici habebant: & ſancti Patres paulatim eam explicare atqve* INTRODUCERE *nitebantur.* Benè habet, qvod Bellarminus â ſanctis Patribus INTRODUCENDAM ſcribit eam doctrinam, qvæ ſanè prioribus temporibus planè incognita erat; qvodqve in diverſa contendentes fatetur

Imperatores & Epiſcopos, prout ſupra plenius expoſui. Agnoſcit Ivo Carnotenſis *epiſt. 49.* exemtionem iſtam Regum decretis & Eccleſiaſticis ſanctionibus inniti, nec audet ad jus divinum provocare. *Qvod enim,* inqvit, *à clauſtro canonicorum omnis ſecularis poteſtas ſit eliminata, jam diu ante tempora patrum noſtrorum & Regum decretis eſt cautum & Eccleſiaſticis ſanctionibus multi modè roboratum.* Satius fuiſſet, Comiti Palatino, qvi tùm negocium faceſſebat Ivoni, jus divinum opponere, ſi qvidem juſta ex eo haberi potuiſſet probatio.

LXXXI. Ex hoc verò principio inferunt porrò, nec Principis ſanctione, nec conſvetudine, nec Pontificis Romani decreto privilegium hoc exemtionis in totum Clericis auferri, nec Clericum ipſum renunciare huic foro, aut ſecularis judicis jurisdictionem, ne juratò qvidem aut cum conſenſu partis adverſæ prorogare poſſe, *c. ſi deligenti 12. X. de for. comp.* Didac. Covarruv. *qvæſt. practic. cap. 31.* Thom. Grammatic. *deciſ. Neapol. 29.* Sig. Scaccia *l. 1. de judic. c. 11.* Petr. Anton. de Petra *de poteſt. princ. cap. 27. n. 24. & 46.* qvanqvam in hâc re plurimi alii diſſentiant. Volunt inſuper, clericum coram judice ſeculari conventum, ſi compareat, nec forum ejus declinet, tanqvam transgreſſorem Canonis per judicem Eccleſiaſticum mulctari aut extraordinariè puniri debere, & Laicum convenientem cauſâ cadere. Scaccia *d. l.* Jac. Menoch. *de A. J. Q. l. 2. caſ. 430.* Judicem autem Laicum tùm judicandi poteſtate privari tùm & ipſo jure eſſe excommunicatum. Guid. Pap. *deciſ. 77.* Poſito etiam, vim inferri & manifeſtè injuſtam ſententiam pronunciari à judice Eccleſiaſtico, non patiuntur tamen eâ de re diſceptari in judicio ſeculari Regio, atqve hinc legem aut conſvetudinem in contrarium (qvalis in Hiſpaniâ eſt, qvæ dicitur de las Fuerceas) derogare dicunt libertati Eccleſiaſticæ, ac proinde damnabilem eſſe, niſi id fiat expreſsâ aut tacitâ ſaltem commiſſione ſummi Pontificis, aut qvando aliâ viâ non eſt recurſus ad ipſum. Thom. Hurtado *tr. 3. reſolut. 26.* Qvæ omnia διὰ πασῶν diſcrepant ab illis, qvæ antiqvitùs obtinuiſſe diximus.

LXXXII. Id verò peſſimi exempli eſt, qvod etiam in atrocibus delictis exemtionem locum habere volunt. Nec enim judici ſeculari ullam competere in Clericum ajunt poteſtatem, niſi in degradatum, ſed qvi eo ipſo deſinit eſſe Clericus. Degradationem autem non admittunt, niſi in tribus caſibus, crimine ſcil. hæreſeos, crimine falſi in literis Apoſtolicis commiſſo, & ob calumniam atqve contumeliam gravem

vem proprio Epiſcopo illatam. Imò verò nec degradatum qvidem tradi illicò debere Curiæ ſeculari, aut certè nec in tribus illis caſibus degradationem fieri debere niſi incorrigibilitas acceſſerit, contendunt nonnulli. Vid. Jul. Clar. *ſent. lib. 5. §. practic. crim. qvæſt. 36. num. 37. ſeq.* & ibi Bajardus, Auguſt. Bonfranciſc. *ad Angel. verb. & ibi caput n. 40. ſeq.* Optimè autem notat Petrus Molineus *de Monarch. Pontif. Rom. cap. 18.* crimina illa Clericorum, qvorum cognitio Magiſtratui permittitur, eſſe talia, in qvibus violatur dignitas atqve ſtatus Eccleſiæ Romanæ, & ad eam tuendam magiſtratum accerſiri non tàm judicem, qvàm vindicem & auxiliatorem; in aliis verò atrociſſimis criminibus, in qvibus non tentatur nec periculo exponitur dignitas Eccleſiaſtica, nefas eſſe magiſtratui Eccleſiaſticos limites irrumpere, aut de vitâ Clerici decernere. Sit igitur Clericus latro, adulter, homicida, incendiarius, veneficus, Reip. hoſtis, ipſiusqve Principis perſecutor acerrimus, nefas tamen erit Principi manûs in eum injicere, atqve animadvertere; judex autem Eccleſiaſticus tàm levem decernet pœnam aut cenſuram, ut expiari per eam delictum commiſſum haud qveat.

LXXXIII. Ex qvo fit, ut notante Nicolao Boerio *deciſ. 69. num. 9.* ſcandalum oriatur in plebem, dum vident Clericum & Laicum propter idem atrociſſimum delictum diverſimodè condemnari: Laicum in fruſta ſcindi & dilaniari; clericum verò in carcere includi perpetuo & hinc tamen qvandoqve liberari. *Revera videmus*, inqvit Julius Clarus *d. l. nu. 23. qvod Prælati clericos criminoſos, ut plurimum leviter caſtigant, & licet qvandoqve eos ad perpetuos carceres condemnent, tamen illos poſtea relaxant plerumqve ac dimittunt, ex qvo oritur in populo ſcandalum, videre clericum & Laicum ejusdem delicti reos adeò diverſimodè puniri, ut ſcil. Laicus pœnâ mortis afficiatur, & in fruſta ſcindatur, clericus autem aliqvâ levi pœnâ caſtigatus per forum ambulet, &c.* Privilegium verò hoc qvaſi ex accidenti venit. Non enim ideò pœnam ſangvinis effugit Clericus facinoroſus, qvod eam promeritus non ſit; ſed qvia judex Eccleſiaſticus, cui ille ſubeſt, infligere eam non poteſt. His namqve, â qvibus Domini ſacramenta tractanda ſunt, judicium ſangvinis agitare non licet, *c. his â qvibus 23. q. 8.* Et proinde prohibitum eſt jure Canonico, ne qvis Clericus ſententiam ſangvinis dictet aut proferat, aut ſangvinis vindictam exerceat, aut ubi exerceatur interſit. *c. pen. X. ne clerici vel mon.*

LXXXIV. Qvandoqvidem igitur

Eccleſia neqve judices neqve pœnas habet pro talium criminum merito,& crimina illa non tàm Eccleſiam lædunt, qvàm ſocietatem Civilem, ſtatumqve publicum, ipſa naturalis ratio dictitat, adverſus qvemcunqve delinqventem vindictam competere illi, penes qvem eſt ſumma rerum adminiſtratio. Qvod ſi enim judex ſecularis de crimine Clericorum cognoſcere non poterit, qvin excommunicationi ſubjiciatur, uti volunt hodierni Canoniſtæ, & judex Eccleſiaſticus aliam pœnam infligere neqvit, præterqvam ſuſpenſionem ab officio, depoſitionem, aut perpetuum carcerem, manifeſta inde reſultabit impunitas in delictis omnium atrociſſimis. Nec ſufficit ergo, qvod Epiſcopo Londonenſi reſcripſit Innocentius III, Pontifex *cap. 6. X. de pœn. Ad illud, qvod à nobis tertiò reqviſiviſti, qvaliter Clerici in latrociniis vel aliis magnis ſceleribus deprehenſi puniri debeant, reſpondemus, qvod à ſuis ordinibus degradati detrudi debeant in arctis monaſteriis ad pœnitentiam peragendam.* Hoc enim etſi in foro Eccleſiaſtico ſufficeret, qvippe qvod duriores pœnas decernere neqvit, non ſufficit tamen civitati, qvæ læſa eſt, cujusqve partem facit Clericus delinqvens, ut adeò neceſſarium prorſus ſit auxilium brachii ſecularis.

LXXXV. His ita abundè explicatis concludo, forum Eccleſiaſticum, non niſi in cauſis & criminibus Eccleſiaſticis competens eſſe. Addiderunt principes noſtri actiones perſonales pecuniarias, qvas tamen privilegiatas eſſe noluit Gratianus Imp. uti ſupra diximus. Qvorum igitur delictorum pœna eſt capitalis aut corporis afflictiva, aut etiam relegatio tantùm, illorum cognitio & punitio ad Magiſtratum ſpectat ſecularem. *Novell. 83.* Carpzov. *in Jp. Conſiſt. l. 3. def. 5.* Add. Annæ. Robert. *rer. jud. lib. 1. cap. 6.* Qvod reliqvas cauſas civiles attinet, ſi qvidem de mobilibus fuerit qvæſtio, qvia oſſibus perſonæ ea adhærere dicuntur, exemtioni & foro privilegiato adhuc locus erit. Carpzov. *d. l. def. 7. num. 3.* Sed ſi qvæ circa bona immobilia competunt actiones reales, qvia Clerici in his non ut miniſtri Eccleſiæ conſiderantur ſed ut privati & cives ac membra Reip. idcircò privilegium fori, qvod ratione & intuitu officii indultum eſt, in hiſce talibus allegari neqvit, ſed coram judice ſeculari ſub qvo res ſitæ ſunt, reſpondere tenentur Carpzov. *d. def. 7.* Carol. Molinæ. *ad conſvetud. Pariſ. §. 46. num. 20.* Minſing. *1. Obſ. 22. & 2. Obſ. 67.* Gail. *1. Obſ. 37. num. 4.* Zanger. *de except. pag. 2. cap. 1. num. 261.* Matth. Stephan. *de juris-*

juriſdict. l. 1. c.31. n.2. Tunc enim res ipſa qvaſi in judicium trahi dicitur, & Rei partes ſuſtinet magis, qvàm ipſa perſona conventi. Sed hoc tamen caſu judex, ſub cujus juriſdictione res ſita eſt, non poteſt directò citare clericum, ſed per ſubſidium judicis Eccleſiaſtici. Gail. *1. Obſ.56. num.5.* Maranta *tit. de citat. num.40.* Coler. *de proceſſ. execut. p. 2. cap. 3. num. 16.* Zanger *de except. p. 2. cap. 1. num. 262.* Per conſvetudinem autem ſæpè jus diverſum obtinet, qvod de Galliâ & Hiſpaniâ teſtatur Antonius Perez *Cod. ubi in rem act. num. 6.*

LXXXVI. Illud obiter addo, de Clericis in genere qvæ dicta hactenus ſunt, ad præſentem materiam de diaconis facilè applicari. Quicqvid enim prædicatur de genere, prædicatur etiam de ſpecie generi ſubſtratâ, & ſub eo contentâ. Nic. Everhard. *loc. 6. ſub num 2.* Unde ſæpè canones Conciliorum nominatis qvibusdam Clericorum ſpeciebus generale addunt vocabulum, ut univerſalitatem ſui decreti eo clarius exprimant. Vid. *c. nullus la 1. & 2. 11. q. 1. c. ſi qvis 7. q. 6.* Generaliter autem Clerici nuncupantur omnes, qvi in Eccleſiâ Chriſti deſerviunt, inter qvos propterea etiam referuntur diaconi *c. cleros diſt. 21.* Nec invenitur qvicqvam ſingulare de diaconis conſtitutum circa rem præſentem, qvod exceptionem facere poſſit, ut adeò, qvæ de Clericis in genere ſancita ſunt, jure optimo ad Diaconos per comprehenſivam interpretationem applicentur.

Caput XVII.

De Archidiacono.

I. *Nominis Archidiaconi notatio veraqve ætas.* II. *Non propter ſenectam, ſed induſtriam à diaconis electus.* III. *Stephanus Protodiaconus, Archidiaconus dictus, idem cum reliqvis diaconis munus obiit.* IV. *Archidiaconi officium ex Arabica Concilii Nicani collectione ſignatum.* V. *Qvod ſucceſſu temporum amplius factum, & honoratius.* VI. *Ejus è Synodo Meldenſi deſcriptio.* VII. *Conſvetudo qvoqve heic obſervanaa, qva plurima connectuntur Archi-*

diaconi officio. VIII. *Libertates in Eccleſia dabant, manumiſſionum tabulas conficiebant.* IX. *Juriſdictione ad Eccleſiaſticos translata plura huic axiomata acceſſerunt muneri.* X. *Viſitationibus Eccleſiarum Archidiaconus intereſt.* XI. *Epiſcopi vicarius, oculus.* XII. *Propriam habuit diœceſin ſive parochiam.* XIII. *Caveat ne præſentia ſua oneri potius, qvam emolumento ſit Eccleſiis.* XIV. *Modus huic malo præcavendo præſcriptus,* XV. *cuilibet prælato & ſic qvoqve Archidiacono.* XVI. *Decretum ſynodi Oxonienſis de eadem re.* XVII. *Item Capitulum Hincmari,* XVIII. *& Concilii Cabillonenſis canon.* XIX. *Archidiaconus archipresbytero ſuperior, & qvare.* XX. *Inter abuſus refertur, plures uno hodie Archidiaconos in una Eccleſia eſſe.* XXI. *In Gallia Archidiaconatum princeps confert.* XXII. *Cauſa obſcura notitiæ Archidiaconatus.*

I. VTi in omni ordine primus aliqvis eſt, qvi vel ætate, vel uſu rerum & experientiâ, vel receptione in collegium iſtud, reliqvos antecedit, cuive pleraqve rerum â toto ordine agendarum cura incumbit: ita etiam in ordine diaconorum, ubi plures fuerunt in unâ Eccleſiâ, primus ſemper & præcipuus aliqvis extitit, qvi collegii iſtius qvaſi initium eſſet. Is archidiaconus longo jam tempore dictus eſt, non qvod velut ἄρχων reliqvis imperaret, ſed qvod ἀρχὴν faceret ejus ordinis, cujus ipſe erat membrum. Nec ergò neceſſe eſt, ut cum Claudio Eſpencæo de antiqvitate gradûs hujus & dignitatis nimium ſimus ſolliciti, qvi *lib. 1. digreſſ. cap. 6.* ex Nicephoro, Sozomeno, Evagrio varia colligit teſtimonia, ut doceat, gradum hunc non ita nuperum eſſe. Qvandoqvidem ipſi etiam Canoniſtæ tùm antiqviores, tùm recentiores fatentur, multum hîc facere conſuetudinem, & nec officium, nec jurisdictionem Archidiaconorum ubiqve eſſe uniusmodi. Nec valebit ergo argumentum, qvod ex nomine petitur, ut gradum iſtum, prout nunc in Eccleſiâ Latinâ ſe habet, Eccleſiæ veteri non incognitum fuiſſe colligamus. Nos, qvæ de qvalitate & officio archidiaconorum non anxiè inqvirentibus occurrent, breviter annotabimus, cùm olim non alia eorum, qvam reliqvorum diaconorum fuerit functio, qvalem abundè jam deſcripſimus.

II. Induſtriam reqvirit in Archidiacono Hieronymus, dum ad Evagrium

grium ita ſcribit: *Diaconi eligant de ſe, qvem induſtrium noverint, & archidiaconum vocent.* Ex qvo loco id etiam diſcimus, non ſemper ætate provectiorem inter diaconos, nec eum ſemper, qvi prior in ordinem cooptatus eſt, Archidiaconum factum fuiſſe, ſed eum eligi debuiſſe, qvi induſtriâ reliqvos anteiret. Electionem etiam fieri debuiſſe ab ipſis diaconis, ſecus atqve deinceps in Concilio Agathenſi *c. 23.* conſtitutum fuit, ut ſi officium Archidiaconus propter ſimpliciorem naturam implere aut expedire neqviverit, ille loci ſui nomen teneat, & ordinationem Eccleſiæ, qvem elegerit Epiſcopus præponendum. *c. Epiſcoporum diſt. 74.* Eandem induſtriam in Johanne Archidiacono laudat & commendat Apollinaris Sidonius, dum in epiſtolâ ad Domnulum, qvæ eſt ultima *lib. 4.* refert, qvâ ratione Johannes ille repente & planè præter ſpem atqve opinionem Cabillonenſium Epiſcopus factus & proclamatus fuerit. In recenſendis ejus laudibus hæc verba facit Sidonius: *Lector hic primùm, ſic miniſter altaris idq; ab infantiâ; poſt laborum temporumq; proceſſu archidiaconus, in qvo ſeu gradu, ſeu miniſterio multum retentus propter induſtriam, diu dignitate non potuit augeri, ne poteſtate poſſet abſolvi.* Ut verò de induſtriâ, qvorſum ea impendi debuit, exactiùs conſtet, officia archidiaconorum brevi diſſertatione expendemus.

III. Qvi Stephanum protodiaconum cum Damaſceno, ſive archidiaconum (nec incongruè qvidem, cùm *Act: VI, 5.* ſingulari cum elogio primo loco nominetur,) ſtatuunt, non aliud ejus tùm officium fuiſſe evincent, qvam qvod ſupra, ut reliqvis diaconis commune, expoſuimus. Primum & præcipuum eorum munus fuit colligendarum & diſtribuendarum συλλογῶν & προσφορῶν cura. Idqve diu deinceps obtinuit in Eccleſiâ. De Laurentio Martyre, ejuſqve archidiaconatûs officio eleganter loqvitur Aurelius Prudentius:

Hic primus è ſeptem viris,
Qvi ſtant ad aram proximi,
Levita ſublimis gradu,
Et cæteris præſtantior.
Clauſtris ſacrorum præerat,
Cœleſtis arcanum domus
Fidis gubernans clavibus,
Votaſqve diſpenſans opes.

Hinc Iſidorus apud Gratianum *c. perlectis diſt. 25.* *Collectam pecuniam de communione ipſe accipit & Epiſcopo defert, & Clericis proprias partes idem diſtribuit.* Sed & alia pecunia fidei Archidiaconi committebatur. Majorianus Imp. *in novell. ſuâ de Epiſc. jud.* Archidiaconum mulctam

decem librarum auri recipere jubet ab Epiſcopo, & inferre ei, qvem ille invitum fecerit Clericum. Et Juſtinianus *novell. 123. c. 3.* Archidiaconos ſuſcipere & diſtribuere jubet, qvicqvid Epiſcopi noviter Electi pro inthroniſticis & conſvetudine dederint.

IV. Si credendum eſſet canonibus Concilii Niceni, qvos ex Arabicâ collectione exhibuit Franciſcus Turrianus, latius jam eo tempore fuit Archidiaconi officium. Id enim *can. 57.* ita deſcribitur: *Omnibus diaconis praeſt Archidiaconus ad componendum ſi qvid litis & controverſia inter eos ortum fuerit, aut aliud aliqvid, qvod ad judicium ejus neceſſariò pertineat. De iis autem qvæ ad ſe pertinent, nihil referat Archidiaconus ad Epiſcopum: ſed ipſe potius eorum controverſias dirimat: Siqvidem ſub poteſtate & judicio ejus ſunt diaconi & debet levare Epiſcopum hoc onere. Archidiaconus enim praeſt univerſo officio orationis, & per eum gubernari & diſponi debent, qvæcunqve ad Eccleſiam pertinent, ne ſi huic officio deſit, transferatur hoc officium & gubernatio ad ſeculares, &c.* Sed à primâ canonum iſtorum verſione dubitari cœpit de eorum autoritate, nec audet Cardinalis Baronius qvicqvam de iis aſſeverare, ſed aliis diſcutiendos relinqvit *ad ann. CCCXXV n. 180.* Nec minùs tamen veroſimile eſt, circa iſta tempora functionem Archidiaconi taliter ſe habuiſſe.

V. Succeſſu temporis plurima alia addita ſunt, præſertim poſtqvam juriſdictio à perſonis Eccleſiaſticis cœpit uſurpari. Nos ex plurimis pauca recenſebimus. Iſidorus in epiſtolâ ad Ludifredum Cordubenſem Epiſcopum, qvam refert Gratianus *c. perlectis diſt. 25.* eorum officium ſic deſcribit: *Archidiaconus imperat ſubdiaconis & levitis, ad qvem iſta pertinent miniſteria: ordinatio veſtiendi altaris à levitis, cura incenſi & ſacrificii neceſſaria ſollicitudo: qvis Levitarum ad populum Evangelium legat, qvis preces dicat, ſeu reſponſoria in dominicis diebus aut ſolennitatibus decantet. Solicitudo qvoq; parœciarum, & ordinatio & jurgia ad ejuſdem pertinent curam: pro reparandis diœceſanis baſilicis ipſe ſuggerit ſacerdoti: ipſe inqvirit parœcias cum juſſione Epiſcopi, & ornamenta & res baſilicarum & parœciarum geſta & libertatum Eccleſiaſticarum Epiſcopo idem refert: collectam pecuniam de communione ipſe accipit, & Epiſcopo defert, & clericis proprias partes idem diſtribuit. Ab archidiacono nunciantur Epiſcopo exceſſus diaconorum: ipſe denunciat Sacerdoti in ſacrario jejuniorum dies atq; ſolennitatum, & ab ipſo publicè in Eccleſiâ prædicantur. Qvando verò archidiaconus abſens eſt,* *vicem*

vicem ejus diaconus ſeqvens adimplet.

VI. De Archidiacono etiam explicat Severinus Binius, qvod in Synodo Meldenſi *c.35.* ſtatutum legitur: *Ut qviſqve Epiſcopus talem juxta ſe pro viribus habere decertet, qvi juxta ſinceriſſimum & puriſſimum ſenſum Catholicorum patrum de fide & obſervatione mandatorum DEI, & prædicationis doctrinâ presbyteros plebium aſſiduè inſtruat, & informet, ne domus DEI vivi, qvæ eſt Eccleſia, ſine lucerna verbi divini remaneat. Sed & idem talis exiſtat, qvem amor pecuniæ non vexet, aut reprobi mores & converſatio reprehenſibilis periculosè devaſtet.* Ex qvibus patet, tùm doctrinam divinam & ſacrorum procurationem, tùm diſciplinam Eccleſiaſticam ad archidiaconorum munus & functionem aliqvatenus, & inter diaconos reliqvos præcipuè ad eos pertinuiſſe. Inſtitutiqve ſunt ab initio propterea, ut qvæ ad diaconorum officium ſpectant, tàm ipſi exſeqverentur, qvàm à diaconis exeqvenda perficiendaq; curarent ac juberent. Hinc & ab Innocentio III Pontifice poteſtatem examinandi Clericos ad ſacros ordines promovendos accepérunt *c. ad hæc 7. X. de offic. Archidiac.* Qvæ omnia, qvantam induſtriam exigant, ipſa prodit rerum expediendarum qvalitas.

VII. Sed admodum variant iſta officia, nec perinde ſe habent ubiqve. Unde ferè ad conſvetudinem recurrendum eſt, ſi qvid ex debito præſtare debeat Archidiaconus, aut ſi de officio ejus ſtatuendum aliqvid fuerit. Qvam in rem videri poterunt Antonius Bengeus & Franciſcus Pinſſonius *de beneficiis*, itemqve ex antiqvis interpretibus Goffredus de Trano *in ſumm. tit. de offic. Archidiac.* Nec feciſſe extra officium puto Honoratum Archidiaconum Eccleſiæ Salonitanæ, dum reſtitit Epiſcopo ſuo Natali vaſa ſacra alienaturo, qvem proinde in tutelam ſuam recepit Gregorius Magnus Pontifex, *lib. 2. epiſt. 15. & 16.* Sed & captivorum curam habuérunt aliqvando Archidiaconi, uti ejus rei teſtimonium extat inter decreta Concilii Aurelianenſis V, *can. 20. Id etiam miſerationis intuitu æqvum duximus cuſtodiri, ut qvi pro qvibuſcunqve culpis in carceribus detinentur ab archidiacono ſeu à præpoſitò Eccleſiæ diebus dominicis reqvirantur, ut neceſſitas vinctorum ſecundum præceptum divinum miſericorditer ſublevetur, atqve à Pontifice inſtituta fideli & diligenti perſonâ, qvæ neceſſaria provideat, competens victus de domo Eccleſiæ tribuatur.*

VIII. Aliqvando etiam liberali cauſæ & libertatibus in Eccleſiâ dandis adhibebantur Archidiaconi, ſolebantqve illi manumiſſionum tabulas

las conficere. Cujus rei elegans extat teſtimonium in legibus Ripuariorum *ſub tit. 58. Hoc etiam jubemus, ut qvaliſcunqve Francus, Ripuarius ſeu Tabularius ſervum ſuum pro anima ſua remedio ſeu pro precio ſecundum legem Romanam libertare voluerit, ut in Eccleſiâ coram presbyteris, diaconibus ſeu cuncto clero & plebe, in manu Epiſcopi ſervum cum tabulis tradat, & Epiſcopus Archidiaconum jubeat, ut ei tabulas ſecundum legem Romanam, qvâ Eccleſia vivit, ſcribere faciat.* Et porrò ſub. num 5. *Qvod ſi qvis tabulas Epiſcoporum manibus ſeu Clericorum roboratas irrumpere voluerit, tunc Archidiaconus cum teſtibus, qvi tabulas robraverunt ante Epiſcopum vel Regem accedat, ut teſtes, qvod ſciunt, dicant. Qvod ſi ille, qvi cauſam proſeqvitur, acqvieſcere noluerit, tunc tabulæ in præſentiâ judicis perforentur, & archidiaconus in præſente Sacramento fidem faciat, & ſibi ſeptimus ſuper noctes ſeptem conjuret, cum ipſis teſtibus, qvi tabulas conſcripſerunt, qvod ipſe tabularius ſecundum legem Romanam fuiſſet ingenuus relaxatus. Et tunc ille, qvi cauſam proſeqvitur in præſente conſtringatur, ut ſe ante judicem repræſentet, & ad partem Eccleſiæ C. ſolid. culpabilis judicetur, & unicuiqve de teſtibus XV. ſol. culp. jud. & Archidiacono XLV. ſol. culp. jud. & nihilominus tabulæ ſtabiles permaneant. Qvod ſi archidiaconus iſta adimplere contemſerit, & auctorem ſuum, qvi eum ingenuum dimiſit, non invenerit, tunc tabularium ipſe archidiaconus cum XLV. ſol. & cum omnibus rebus ſuis proprio domino ſtudeat reſtituere, & unuſqvisqve de teſtibus XV. ſol. culp. jud.* Hoc ſcil. eſt, qvod inter officia archidiaconi refert Iſidorus *loco ſupra adducto*, eum geſta libertatum Eccleſiaſticarum Epiſcopo referre. Conf. Hieron. Bignon. *ad Marculf. p. 616.* & de ritu manumiſſionis in Eccleſiâ Nicol. le Maiſtre *de bon. Eccleſ. lib. 3. cap. 9.*

IX. Dubium autem non eſt, multa huic officio acceſſiſſe axiomata alia, poſtqvam juriſdictionis exercitium illis conferri cœpit, ſive propria ea fuerit, uti aliqvando talem nonnulli habuérunt, ſive aliena, & ex Epiſcopi conceſſione cujus vicem plerumqve gerere conſvevérunt. Vid. Anton. Bengeus & Franc. Pinsſon. *de benefic. tit. de diviſ. benefic. §. 15. n. 14. ſeq.* & ex antiqvioribus Goffredus de Trano *de off. Archidiac. n. 5. ſeq.* Sanè ſi jurgia audire ad ipſorum ſpectat officium, & emendare inſuper atq; corrigere debent, qvæ corrigenda fuerint, qvod exigit Innocentius III *in c. ad hæc X. de offic. Archidiac.* nec tamen relatio de iis facienda eſt ad Epiſcopum, uti ſtatuit, qvem ex verſione Arabicâ adduxi, canon Nicenus, non poteſt omni juriſdictione deſtitutus eſſe archidiaconus, qvandoqvidem ſine coër-

coërcitione, qvantacunqve demum ea fuerit, expediri vix poſſunt. Atqve ita ſtatuit Auguſtinus Barboſa *de jur. Eccleſ. lib. 1. cap. 24. n. 26.* Sed in his omnibus, uti dixi, attendenda eſt cujuſqve provinciæ aut diœceſeos conſvetudo. Qvandoqvidem fieri poteſt, ut Archidiaconi qvis nomen gerat, nec tamen ſimul officium faciat, uti de Archidiacono Parmenſi teſtatur Innocentius IV. *ad c. de multa 28. X. de præbend. n. 6.* & de Hiſpaniæ Archidiaconis Aug. Barboſa *d. l. n. 8.* qvod in totâ Hiſpaniâ nullus amplius Archidiaconus ſit, qvi integram jure comuni præſcriptam poteſtatem ſuſtineat. De Archidiaconis Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ qvâ in dignitate fuerint, videri poterunt Jacobus Goar. *ad Codin. Curopalat. de offic. Conſtantinop. cap. 1. num. 1. & num. 44.* & Jacob. Gretſerus *ad eund. lib. 1. obſervat. cap. 15.*

X. In viſitationibus Eccleſiarum Archidiaconus adeſſe jubetur Epiſcopo viſitanti, & præparare ea, qvæ viſitationem facilem reddere qveant. Eam in rem extat decretum Concilii Rhotomagenſis apud Ivonem Carnotenſem *part. 5. decret. cap. 196. Cum Epiſcopus ſuam diœceſin circuit, Archidiaconus vel Archipresbyter eum præire debet, uno aut duobus diebus ad parœcias qvas viſitaturus eſt, & convocatâ plebe annunciare debet proprii paſtoris adventum, & ut omnes exceptis infirmis ad ejus ſynodum die denominatâ impræter miſſè occurrant, & omnimodis ex autoritate ſanctorum canonum præcipere & minaciter denunciare debet, qvod ſi qvis abſq; gravi neceſſitate defuerit, procul dubio à communione Chriſtianâ ſit repellendus. Deinde adſcitis ſecum presbyteris, qvi in illo loco ſervitium debent exhibere Epiſcopo, qvicqvid de minoribus & levioribus cauſis corrigere poteſt, emendare ſatagat, ut pontifex veniens neqvaqvam in facilioribus negociis fatigetur, aut ſibi immorari amplius neceſſe ſit ibi, qvam expenſa ſufficiat, &c.*

XI. Qvando verò Epiſcopus ipſe viſitare Eccleſias per diœceſin ſuam neqvit, tùm archidiacono hæc poteſtas competit, ut vice Epiſcopi ſui tertio qvoqve anno univerſam diœceſin circumeat, & cuncta, qvæ emendatione indigent, corrigat atqve emendet. Eſt enim archidiaconus vicarius Epiſcopi in omnibus, & omnis cura in clero, tàm in Urbe poſitorum, qvàm eorum, qvi per parochias & in agro habitant ad eum pertinet, ſive de eorum converſatione, ſive honore & reſtauratione Eccleſiarum, ſive de doctrinâ Eccleſiaſticorum, vel cæterarum rerum diſpoſitione. *c. 1. X. de offic. archidiac.* Hinc adeò archidiaconus dicitur eſſe oculus Epiſcopi, qvia luſtrans actus totius Eccleſiæ, ſi qvem videat proximum eſſe peccato, referre debet ad Epiſcopum, aut ſaltem atten-

tâ ſollicitudine præcavere, ne in præceps ille ruat, & ſalutis detrimentum patiatur. Atqve hinc ſtatuunt Doctores, Archidiaconos abſentibus Epiſcopis abſqve aliqvo facto ipſo jure eſſe eorum vicarios, & inde vicarios natos dici. Jac. Sbrozz. *de Vicar. lib. 1. q. 3. n. 15. 16. & q. 37. n. 6.*

XII. Sed & propriam Archidiaconos alicubi habuiſſe diœceſin Canoniſtarum doctrina eſt ex *c. mandamus 6. X. de offic. archidiac. c. dudum 54. X. de elect. c. dictum eſt, fin. diſt. 94.* aut parochiam potius aliqvam, qvam jure ſuo tenebant, ſuo etiam jure viſitabant & procurationes inde accipiebant. Id verò ſi concedendum fuerit, recentioris Eccleſiæ erit inventum. Nec tamen immunes tùm Eccleſias iſtas dixerim à viſitatione Epiſcopi. Facultatem enim viſitandi cumulativè non privativè competere certum eſt. Vid. Andr. Vallenſ. *ad tit. de cenſib. §. 4. n. 5.* qvemadmodum etiam juriſdictio, ex qvâ jus viſitandi deducunt Canoniſtæ, non privativè ſed cumulativè à ſuperiore conceſſa intelligitur. Et talis cumulatio viſitationum etiam Epiſcopo & metropolitano communis fuit, ſiqvidem non proprii tantum Epiſcopi, ſed etiam metropolitani diœceſes qvandoqve luſtrabant. Vid. Nic. le Maiſtre *de bon. Eccleſ. part. 2. lib. 2. c. 1.* Poſito autem, Archidiaconos jure ſuo poteſtatem viſitandi Eccleſias habere, juriſdictio eis neceſſariò tribuenda erit, cùm viſitatio ſine juriſdictionis exercitio ſecundum Canoniſtas fieri neqveat.

XIII. Qvalitercunqve autem ſive proprio, ſive alieno & Epiſcopi nomine jus viſitationis exerceant Archidiaconi, hoc illis ante omnia obſervandum eſt, ne præſentiâ ſuâ oneri potiùs qvam emolumento ſint Eccleſiis, neve per procurationes prorſus exhauriant ærarium Eccleſiaſticum. Commune hoc jam diu fuit vitium Viſitatorum, immenſam aut annonam aut pecuniam exigentium, & compluſculos dies uno in loco commorantium, qvos propterea Conciliorum qvamplurium decretis compeſcere oportuit, ne ſcil. presbyteri ingenti Epiſcoporum comitatu vexati non tàm divinæ gratiæ diribitorem & ſanctioris vitæ profeſſorem, qvàm raptorem ac prædonem adveniſſe qvererentur. Nec ceſſavit tamen Epiſcoporum in iſtiuſmodi procurationibus exigendis avaritia, refertqve Carolus Sigonius *lib. 5. de regn. Ital. ad ann. 861.* de Johanne Ravennatenſium Archiepiſcopo, ab Epiſcopis ſuffraganeis objectum inter alia accuſationis capita fuiſſe, qvod ſecundo qvoqve anno Epiſcopia ſua cum fermè qvingentorum hominum, eqvorumq; numero perluſtraverit, ac tamdiu in ſingulis moram traxerit, donec omnia, qvæ ad

fructus

fructus Epiſcopi, ad alimentum Clericorum & pauperum, ſuſceptionem peregrinorum atqve inſtaurationem Baſilicarum pertinerent, cum magnâ illâ multitudine conſumſiſſet, neq; ante receſſerit, qvàm ab Epiſcopo ducentos manicoſos ſibi, familiaribus verò ſuis dona non modica exegiſſet. Conf. antiqvum inſtrumentum Arnulphi Turonenſis Archiepiſcopi qvod recenſet Fr. Juretus *ad Ivonis Carnotenſis epiſt. 108.*

XIV. Huic malo præcavendo modum, qvem excedere viſitatoribus non liceret, præſcribere oportuit, extatqve hâc de re decretum Concilii Toletani VII, apud Gratianum *c. inter 10. q. 3. Cùm verò Epiſcopus diœceſin viſitat, nulli præ multitudine oneroſus exiſtat, nec unqvam qvinqvagenarium numerum* (vetus editio apud Binium legendum exhibet, *qvinarium*, qvam proinde emendat Binius, ejuſqve emendationis rationem petit ex multo recentioribus conſtitutionibus Alexandri III Pontificis) *evectionis excedat, aut amplius, qvàm unâ die per unamqvamq; baſilicam remorandi licentiam habeat, &c.* Evectionis vocabulum aliqvando pro licentiâ curſûs publici uſurpandi, aliqvando pro ipſis literis, qvibus evectio conceditur, aliqvando pro ſubvectione, convectione, tranſvectione naviculariâ, aliqvando pro ipſo curſu publico accipitur. Vid. Jacob. Gothofred. *in gloſſar. ad Cod. Theodoſ.* Hic verò denotat pompam illam eqvorum, jumentorum, ſeu curruum, qvos Epiſcopi Eccleſias viſitantes in comitatu ſuo habebant, qvorum numerus, qvo major erat, eo majoribus impenſis pro ſuſtentatione opus erat.

XV. Specialior adhuc modus cuilibet prælato, & ſic etiam Archidiacono præſcriptus eſt in concilio Lateranenſi *cap. 4.* qvod recenſetur *c. 6. X. de cenſib. Cum Apoſtolus ſe ac ſuos propriis manibus decreverit exhibendos, ut locum prædicandi auferret pſeudoapoſtolis & illis, qvibus prædicabat non exiſteret oneroſus, grave nimis eſſe dignoſcitur, qvod qvidam prælatorum ita in procurationibus graves exiſtant, ut interdum eccleſiaſtica ornamenta ſubditi exponere compellantur. Et longi temporis victum brevis hora conſumat. Qvocirca ſtatuimus, qvod archiepiſcopi parochias viſitantes pro diverſitate provinciarum & facultatibus Eccleſiarum qvadraginta vel qvinqvaginta evectionum numerum, epiſcopi autem viginti vel triginta: Cardinales viginti qvinq; nunqvam excedant, archidiaconi verò qvinq; vel ſeptem: decani conſtituti ſub Epiſcopis duobus eqvis contenti exiſtant. Nec cum canibus venatoriis & avibus proficiſcantur; ſed ita procedant, ut non qvæ ſua ſunt, ſed qvæ Jeſu Chriſti, qværere videantur. Nec ſumtuoſas epulas qværant, ſed cum gratiarum actione recipiant, qvod honeſtè ac*

competenter illis fuerit miniſtratum.

XVI. Aliud ſpeciale pro Archidiaconis viſitantibus decretum edidit Synodus Oxonienſis his verbis: *Ut ſingula Eccleſiaſtica officia in Eccleſiâ ritè procedant ſecundum canonicas ſanctiones ſtatuimus, ne archidiaconi nimium graves exiſtant Eccleſiis ſuis ſubditis, diſtrictius inhibentes, ne ſtatutum in Concilio generali in numero convectorum excedant, cum viſitationis nomine debitam ſibi recipiunt procurationem, nec ad talem procurationem venientes, extraneos, ut ſecum veniant, invitare præſumant. Sed ſi pro honore Archidiaconi Eccleſiarum Rectores aliqvos velint invitare, hoc nullatenus prohibemus. Sed ipſi Archidiaconi nullum invitent, ne fortè qvi per ſuum adventum Eccleſias non gravarent, gravent ſaltem per invitatos. Unde, ut ſubtrahatur eis neceſſitas invitandi, prohibemus, ne archidiaconi tempore viſitationis ſuæ apud Eccleſiam qvam viſitant, capitulum teneant vel celebrent, niſi forte in burgo vel in civitate ſit Eccleſia conſtituta. Ad hoc archidiaconis diſtrictius inhibemus, ne aliqvo modo procurationem recipiant ſine causâ rationabili, niſi illo die, qvo perſonaliter viſitant Eccleſiam procurantem. Nec redemtionem pro viſitatione extorqvere præſumant.* Refertur apud Binium *tom. 3. Concil. pag. 1470.* Idem prorſus ſtatuit non multo poſt Concilium Londonenſe apud eundem *pag. 1479.* Ex qvibus decretis, qvæ fuerint eo ſeculo Eccleſiaſticorum, qvæve viſitationum vitia, abunde patet.

XVII. Inter capitula, qvæ ab archidiaconis ſuis obſervari voluit Hincmarus Archiepiſcopus Remenſis, qvæqve præſcripta inveniuntur *tom. 1. op. pag. 738. in edit. Sirmondi*, primum ita ſe habet: *Qvando ruſticanas parochias vobis commiſſas vel mecum, vel per vos circuitis ſicut & ego, non graves ſitis presbyteris in paratis qværendis: neqve ducatis ſuperfluè vobiſcum homines, vel veſtros, proprios, vel propinqvos veſtros, per qvos illos gravetis in cibo, & potu, & fodro ad caballos. Et providete, ne homines veſtri, qvi vobiſcum ibunt illos dehonorent, vel hominibus illorum graves ſint. Nec diu in manſionibus ipſorum presbyterorum immoremini, & ſi neceſſitas evenerit, ut in aliqvo loco immorari debeatis, ſic diſponite victualia veſtra per circummanentes presbyteros, ut nemini graves ſitis, &c.* Et caput qvartum: *Qvando parochias circuitis, nolite graves eſſe presbyteris, petentes friskingas, vel piſces, aut formaticos, aut annonam, aut alias qvaſvis res, ut habeatis, qvando ad civitatem reverſi fueritis, unde qvaſi fratribus refectionem faciatis, ut ſalvis ſtipendiis veſtris habeatis, unde vos & veſtros conducatis.*

XVIII.

XVIII. Similiter & in Cabilonenſi Concilio prohibitum eſt, ne archidiaconi nimium ſuperbientes in presbyteros dominatum exerceant, neve exactionibus eis graves exiſtant. Verba recenſentur â Gratiano *c. fin. diſt. 94. Dictum eſt, qvod in plerisqve locis archidiaconi ſuper presbyteros paræcianos qvandam exercent dominationem & ab eis cenſum exigunt; qvod magis ad tyrannidem, qvàm ad rectitudinis pertinet formam. Si enim juxta Apoſtoli ſententiam Epiſcopi non debent eſſe dominantes in clero, ſed forma facti gregis ex animo: multo minus facere hoc iſti debent. Sint itaqve contenti regularibus diſciplinis & teneant propriam menſurum, & qvod ab Epiſcopis eis injungitur, hoc per paræcias ſuas exercere ſtudeant, nihil per cupiditatem & avaritiam præſumentes.* Nempe hæc perpetua & qvaſi propria ſunt Clericorum vitia, ſuperbia & avaritia, qvibus eos qvam maximè infeſtare ſolet communis humani generis hoſtis. Nec mirum idcircò eſt, tàm freqventia adverſus cujusqve ordinis Clericos in veterum monumentis extare decreta, qvibus faſtus ille & πλεονεξία utcunqve coërcerentur. Et ex iſtis fontibus provenêrunt pleriqve omnes Archidiaconorum in officio & vitæ ratione exceſsûs, qvos omnes enumerare & operoſum nimis foret, & ab inſtituto noſtro alienum.

XIX. Id verò præteriri neqvit, qvod cùm diaconus inferior ſit presbyteris, archidiaconus tamen non presbyteris tantùm, ſed ipſo etiam archipresbytero ſuperior habeatur. *c. 1. X. de offic. archipresbyt.* Rationem ejus reddunt iſtam, qvod Archidiaconus curam habeat fori contentioſi, cum Archipresbyter exerceat tantùm curam fori pœnitentialis. Barthol. Carthagena *ad tit. de offic. archipresb. obſ. 1.* Alii ex ratione inſerviendi iſtam prærogativam deducunt, qvod ſcil. inter diaconos alii inſerviant presbyteris ſimplicibus, alii verò Epiſcopo; & hos propterea dici archidiaconos, eosqve ratione Epiſcopi, cui inſerviunt, digniores eſſe ajunt presbyteris & archipresbyteris, non fungentibus eo officio. Andr. Vallenſ. *ad tit. de off. archidiac. nu. 2.* Nicol. Rodriguez Fermoſin. *ad eund. tit. cap. 2. q. 1. num. 32.* Alii ſignificantiùs diſtingvunt ordinem â dignitate, qvod reſpectu ordinis Archipresbyter ſit major archidiacono, ſed archidiaconus major archipresbytero, ſi dignitatem & officium ſpectes. Goffredus de Trano, & Hoſtienſis *in ſum. ad tit. de off. archid.* Si dicendû qvod reseſt, iſta prærogativa ex arrogantiâ primùm orta videtur, uti fieri conſvevit, ſi qvis fortè ex inferioribus ordinibus eruditione, induſtriâ, judicio præſtet, & in rebus agendis reliqvos ſuperet, qvod is illicò majorem & honoratiorem affectet

locum, & ſuperiores etiam ſuos antecedere haut vereatur. Potuit igitur favor Epiſcopi freqventiùs Archidiaconi alicujus induſtrii, qvàm archipresbyteri operâ utentis, προεδρίας hoc jus inducere, & repetitis exemplis confirmare, ut potiùs ad abuſum referendum ſit ejus principium, qvàm ad inſtitutum boni ordinis & εὐταξίας. Atqve hinc non malè turbatum ordinem dicit Petrus Bleſenſis *epiſt. 123. Porrò*, inqvit, *dignitatis turbato ordine, archidiaconi hodiè Sacerdotibus praeminent, & in eos vim & poteſtatem ſuæ juris, ditionis exercent. Ea propter archidiaconum in presbyterum promoveri non eſt honorem ejus augeri, ſed minui.* Id ſanè olim ita interpretabatur Honoratus Archidiaconus Eccleſiæ Salonitanæ, cùm eum Natalis epiſcopus ad ordinem presbyteratûs provehere vellet, non animo honorem augendi id fieri, ſed ex vindictæ cupiditate, qvod Epiſcopum vaſa ſacra ſuis dare parentibus prohibuiſſet. Qvâ de re legi poſſunt inhibitiones Gregorii Magni Pontificis *lib. 2. epiſt. 15. & 16.* Conf. Jac. Sirmond. *ad Apollinar. Sidonii epiſt. ult. lib. 4.*

XX. Eſt verò etiam illud inter abuſûs referendum, qvod in unâ Eccleſiâ ſæpè plures uno hodiè ſint Archidiaconi. Sive enim per πρῶτον, ſive per ἄρχοντος vocabulum iſtud interpreteris, plures ſanè primi & plures principes dari in eodem ordine ſine contradictione non poſſunt. Romæ olim unicum Urbe totâ inter presbyteros archipresbyterum, inter diaconos archidiaconum fuiſſe, ex veterum monumentis adverſus Ciacconium accuratè oſtendit David Blondellus *in apol. pro ſententiâ Hieronymi de Epiſc. & presbyt. ſect. 3. p. m. 225.* Recentioribus verò temporibus non in unâ tantum diœceſi, ſed in unâ etiam Eccleſiâ duo pluresve ordinati fuêrunt. Petr. Gregor. *in ſyntagm. lib. 15. cap. 20. num. 6.* Ita Richardus Archiepiſcopus Cantuarienſis, qvi Thomæ ſucceſſit, in diœceſi ſuâ tres archidiaconatûs, qvæ uno ante contenta fuerat, ordinavit. Matthæ. Parker. *de antiq. Eccleſ. Britann.* Obſervat tamen Nicolaus Boërius *deciſ. 286. num. 1.* in unâ Eccleſiâ cathedrali aut collegiatâ ſi plures fuerint archidiaconatus & aliæ dignitates, non tamen niſi unum nomen gerere Eccleſiæ, reliqvos autem alia ſingularia habere nomina.

XXI. Qvandoqvidem autem tot tantiſqve axiomatibus hodiè inter Pontificios excellit archidiaconatus, (ex qvibus tamen pauciſſima, & ea ferè, qvæ antiqviora ſunt, recenſuimus: de reliqvis autem videri poſſunt Dd. *ad tit. decretal. de offic. archidiac.*) non poſſumus improbare

bare

bare conſvetudinem in Galliâ receptam, ſecundum qvam conferre poteſt princeps archidiaconatum, qvem ſede vacante, vocare contigerit. Ejus meminit Anton. Mornacius *ad l. 6. C. de epiſc.* Qvia enim ea prima eſt dignitas cum jurisdictione, qvæ vicem obtinet vultumqve qvaſi induit abſentis Epiſcopi, intereſt Reip. & ipſius Principis, ſuo conſenſu approbari, ſuâqve autoritate talem conſtitui archidiaconum, qvi munus iſtud in ſalutem tùm Eccleſiæ tùm boni communis ſuſtineat. Vid. Annæ. Robert. *rer. jud. lib. 3. cap. 1.* Petr. de Marca *de concord. ſacerd. & imp. lib. 8. cap. 9.* & qvæ dixi *de jur. majeſt. exercit. 5. num. 60.* Nec obſtat, qvod archidiaconatus curam animarum annexam habeat, idqve negocium videatur extra ſphæram poteſtatis ſecularis verſari, eamqve excedere, qvia non de collatione poteſtatis clavium agitur, qvippe qvam miniſtri Eccleſiæ â Deo accipiunt immediatè, ſed de electione perſonæ miniſterio illi applicandæ. Mornacius curam animarum archidiaconatui impropriè ineſſe dicit, cum ſit nomen juris. Id qvod gratâ mente acceptamus, agnoſcere eum, in Eccleſiâ Pontificiâ miniſteria non tàm ex officio, qvàm ex dignitate æſtimari, qvod alibi perſtrinximus.

XXII. Et hæc de Archidiaconis eorumqve officio nunc ſufficiant. Non dubitamus occupatum id fuiſſe olim in aliis pluribus, ſed qvæ pleraqve nunc ignorantur. Fatetur Innocentius III Pontifex *c. 7. X. de offic. Archidia.* ſuo jam tempore ea penè obliterata fuiſſe. *Conſuluit*, inqvit, *nos tuæ fraternitatis devotio, qvid ad officium Archidiaconi debeat pertinere, & in qvibus per ipſum cura Epiſcopalis ſolicitudinis debeat relevari: & nos, PROUT POSSUMUS, reſpondemus.* Cauſam obſcuræ ejus notitiæ Antonius Dadinus Alteſerra *ibid.* refert ad mutationem, qvæ propter ſuperbiam archidiaconorum intervenit. Ut enim faſtus, qvo in Epiſcopos ſuos inſurrèxerunt, coërceretur, receptum aiunt fuiſſe alibi, ut ad tempus inſtituerentur, alibi, ut in Eccleſiâ Romanâ & Conſtantinopolitanâ, Archidiaconi dignitatem penitus extinctam eſſe, alibi diviſam in plures, & numero vileſceret, & ſic jam Innocentii ætate Archidiaconi officium penè obſoletum, planeqve incertum fuiſſe, qvænam ad id pertinerent. De iſtâ Archidiaconorum πλεονεξίᾳ videri poterit Ivo Carnotenſis *epiſt.* 203.

Caput

Capvt XVIII.

De Subdiaconis.

I. *Subdiaconi in prima Eccleſia nulli, qvare diaconorum ordini fuerint additi.* II. *Eorum munus ex Iſidoro & Juone Carnotenſi deſcriptum.* III. *Ordinatio Subdiaconorum.* IV. *Aliqvando non fuerunt inter ſacros ordines.* V. *Ordo non eſt ſacer, qvi votum caſtitatis non annexum habet.* VI. *Subdiaconi qvando continentiæ votum obſervarint.* VII. *In Sicilia, Hiſpaniaqve.* VIII. *Seculo undecimo Subdiaconus in epiſcopum legi cœpit.* IX. *An Fabianus Subdiaconos primum conſtituerit? Fabiani epiſtola, Damaſi Pontificale, ſcripta conficta.*

1. BReviorés hîc erimus, qvandoqvidem rariora ſunt, qvæ de hoc ordine notanda veniunt. Eos ab initio naſcentis Eccleſiæ non fuiſſe patet ex verbis Urbani II Pontificis qvæ referuntur *cap. 9. X. de æt. & qval. & ord. præf.* *Sacros*, inqvit, *ordines diaconatum dicimus & presbyteratum, HOS ſiqvidem SOLOS primitivâ Eccleſia legitur habuiſſe.* Ratio autem, cur diaconorum ordini additi fuerint Subdiaconi, nata videtur exinde, qvod diaconi ad ſublevandam partem aliqvam miniſterii Epiſcopi & presbyterorum, adhiberi cœperint. Conqveritur enim Hieronymus *ad Ruſticum Narbonenſem*, talia multa diaconis in Romanâ præſertim Eccleſiâ impoſita fuiſſe, præter Apoſtolicam diſciplinam, & præter morem aliarum Eccleſiarum, ut primum & verum diaconorum officium in diaconis fermè obliteratum fuerit. Sic igitur ſubſtituendi, & priſtino diaconorum officio adhibendi fuérunt alii, ſubdiaconi propterea appellati, qvi oblationes fidelium, qvæ pro ſuſtentatione pauperum & miniſtrorum Eccleſiæ contribuebantur, colligebant, & diſtribuebant. B. Chemnit. *ad concil. Trid. part. 2. p. 415.* Si credendum eſt libro Pontificali, inſtituti demum ſunt illi â Fabiano pontifice ſeculo tertio penè adulto, id qvod tamen in dubium vocat David Blondellus *apol. de Epiſc. & presbyt. præfat. pag. 32.*

II. Subdiaconorum officium & munus ita deſcribit Iſidorus apud Gratian. *c. perlectis diſt. 25. Ad ſubdiaconum pertinet calicem & patenam ad*

altare

altare Chriſti deferre, & Levitis tradere, eisq; miniſtrare, urceolum qvoqve & aqvamanile (aqviminale legendum, notat Antonius Contius) *& manutergium tenere epiſcopo: presbyteris & Levitis pro lavandis ante altare manibus aqvam præbere.* Sic ergo non Epiſcopo tantùm & presbyteris, ſed ipſis etiam diaconis inſerviebant ſubdiaconi. Haud paulo prolixiùs eorum officium exponit Ivo Carnotenſis Epiſcopus *ſerm. 2. de Eccleſ. offic. Qvinto loco ordinantur ſubdiaconi, qvi jam miniſterio altaris approximant, qvia vaſa corporis & ſangvinis Chriſti portant. Unde lex continentia eis imponitur, qvatenus impleant illud Profeta: mundamini, qvi fertis vaſa domini, id eſt, ut & ſe ipſos exhibeant vaſa in honorem, non in contumeliam: & vaſa iſta, qvibus miniſtratur corpus domini, deferant ad altare & referant ab altari ad DEI gloriam, ſcilicet, ut fugiant omnem carnis immunditiem. Iſti miniſtrant officiis Levitarum, & in templo Domini oblationes ſuſcipiunt â populis. Ad iſtorum proviſionem pertinet tantum de oblationibus ponere in altari, qvantum poſſit populo ſufficere. Ad horum pertinet officium, corporales, pallas & ſubſtratoria lavare & aqvam in baptiſterium ingerere. Hi cùm ordinantur accipiunt patenam vacuam & calicem vacuum de manu Epiſcopi. De manu verò Archidiaconi accipiunt urceolum cum aqvâ, mantile & manutergium, qvibus mundare debent manus ſacerdos & Levita tractaturi dominica ſacramenta. Hoc officio uſus eſt Dominus, qvando factâ cœnâ cum diſcipulis linteo ſe præcinxit & mittens aqvam in pelvim pedes diſcipulorum lavit & linteo exterſit, &c.* De Salvatore Chriſto qvod addit, ex lepido iſto venit commento, qvod Chriſtus ipſe per omnes ordines tranſierit, cujus aliàs mentionem fecimus. Cæterùm & Iſidori & Ivonis tempore multa jam ſuperſtitio occupaverat Eccleſiam, nec dubium mihi eſt, ſimplicius multo, & ad mandatum divinum accommodatius ab initio fuiſſe ſubdiaconorum officium, & ſucceſſu temporis cum ipſâ Eccleſiâ â priſtinâ illâ ſimplicitate degeneraſſe.

III. Qvod verò de ordinationis ritu refert Ivo, id ex concilio Carthaginienſi IV, *can. 5.* deſumtum eſt, cujus verba refert Gratianus *c. ſubdiaconus diſt. 23. Subdiaconus cum ordinatur, qvia manus impoſitionem non accipit, patenam de manu Epiſcopi accipiat vacuam, & calicem vacuum, de manu verò archidiaconi accipiat urceolum cum aqvâ, mantile & manutergium.* Ubi ſollicita eſt gloſſa, qvî fiat, quod manûs impoſitio hîc denegetur, cùm tamen etiam Lectoribus manus imponatur, ſecundum *c. 1. diſt 69.* & ait, non imponi manum ſuper caput ſubdiaconi, ſicut ſuper caput diaconi vel ſacerdotis, non accipere eum manus impoſitionem conſecratoriam ſed ordinatoriam. Hanc ordi-

dinatoriam manum, ſive manûs impoſitionem Petrus Gregorius *lib. 16. ſyntagm. c. 7. n. 15.* accipit de benedictione, qvam differre volunt â conſecratione, & ita aliqvando diſtingvi cœpit inter χειροθεσίαν ἐυλογίας, & καθιερώσεως, uti *cap. ſeq.* dicturus ſum. Aliter tamen reſpondet Auguſtinus Barboſa *de jur. Eccleſ. lib. 1. c. 37. n. 11.* eo ſcil. tempore, qvo ſubdiaconatus inter ſacros ordines computatus nondum fuit, omiſſam fuiſſe manûs impoſitionem, nunc v. adhiberi, poſtqvâ illis adjungi cœpit. Id qvod inſignem in ordine mutationem arguit. Etſi verò in publicâ renunciatione, approbatione & teſtificatione, ut per eam deſignetur, & ex reliqvo civium cœtu externâ aliqvâ ceremoniâ ſeparetur, qvi ad miniſterium eccleſiaſticum electus eſt, adhibita ab ipſis Apoſtolis manuum impoſitio adhuc in uſu ſit, prorſus tamen neceſſarius ille ritus non eſt, nec ei alliganda eſt gratia divina, ut propterea, cui manus impoſita non fuit, non poſſit habere gratiam, qvæ ad miniſterium neceſſaria eſt, non poſſit peccata remittere, nec conſecrare ſacramentum Corporis & ſangvinis Chriſti.

IV. Fuiſſe tempus, qvo ſubdiaconatus inter ſacros ordines minimè computatus fuerit, & audivimus modò â Barboſa, & confirmatur autoritate Innocentii III, *in c. â multis 9. X. de æt. & qva. l. ord.* itemqve *in c. 7. X. de ſerv. non ordin.* Ego id non impugno, cùm & tempus fuerit, qvo ſacri qvidam ordines, qvos hodiè jactitat Eccleſia Romana, planè non extiterint in rerum naturâ. Dum autem in cauſas inqvirit Barboſa, propter qvas ſubdiaconatus á ſacris ordinibus excluſus fuerit, conjecturis ferè nititur, & principia ſibi fingit nusqvam probata. Ait, ſtatuere qvosdam, ideò ſubdiaconatum ſacris ordinibus annumeratum non fuiſſe, qvia in Concilio Laodiceno *c. 21.* prohibiti fuerint ingredi in ſacrarium & dominica vaſa contingere. Hanc verò rationem nec ſubſiſtere, nec veram eſſe, cùm traditio & tactus ſacrorum vaſorum ſit materia hujus ſacramenti, nec ergo prohiberi eos potuiſſe, ne materiam hanc utpote eſſentialem ordinationis ſuę partem attingerent. Etſi verò ipſa etiā hæc materia conficta ſit, verum tamen eſt, qvod ait Barboſa, ex iſto Laodiceni Concilii canone probari id non poſſe, cum de calice & patenâ, in qvibus elementa corporis & ſangvinis Chriſti continentur, accipi debeat. *Canon*, inqvit Balſamon *ad eund. prohibet ea, qvæ ad diaconos pertinent, aggredi, ſeu ſacra vaſa tangere, ſcil. corporis & ſangvinis Chriſti. Neq; enim dixeris, non debere eos ſacra vaſa tangere, ſeu ſacrum calicem & ſacram patinam, cùm ſunt inanes.* Conf. Severin. Bin. *ad vit. Xiſti Papæ I.*

V. Barboſa igitur excogitat aliam rationem, ordinem ſcil. ſacrum dici illum, qvi habet annexum votum caſtitatis,

ſtitatis, & non ſacrum illum, qvi hujusmodi votum annexũ non habet; Subdiaconatum autem primis temporibus ad votum caſtitatis non fuiſſe alligatum, nec ſacrum ergò tum ordinem fuiſſe. Fundari videtur iſta ratio in verbis Urbani II, qvæ recenſentur *d.c.9. X. de æt. & qval.ord.* ubi utrumqve iſtud, tùm relatio ſubdiaconatûs inter ſacros ordines, tùm etiam votum caſtitatis, cui ille alligari debeat, conjungitur, & hoc veluti annexum illi & inſeparabile habetur. Sed enim qvid de voto caſtitatis ſentiendum ſit, ſupra abunde expoſuimus, laudamusqve integritatem, & bonam fidem Gratiani, qvi *c. fors 26. q.2.* agnovit, copulam ſacerdotalem nec legali nec evangelicâ, vel apoſtolicâ autoritate prohiberi, ſed Eccleſiaſticâ lege interdici. Qvæ verba Canoniſtis ſunt ſudes in oculis, adeò ut eis non eſſe credendum planè ἀλόγως aſſerant. Suffragatur Thomas de Vio Cardinalis Cajetanus *opuſc. Tom.1.op.27. Nec ratione nec autoritate probatur, qvod abſolutè loqvendo ſacerdos peccet contrahendo matrimonium, qvin potiùs & ratio ad oppoſitum ducit: qvoniam ut patet in 37. diſt. 4. ſent. nec ordo, in qvantum ordo, nec ordo ſacer, in qvantum ſacer eſt impeditivus matrimonii: & in Eccleſiâ occidentali olim diaconi poterant contrahere matrimonia.*

VI. Sed nec tùm tamen, poſtqvam continentiæ votum â ſubdiaconis exigi cœpit, ubiqve locorum id impetrari potuit, nec obſcurè prodit Gregorius Magnus apud Gratianum *c. ante diſt. 31.* morē iſtum (ita vocat,) primum introductum fuiſſe in Eccleſiâ Romanâ, improbatqve imitationem Siculorum præproperam, qvod cùm nullum adhuc â ſubdiaconis Siciliæ emiſſum ſit caſtitatis votum, ab Vxoribus ſuis abſtinere jubeantur. *Ante triennium,* inqvit, *omnium Eccleſiarum ſubdiaconi Siciliæ prohibiti fuerant, ut more Romanæ Eccleſiæ ſuis Vxoribus nullatenus miſceantur, qvod mihi durum atq; incompetens videtur, ut qvi uſum continentiæ non invenit, neqve caſtitatem promiſit, compellatur â ſuâ Vxore ſeparari, atqve per hoc, qvod abſit, in deterius cadat. Unde mihi videtur, ut â præſenti die Epiſcopis omnibus dicatur, ut nullum facere ſubdiaconum præſumant, niſi qvi ſe victurum caſtè promiſerit, qvatenus & præterita mala, qvæ propoſito mentis appetita non ſunt violenter non exigantur, & futura mala cautè caveantur. Qvi verò poſt eandem prohibitionem qvæ ante triennium facta eſt, continenter cum ſuis Vxoribus vixerunt, laudandi atq; remunerandi ſunt, & ut in bono permaneant, exhortandi. Eos autem, qvi poſt prohibitionem factam â ſuis ſe Vxoribus continere noluerint, ad ſacrum ordinem nolumus promoveri: qvia nullus debet ad altaris miniſterium accedere, niſi cujus caſtitas ante ſuſceptum miniſterium fuerit approbata.*

VII. Noluit Gregorius ſubdiaco-

nos, qvi uſum conjugii retinuerant, illicò exauctorari,ſed nec ad ſuperiores gradûs conſcendere permiſit,& ne in poſterum qvisqvam, niſi qvi abſtinentiam& caſtitatem promiſiſſet,ſubdiaconus crearetur, ſancivit. Ex qvo illud inprimis obſervatum velim, inſtitutum Romanæ Eccleſiæ de continentiâ & caſtitate Clericorum difficulter admodum fuiſſe admiſſum in aliis provinciis & territoriis. Integrum ferè elapſum erat ſesqviſeculum,ex qvo Leo Papa primus ſubdiaconis continentiam imperaverat. Sanctio iſta legitur *in epiſtolâ ejus 84.* qvæ eſt ad Anaſtaſium Theſſalonicenſem Epiſcopum. In Siciliâ tamen Romæ tam vicinâ usqve ad Gregorium M. nihil tale obtineri potuit,& coactus fuit ipſe Gregorius temperare rigorem illum ab Epiſcopis Siculis in ſubdiaconos ſuos uſurpatum.Et obſervat inſuper Baronius *ad an.589.n.48.*non in Siciliâ tantùm, ſed & in Hiſpaniâ continentiam ſubdiaconis minimè ante iſta tempora imperatam fuiſſe, idqve probari ſibi putat,ex canone qvinto Concilii Toletani eo anno habiti, qvod tertium vulgò dicitur,ubi ſacerdotes tantùm atqve diaconi absqve Vxoribus caſte vivere admonerentur.

VIII. Etſi verò obtenta tandem â ſubdiaconis caſtitatis & continentiæ promiſſio fuit, qvo jure, qvâve injuriâ,nunc non diſputo, etſi etiam ſubdiaconatus ſacris ordinibus deinceps annumerari cœpit, difficulter tamen & anno demum MXCI,ab Urbano II,permiſſum fuit,ut ſubdiaconus in Epiſcopum eligi poſſet. Nempe ad id usqve tempus presbyteri tantùm aut Diaconi ad Epiſcopatum admiſſi fuerunt. Cùm verò tempore Urbani II, in concilio Beneventano, (cujus canones edidit Stephanus Baluzius *in addit. ad Petr. de Marca de concord.ſacerdot.& imp.l.8. c.13.*) disqvireretur, an non etiam ſubdiaconis honor ille conferri poſſet, placuit Epiſcopis & Abbatibus cum Pontifice ibi congregatis,etiam hos admitti poſſe, non tamen niſi rariſſimè, & cum conſenſu ſuperioris ſive Pontificis Romani ſive Metropolitani. Verba refert Gratianus *c. 4.diſt.60.* qvæ ita ſe habent: *Nullus in Epiſcopum eligatur, niſi in ſacris ordinibus religiosè vivens fuerit inventus. Sacros autem ordines dicimus diaconatum & presbyteratum. Hos ſiqvidem ſolos primitiva legitur habuiſſe Eccleſia. Subdiaconos verò qvia & ipſi altaribus miniſtrant, opportunitate exigente concedimus, ſi tamen ſpectatæ ſint vitæ, religionis & ſcientiæ. Qvod ipſum non ſine Romani Pontificis vel cum Metropolitani ſcientiâ fieri firmiter permittimus, &c.* Cùm verò nihilominus poſt integrum ab Urbano ſeculum, tempore Innocentii III, adhuc dubitaretur, num ſubdiaconus capax honoris Epiſcopalis eſſet, Pontifex adducto hoc Urbani decreto,in eandem ſententiam ivit, & deciſione ſuâ dubitationem omnem ſuſtu-

ſuſtulit, *c. 9. X. de æt. qval. & or. præf.*

IX. Tandem verò & hoc obſervandum eſt, Fabiano Pontifici vulgo adſcribi, qvod fecerit ſeptem ſubdiaconos, qvi ſeptem notariis imminerent, ut geſta martyrum in integrum colligerent. Atqve id non tantùm in libro Pontificali refertur; ſed etiam ipſe de ſe totidem verbis jactitat Fabianus *in epiſt. 1.* Nempe Clemens Romanus Pontifex (ita fertur) certos conſtituit notarios, qvi res à martyribus privatim aut publicè geſtas deſcriberent. Ea deinceps acta Pontifex Antherus diligenter conqviſivit, & ne vel interirent, vel ab Ethnicis corrumperentur, in Eccleſiâ recondidit. Hæc ita ſanctè creduntur in Eccleſiâ Latinâ. Sed cùm tota Fabiani epiſtola confictа ſit, uti eleganter oſtendit David Blondellus *in Pſeudoiſidor. p. 286.* & Pontificale Damaſi tale non ſit, ut cum eo velis in tenebris micare, vix erit, ut aſſertū iſtud inter homines libertati ſuæ relictos fidem inveniat. Qvàm depravata & corrupta, qvibuſqve fabulis & mendaciis referta ſint martyrologia, inter eruditos conſtat, & videri obiter poterit Johannes Dallæus *de vero uſu Patr. cap. 4.* Fatetur ipſe Melchior Canus *loc. Theol. lib. 11. c. 6. Dolenter*, inqvit, *dico potius qvàm contumelioſè, multo à Laërtio ſeveriùs vitas philoſophorum ſcriptas, qvàm à Chriſtianis vitas ſanctorum, longeq; incorruptius & integrius. Svetonium res Cæſarum expoſuiſſe, qvàm expoſuêrunt Catholici non res dico Imperatorum, ſed martyrum, Virginum & Confeſſorum.*

Caput XIX.

De Diaconiſſis.

I. *Duplex Diaconiſſæ ſignificatus.* II. *Ita dicta, qvod nupta olim fuerit.* III. *Diaconiſſæ jam in Eccleſia Apoſtolica conſtitutæ.* IV. *Teſtimonio Scripturæ pariter & Clementis Alexandrini Tertullianiqve.* V. *Plinius miniſtras adpellat.* Πρεσβύτιδες, προκαθήμεναι. VI. *Etiam ſervæ huic miniſterio deſtinatæ.* VII. *Earum in Eccleſia officium,* VIII. *ex Epiphanio indicatur.* IX. *In balneis qvoq; miniſtrarunt.* X. *Ipſis Januarum in Eccleſia concredita fuit cuſtodia.* XI. *Interpretes negotiorum inter epiſcopum & mulieres.* XII. *Captivis & peregre adventantibus præſto erant.* XIII. *Curam ægrotantium*

tantum habebant. XIV. *Diaconiſſæ Conſtantinopolitanæ.* XV. *In conſilium de rebus domeſticis adhibitæ.* XVI. *Hinc ætate provectiores in iſtum lecta ordinem.* XVII. *Quare juniores hoc munere fuerint excluſæ?* XVIII. *Lex Theodoſii qvinqvageſimum reqvirit annum.* XIX. *Concilium Calchedonenſe qvadrageſimum.* XX. *Ratio diverſitatis ex Nic. Rodriguez Fermoſino.* XXI. *Qvi eam ex Græcis hauſit.* XXII. *Aliqvando nullæ virgines factæ ſunt diaconiſſæ.* XXIII. *Veteres vocabula viduæ virginisqve promiſcue uſurparunt.* XXIV. *Semel in diaconiſſam electa nubere prohibebatur, vitam in caſtitate tranſactura.* XXV. *Baſilii de hac re ſententia,* XXVI. *item Patrum in Concilio Chalcedonenſi,* XXVII. *Juſtiniani, Viri συνετωτάτου.* XXVIII. *Ratio in diaconiſſarum numerum recipiendi. Duplex* Χειροθεσία, *εὐλογίας καὶ καθιερώσεως.* XXIX. *Conſecratio qvoqve diaconiſſis adplicata.* XXX. *An Eccleſiaſticis, an Laicis perſonis, accenſendæ ſint diaconiſſæ.* XXXI. *Baronii πάρεργμα. Synodus Nicæna adſerta,* XXXII. *& explicata.* XXXIII. *Duæ diaconiſſarum ſpecies.* XXXIV. *A Canoniſtis inter Laicos communiter referuntur.* XXXV. *Propter inſolentiam & majorum affectationem placuit in Conciliis aliqvot hunc ordinem prorſus abolere.* XXXVI. *Canon Concilii Arauſicani I vigeſimus ſextus.* XXXVII. *In occidente deſinens diaconiſſarum ordo, retinetur diutius in Oriente.* XXXVIII. *De hereditate diaconiſſarum Theodoſii Conſtitutio.* XXXIX. *Cur voluerit pauperibus ex diaconiſſarum teſtamentis nihil adqviri.*

I. Diaconiſſæ vocabulum ambiguum eſt. Aliqvando enim ſignificat Diaconi Uxorem, qvæ & diacona dicitur, qvemadmodum Epiſcopi Uxor epiſcopa, & presbyteri presbytera. In Concilio Turonenſi II, *c. 14.* ſtatutum legitur: *Epiſcopum epiſcopam* (h. e. conjugem, uti patet ex can. præced.) *non habentem nulla ſeqvatur turba mulierum, &c.* Et *can. 20. Si inventus fuerit presbyter cum ſuâ presbyterâ, aut diaconus cum ſuâ diaconiſſâ, aut ſubdiaconus cum ſuâ ſubdiaconiſſâ, annum integrum excommunicatus habeatur.* Ita & in Concilio Antiſiodorenſi *c. 21. Non licet presbytero in uno lecto poſt acceptam benedictionem cum presbyterâ ſuâ dormire, nec in peccato carnali miſceri, nec diacono, nec ſubdiacono* (ſc. cum ſuâ diaconiſſâ & ſubdiaconiſſâ.) Taliter etiam accipitur presbytera apud Gratianum *c. pen. diſt. 32.* Et in concilio Romano I, ſub Gre-

Gregorio II, *c. 1. & 2.* utrumqve vocabulum presbytera & diacona in tali ſignificatu invenitur. Aliqvando autem & in ſignificatu qvidem Eccleſiaſtico uſitatiùs denotat fœminam viduam ætate jam provectam, & in Eccleſiâ qvalecunque miniſterium ſuſtinentem.

II. Secundum priorem vocis acceptionem nolumus nunc de diaconiſſis diſqvirere. Id tamen ex allegatis canonibus patet, diaconiſſam dici non ideò, qvod matrimonio juncta ſit Diacono, ſed qvod juncta fuerit. Qvamprimùm enim diaconus ordinem ſuſcipiebat in Eccleſiâ Latinâ ſeqviore, abſtinere jubebatur matrimonii uſu. Qvàm benè, ſupra ſpeciali tractatione expoſitum eſt. Diaconiſſa igitur dicebatur, qvæ nupta olim fuerat illi, qvi nunc factus eſt diaconus, cuiqve poſt diaconatum ſuſceptum miſceri ampliùs carnali conjunctione prohibetur. Atqve adeò in priſtini matrimonii memoriam mulier talis ex præſenti mariti olim ſui ſtatu nomen accipiebat, ut diaconiſſa vocaretur, qvæ tamen diaconi Uxor amplius non erat, ſed qvaſi hoſtis ab eo caveri debebat. *d. c. pen. diſt. 32.* hoc unicum ſcilicet in ſolatium ſuum habitura, quod ex dignitate mariti noviter acquiſitâ ſtricturam aliquam ſibi communicatam ſentiret, quodque exinde inter mulieres prærogativam aliquam & προεδρίας jus jactare poſſet. Conf. Baron. *ad ann. 34. num. 289.*

III. Potius eſt, ut in poſteriore vocis ſignificatu, qui ſecundum Eccleſiæ inſtituta proprius magis eſt & uſitatior, rem aggrediamur. Ubi ante omnia circa originem obſervandum venit, antiquiſſimam eam eſſe, & diaconiſſas in ipsâ Eccleſiâ Apoſtolicâ jam tùm fuiſſe conſtitutas. Paulus in epiſt. ad Rom. *cap. XVI, 1.* Phœben mulierem ex tali miniſterio commendat. *Commendo*, inquit, *vobis Phœben ſororem noſtram, qvæ eſt in miniſterio Eccleſiæ, qvæ eſt in Cenchris.* Cenchreæ Corinthiis parebant. Dicebatur ita prorſus eorum & ſita in eo civitas ad ſinum Saranicum. Vid. Strabo, Pauſanias & alii. Phœbe igitur, quæ Eccleſiaſticum illic loci officium gerebat, διάκονος dicitur Paulo. Origenes ita commentatur: *Hic locus Apoſtolicâ autoritate docet, etiam fœminas in miniſterio Eccleſiæ conſtitui.* Et paulo poſt: *Locus hic duo pariter docet, & fœminas in Eccleſiæ miniſterio conſtitui, ſive miniſtras in Eccleſiâ haberi, & tales in miniſterium adſumi debere, qvæ adſtiterint multis, & per bona officia ad eam uſqve laudem meruerint pervenire, qvâ religioſam Phœben Apoſtolus proſeqvitur.* Eò referunt nonnulli, qvod idem Paulus ait *1. Timoth. V, 9. Vidua eligatur non minus ſexaginta annorum, qvæ fuerit unius Viri Uxor, in operibus bonis*

nis teſtimonium habens, ſi filios educavit, ſi hoſpitio recepit ſi ſanctorum pedes lavit, ſi tribulationem patientibus ſubminiſtravit, ſi omne opus bonum ſubſecuta eſt.

IV. De hoc Apoſtolorum inſtituto ita loqvitur Clemens Alexandrinus *lib. 3. Strom. Paulus qvidem certè non veretur in qvâdam epiſtolâ ſuam appellare conjugem, qvam non circumferebat qvod non magno ei eſſet opus miniſterio. Dicit itaq; in qvâdam epiſtolâ: Non habemus poteſtatem ſororem mulierem circumducendi, ſicut & reliqvi Apoſtoli: Sed hi qvidem, ut erat conſentaneum, miniſterio, qvod divelli non poterat, prædicationi ſcil. attendentes, non ut Uxores: ſed ut ſorores circumducebant mulieres, qvæ una miniſtratura eſſent apud mulieres, qvæ domos cuſtodiebant, per qvas etiã in gynæceum abſq; ullâ reprehenſione malave ſuſpicione, ingredi poſſet doctrina Domini.* Et Tertullianus *lib. 1. ad Uxor. c. 7. Qvantum detrahant fidei, qvantum obſtrepant ſanctitati nuptiæ ſecundæ, diſciplina Eccleſiæ & præſcriptio Apoſtoli declarat, cùm digamos non ſinit præſidere, cùm viduam adlegi in ordinem, niſi univiram, non concedit.*

V. Plinius *in relatione ad Trajanum lib. 10. epiſt. 97.* miniſtros eos vocat: *Qvo magis*, inqvit, *neceſſarium credidi, ex duabus ancillis, qvæ miniſtræ dicebantur, qvid eſſet veri & per tormenta qværere.* Concilium Laodicenum *can. 11.* eas vocat πρεσβύτιδας, h. e. viduas ſeniores. Hoc tamen vocabulum non omnibus diaconiſſis tributum fuiſſe, ſed illis tantùm, qvi eſſent γεροντεραι, vetulæ, colligi poteſt ex verbis Epiphanii *hæreſ. 79.* ubi & πρεσβύτιδας atqve πρεσβυτερίδας diſtingvit. Παρατηρητέον δὲ, inqvit, ὅτι ἄχρι διακονισσῶν μόνον τὸ ἐκκλησιαστικὸν ἐπιδεῆθη τάγμα, χήρας τε ὠνόμασε, καὶ τούτων τὰς ἔτι γραοτέρας πρεσβύτιδας, οὐδαμοῦ δὲ πρεσβυτερίδας, ἢ ἱερίσσας προσέταξε. *Obſervandum eſt diaconiſſis Eccleſiaſticum ordinem indiguiſſe, qvas etiam viduas nominavit, & ex his adhuc ætate provectiores ſive aniculas, πρεσβύτιδας, nuſqvam autem presbyteras aut ſacrificulas conſtituit.* Eædem in dicto canone Laodiceno vocantur προκαθήμεναι, qvod certam ſedem haberent in Eccleſiâ, non longè fortè à templi foribus, uti infra dicetur.

VI. Ex adducto Plinii loco etiam id patet, non liberas tantum perſonas, ſed ſervas etiam & ancillas huic miniſterio deſtinatas fuiſſe, qvia ſcil. in regno Chriſti differentia inter ſervum & liberum nulla eſt, *Coloſſ. III, 11.* cùm in uno Spiritu & in unum corpus omnes baptizati ſint, ſervi, ſive liberi, *1. Cor. XII, 13.* Etſi autem jure Romano qvæſtionem in criminalibus de ſervis contra dominos habere regula iter non liceat, niſi in certis caſibus, *l. 1. C. de quæſt.* qvia id indignum videtur eſſe, & Domini morte

morte ipsâ triſtius, uti loqvitur Cicero *orat. pro Milone*, ſive ut habet Theophilus, qvia φύσει ὁ δοῦλος τοῦ δεσπότου πολέμιος, nec oportet in rebus dubiis ſalutem dominorum ſervorum arbitrio committi. JCt. Paulus *lib. 5. ſent. tit. 16.* ſervum tamen univerſitatis ſive corporis in caput civium aut ſingulorum, qvi ſunt de illo corpore, torqveri poſſe, ſcribit Ulpianus *in l. 1. §. 7. ff. de qvæſt.* Habuit igitur Plinius ejuſmodi diaconiſſas pro ancillis totius corporis ſive Eccleſiæ Chriſtianæ, cauſamqve Chriſtianorum pro tali, in qva qvæſtio optimo jure adhiberi poſſet. Cumq; JCtorum regula hæc ſit, incipiendam eſſe qvæſtionem ab eo, à qvo facillimè ſciri verum judex crediderit *l. 1. §. 2. ff. de qvæſt.* aut ab eo qvi timidior eſt vel teneræ ætatis videtur. *l. 18. pr. ff. eod.* putavit Plinius, per ſexum infirmiorem faciliùs prodi poſſe, qvod ſubeſſe credebatur, crimen, & ſic ancillas iſtas qvæſtioni ſubjecit. Qvid verò exqviſiverit, qvid invenerit, ſeqventia ejus verba docent, qvæ legi poſſunt.

VII. Miniſterium ipſum & officium diaconiſſarum non videtur fuiſſe uniuſmodi. Qvale autem fuerit, omnibus ferè hodiè ignotum eſt, inqvit Matthæus Blaſtares *in ſyntag. lit.* Γ. *cap. 11.* In Concilio Carthaginienſi IV. *can. 12.* hoc illis concreditum fuit munus, ut mulieres baptizandas inſtruerent atqve docerent, qvid reſponderi debeat baptizatori, qvâve ratione poſt baptiſmum vita inſtituenda ſit. *Viduæ vel ſanctimoniales, qvæ ad miniſterium baptizandarum mulierum eliguntur, tàm inſtructæ ſint ad officium, ut poſſint aptè & ſano ſermone docere imperitas & ruſticas mulieres tempore, qvo baptizandæ ſunt, qvaliter baptizatori interrogatæ reſpondeant, & qvaliter accepto baptiſmate vivant.* Id munus in Orientali potiſſimum Eccleſiâ viguiſſe ab Hieronymo diſcimus, qvi in *epiſt. ad Rom. cap. 16.* ita ſcribit: *Sicut etiam nunc in Orientalibus diaconiſſæ mulieres in ſuo ſexu miniſtrare videntur in baptiſmo & miniſterio verbi: qvia privatim docuiſſe fœminas invenimus, ſicut Priſcillam, cujus Vir Aqvila vocabatur.* Id igitur, qvod in orientali receptũ erat Eccleſiâ, in ſuâ etiam, qvæ ad occidentalẽ ſpectabat, ipſo eo, qvo Hieronymus florebat, tẽpore recipi voluit Eccleſia Africana.

VIII. Aliud earum officium commemorat Epiphanius *d. l.* qvando ait: *Miniſtrarum qvidem diaconiſſarũ appellatarum ordo eſt in Eccleſiâ, ſed non ad ſacrificandum, neq; ut qvicqvam aggredi permittantur, verùm reverentiæ gratiâ muliebris generis, aut propter horam balnei, aut viſitationis affectionis, aut laboris* (in Græco eſt, ἢ δι᾽ ὥραν λουτροῦ, ἢ ἐπισκέψεως πάθους, qvando ſcil. propter morbum corpus inſpiciendum eſt, ἢ πόνου) *Et qvando nudatum fuit corpus mulieris, ut ne à Viris ſacrificantibus conſpiciatur, ſed à miniſtrante mu-*

liere, cui præcipitur à Sacerdote, ut curam gerat ad tempus indigentiæ mulieris in tempore denudationis corporis ipſius, ita ut ordo bonæ diſciplinæ & Eccleſiaſticæ bonæ conſtitutionis, valdè ſcientificè munitus ſit, in menſurâ regulæ. Si rectè percipio mentem Epiphanii, videtur ille digitum intendiſſe ad ritum veteris Eccleſiæ, qvo denudari oportuit corpora baptizandorum. Exuebant enim illi veſtimenta, & nudi in lacum ſive fontem eo fine conſtructum deſcendebant, ibiqve toti aquis mergebantur, & qvidem ter mergebantur, & ter emergebant, & tandem è lacu adſcendebant. Cum igitur mulieres ante baptiſmum eſſent lavandæ, ungendæ, (unctos enim fuiſſe baptizandos à ſummis capillis ad ima docet Cyrillus Hieroſolymitanus *catecheſi myſtagogicâ 2.*. Et primam qvidem unctionem, qvæ in fronte fit à diacono, reliqvas à diaconiſsâ perfici debere dicitur in *conſtitut. Apoſtol. l. 3. c. 15.*) immergendæ, ne ſacerdotũ oculi læderentur, præſto aderant hæ viduæ, qvæ iis omnibus manum admovebant. Et tum demum, qvando ita præparatæ erant mulieres, qva ratione maſculi etiam à diaconis præparabantur conferri à ſacerdote ſolebat baptiſmus. Et hoc eſt, qvod dicit Juſtinianus Imp. *novell. 6. c. 6.* debere diaconiſſas ad ſacrum venire miniſterium & adorandis miniſtrare baptiſmatibus, & aliis adeſſe ſecretis, qvæ in venerabilibus miniſteriis per eas ritè aguntur.

IX. Ex eodem Epiphanii loco diſcimus, non in rebus ſacris tantùm & religionis ritibus operam ſuam præſtitiſſe iſtas diaconiſſas, ſed etiam in rebus domeſticis, videlicet in balneo, aut qvando propter morbum aliqvem corpus vel inſpiciendum vel curandum fuerit. Qvod idem repetit Epiphanius *in compend. doctrin. de fid. Eccleſ. Sed & Diaconiſſæ conſtituuntur in miniſterium mulierum ſolum, propter reverentiam, ſi opus fuerit balnei gratiâ, aut viſitationis & inſpectionis corporum.* Qvod de balneis ait, id non de voluptuariis illis intelligendum eſt, qvæ inter delicias & luxus inſtrumenta commemorari à bonis autoribus ſolent, qvibuſve vix adhibitæ ejuſmodi mulieres ab honeſtâ converſatione & vitæ integritate conſpicuæ, ſed ἂν χρεία καταστῇ λουτροῦ ἕνεκα, ſi balneum neceſſarium fuerit, fortè propter affectum & conſtitutionem corporis, cui medendo neceſſarium erat miniſterium fœminarum, atque illarum potiſſimùm, qvæ autoritate publicâ ad id munus deſtinatæ erant.

X. In Eccleſiis ipſis & cœtu fidelium hoc fuit earum officium, uti commentatur Zonaras *ad can. 11.* Concilii Laodiceni, edoctus ita, ni fallor, ab autore Conſtitutionum Apoſtolicarum *lib. 2. cap. 57.* qvod ingredientibus in Eccleſiam fœminis, veluti magiſterio qvodam fungentes, præeſſent, ac ſuo quamque ordine

dine ritè conſiſtere juberent, & quo quamqꝫ loco quove modo unicuique ſtandum eſſet, docerent. In qvem finem ſine dubio januarum, quâ mulieres Eccleſiam ingrediebantur, cuſtodia concredita erat, ſi credendum Conſtitutionibus Apoſtolicis *lib. 8. cap. 28.* ubi dicitur: *Diaconiſſa non benedicit, neq; facit aliqvid eorum, qvæ presbyteri aut diaconi faciunt, niſi qvod januas cuſtodit, & presbyteris miniſtrat, cùm mulieres baptizantur, idq; propter decorum & honeſtatem.* Repetitur in jure Græco-Romano *in ſchol. ad tit. 4. ſect. 2. Epit. S. can.* Eodem pertinent verba epiſtolæ ad Antiochenos Ignatio perperam adſcriptæ: Ἀσπάζομαι τὰς φρουροὺς τῶν ἁγίων πυλώνων, τὰς ἐν Χριστῷ διακόνους. *Saluto cuſtodes ſanctarum portarum diaconiſſas, qvæ ſunt in Chriſto.* Ad quem locum videri poterunt, qvæ notat Jacobus Uſſerius Archiepiſcopus Armachanus *pag. 109.* Et ſub tali ſchemate comparat eas Claudius Eſpencæus Theologus Pariſienſis *lib. 1. digreſſ. cap. 17.* mulieribus in oſtio tabernaculi excubantibus, de quibus agitur *Exod. XXXVIII, 8.*

XI. Porrò, ſi qua mulier alia cum Epiſcopo, aut vice verſâ Epiſcopus cum muliere negocium haberet, interpretes erant hæ diaconiſſæ, ſuamque tùm operam interponebant, ne quid ſuſpecti ex tractatibus iſtis ab vulgo colligeretur. Sic enim loquitur autor Conſtitutionum Apoſtolicarum *lib. 3. cap. 15. Eliges qvoq; diaconiſſam fidelem & ſanctam ad miniſtrandum mulieribus. Evenire enim ſolet aliqvando in qvibuſdam domibus, ut non poſſis propter infideles mittere diaconum ad mulieres, mittere verò poſſis diaconiſſam propter cogitationes improborum, ad multa enim indigemus diaconiſſâ, &c.* Et *lib. 2. c. 26. Diaconiſſam honorate, ut repræſentet vobis Spiritum S. nihilve ea agat aut loqvatur abſq; diacono, ſicut neq; Spiritus S. qvicqvam privatim agit aut loqvitur; qvin potiùs ad honorem Chriſti voluntatem ejus ſpectat, & ut non contingit credere in Chriſtum ſine doctrinâ Spiritus S. Sic ad Diaconum aut Epiſcopum nulla mulier ſine diaconiſſâ accedat, &c.* Hæc tamen comparatio vix eſt, ut tolerari qveat. Nec infrequens eſt iſti autori, plurimas tales ineptias ex ingenio ſuo cominiſci, eaſq; ſuppoſitio ſuo operi ſubinde inſerere.

XII. Præſtabant verò diaconiſſæ etiam alia charitatis officia, erga captivos, peregrè advenientes, ægrotantes, alioſqve, quibus ope & conſilio ſuccurrebant. De captivis celebre eſt teſtimonium Luciani, hominis blaſphemi & omnium religionũ acerrimi contemtoris, in diſſertatione, quam *de morte Peregrini* conſcripſit. Peregrinus ille Philoſophus Chriſtianam religionem aliquandiu ſecutus & ob eam in carcerem conjectus fuerat. Id cum retuliſſet Lucianus ita pergit: *Chriſtiani hanc rem graviter & indignè ferentes nullam*

non impendebant operam & planè movebant omnia tentantes ſi qvo modo illum furtim poſſint eripere. Deinde animadvertentes hunc conatum fruſtra eſſe nihil tamen ex altero, qvo captivus egebat, obſeqvio intermittebant, verùm omnia cum magnâ fide & diligentiâ præſtabant. Ac manè qvidem illicò videre erat juxta carcerem præſtolantes anus viduas qvaſpiam, γραΐδια, χήρας τινᾶς. ---- *Exin omnis generis cœnæ inferebantur variæ, ac ſacri inter ſeſe ſermones dicebantur, &c.* Viduæ illæ ſine dubio erant diaconiſſæ. Qvemadmodum enim inter alia officia diaconis etiam hæc cura incubuit, ut captivis præſto eſſent, ſuamque operam addicerent: ita etiam diaconiſſas ſimilem curã in ſe ſuſcepiſſe certum eſt, nec dubito, minore cum periculo diaconiſſas munus illud expedire potuiſſe, qvam diaconos ipſos, qvibus maxima ſæpè tempeſtas imminuit.

XIII. De ægrotantibus & infirmis, ut per diaconiſſas obſervati fuerint, unicum nobis ſufficit teſtimonium Hieronymi *ad Nepotianum: Qvod ſi hujuſmodi non fuerint conſangvinitatis, caſtimoniæq; perſonæ, multas anus nutrit Eccleſia, qvæ & officium præbeant, & beneficium accipiant miniſtrando (ægrotanti) ut infirmitas qvoqve tua fructum habeat eleemoſynæ.* Certè ad curam ægrotantium illi potiſſimùm adhibendi ſunt, qvi medicorum præcepta & ordines exeqvi velint & poſſint, docetque uſus & experientia, mulieres admodum idoneas in eam rem eſſe. Thomas Actius *de infirm. part. 1. cap. 46. n. 7.* Inde noſocomia ante penitus ignota Chriſtianorum Pontificum rogatione à principibus fundari & conſtitui cœpérunt, uti patet ex *tit. C. de Epiſc. & Cler.* in iiſqve vel mulieres curandis ægrotis deſtinatæ, vel parabolani, ita dicti, qvod neglecto omni periculo ſuæqve ſalutis immemores infirmis curandis operam navarent. *l. 17. & 18. C. de Epiſc. & Cler.* Jacob. Gothofred. *ad l. 42. C. Theod. de Epiſc.* Alciat. *l. 4. diſpunct. c. 9.*

XIV. Ab hoſpitalitate Chryſoſtomus valdè commendat Olympiadem mulierem, nomine, generis ſplendore, opibus, multarum diſciplinarum peritiâ, ingeniiqve dexteritate inſigniter ornatam, qvod, cùm menſes circiter viginti in matrimonio vixiſſet, incorrupto deinceps pudore vidua & in ætatis adhuc flore conſiſtens, nuptias iteratas ſpreverit, & in religioſæ vitæ exercitio tantum promoverit, ut digna judicaretur, qvæ in Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ diaconiſſam ordinaretur. *Eam,* ait, *non ſe tantùm, ſed &, qvotqvot Conſtantinopolin veniſſent, Epiſcopos, monachos, ſanctos patres & Viros religioſos hoſpitio excepto apprehensâ dexterâ liberaliter atqve benignè tractaſſe.* In jam dictæ Civitatis Diaconiſſarum numerum relatas tùm fuiſſe Proculam, Pentadiam, Sylvanam, honeſtas mulieres, Conſulari genere

re prognatas, illuſtrium Virorum viduas comemorant, qvi vitam Chryſoſtomi ſcripſerunt, eaſqve ajunt à Viro ſancto jamjam in exilium abituro, in baptiſterium vocatas, & ne qva illarum ab conſvetâ ſuâ in Dei Eccleſiam benevolentiâ deſiſteret, multis cum precibus admonitas fuiſſe. Fuit & Nicareta Virgo, qvæ ſimilia charitatis officia plenâ manu præſtabat, qvanqvam illa in diaconiſſarum numero non eſſet, nec ut honorem iſtius nominis ſuſciperet, perſvaderi à Chryſoſtomo poſſet.

XV. Fuerunt inſuper tales diaconiſſæ adhibitæ ſæpè in conſilia, ut ſententiam ſuam in rebus ad privatam cujuſqve vitam pertinentibus exponerent, inprrimis ſi de matrimonio ineundo negocium eſſet, ne qva temerè Viro jungeretur, qvem fugere debuiſſet. Ejus rei veſtigium inveniſſe ſe putat Gabriel Albaſpinæus *lib. 1. obſervat. 24.* in verbis Tertulliani *ex lib. de monogamiâ c. 11. Ut igitur in Domino nubas ſecundum legem & Apoſtolum, (ſi tamen vel hoc curas) qvalis es id matrimonium poſtulans, qvod eis à qvibus poſtulas, non licet habere, ab Epiſcopo monogamo, à presbyteris & diaconis ejuſdem Sacramenti, à Viduis, qvarum ſectam in te recuſaſti.* Hæc verba non malè explicat Albaſpinæus, qvod *petere maritum à Viduâ* nihil aliud ſit, qvàm ei nubendi conſilium exponere, cumqve eâ de futuri Conjugis moribus, & vivendi conſvetudine communicare, ut ſi honeſti & à Chriſtianâ fide minimè alieni viderentur, ſalvâ religione, & majore cum fiduciâ nubere poſſent.

XVI. Talibus officiis, muneribus atq; conſiliis cùm adhibitæ fuerint diaconiſſæ, id maximè cavebant ſancti προεστῶτες, ut in ordinem eum reciperent fœminas non niſi ætate provectiores. Paulus Apoſtolus *1. Tim. V, 9.* præcipit, non aliam admitti debere, qvam qvæ ſexageſimum ætatis annum attigit aut potiùs exceſſit: *Vidua*, inqvit, *eligatur non minor annis ſexaginta.* Idqve præceptum diu ita obſervatum fuit, ut præcisè exactam atq; expletam eam ætatem reqvirerent. *Nulla*, inqvit Theodoſius Imp. *in l. 27. C. Th. de Epiſc. niſi emenſis ſexaginta annis ad diaconiſſarum conſortium transferatur.* Putarunt nempe, facilem deinceps diſpenſationi futurum eſſe locû, & innumeras exceptiones excogitatum iri, ſi vel tantillum remittetur de tempore præſcripto. Ætatis hujus ſexagenariæ etiam mentionem facit Tertullianus *lib. de veland. virg. c. 9.* loqvens de viduis: *Ad qvam ſedem præter annos ſexaginta non tantùm univiræ i. e. nuptæ aliqvando eliguntur, ſed & matres, & qvidem educatrices filiorum, &c.* Et Baſilius M. *epiſt. 2. ad Amphilochium, can. 24. Vidua ſexaginta annos nata, ſi rurſus cum Viro habitare voluerit, boni communione non dignabitur* (h. e. excomunicetur) *donec ab impuritatis perturbatione*

batione ceſſaverit. Sed ſi ante ſexaginta annos eam in numerum retulerimus noſtra eſt,non mulieris culpa, (qvia ſcil. Apoſtolicam conſtitutionem transgreſſi ſumus.) Et Hieronymus *lib. 2. comment. in Eſ. Non eccleſiaſticis ſuſtentatur vidua alimentis, niſi qvæ ſexaginta annorum eſt, & maturitatem habet morum pariter & ætatis.*

XVII. *Qvid ergo?* inqvit Chryſoſtomus *in 1. Tim. V. homil. 14. Num illam annorum metimur numero? At id cujus meriti eſt? Neq; enim in ipsâ eſt, ſexageſimum impleſſe annum. Non igitur ſola ætas inſpicienda eſt, imò ſi ſexagenaria qvoq; ſit major, & bonis operibus careat, eligenda non eſt. Qvid igitur tantâ diligentiâ deſignat ætatem? Cauſam poſtea ponit, non à ſe ipſo, ſed à Viduis ipſis invectam, &c.* Seqvitur enim apud Apoſtolum, juniores Viduas ad miniſterium hoc Eccleſiaſticum ideò non admittendas eſſe, qvoniam propter ætatis levitatem, excuſſo tandem onere ſibi impoſito, de repetendo potius matrimonio cogitant, qvo fit, ut miniſterium deſerant, cui ſe obſtrinxerant. Rectè autem notat Chryſoſtomus ſolam ætatem ſexagenariam non ſufficere, ut in numerum diaconiſſarum aliqva referatur, ſed reqviri inſuper alias virtutes, qvas latiùs ipſe ex ſuggeſtione Apoſtoli exponit.

XVIII. Legem Theodoſii ſupra memoratam refert Juſtinianus *in l. 9. Cod. de Epiſc. & cler.* ſed in annorum numero valdè depravatam & corruptam. Qvinqvaginta enim tantùm ætatis annos exigit ad ejuſmodi munus ſuſtinendum, & qvidem inconſideratè admodum ſecundum præceptum Apoſtoli, cùm ſexaginta reqviſiverit Apoſtolus. Pleriqve tamen Interpretes omnes errorem hunc per librariorum incuriam commiſſum agnoſcunt. Qvandoqvidem & Photius in nomocanone *tit. 1. cap. 28.* correctâ adhuc editione uſus fuit, dum ait: *Conſtitutio nona tituli primi libri primi Codicis non concedit diaconiſſam fieri, qvæ ſexageſimum annum non ſuperavit.* Et teſtatur Ludovicus Ruſſardus, in tribus manuſcriptis exemplaribus inveniſſe ſe genuinam lectionem, qvæ etiam in Codice Theodoſiano retenta eſt. Vitioſior adhuc eſt editio Pariſienſis, qvam anno MDXVI Andreas Boucardus publicæ luci expoſuit, textumqve hunc valdè obſcurum aut ambiguum reddidit, dum numerum annorum alternativè conceptum voluit, hoc modo: *Nulla niſi emenſis qvinqvaginta vel ſexaginta annis ſecundum præceptum Apoſtoli ad diaconiſſarum conſortium transferatur.*

XIX. Ab hoc tamen jure, qvod ſexaginta annos præſcripſit, deinceps receſſum fuit. In concilio enim Chalcedonenſi qvadrageſimus annus, ut terminus à qvo, conſtitutus fuit, *can. 14. Diaconiſſam mulierem ante qvadrageſimum annum non ordinari, & eam accuratâ probatione.* Refertur à Gratiano *c. diaconiſſam 27.*

27. q. 1. Similiter in Concilio Qvini-ſexto *can. 14.* conſtitutum fuit, ne diaconiſſa ante qvadraginta annos ordinetur. Medio vero, qvod utrumqve hoc Concilium interceſſit, tempore Juſtinianus Imperator diverſimodè legem poſuit. Modo enim qvinqvageſimum annum definitum voluit, uti factum *per Novell. 6. c. 6.* in qvâ tamen falſò divinas regulas, qvas ſeqvi ſe profitetur, jactitat, modò ad qvadraginta annos habilitatem diaconiſſarum reſtrinxit, uti videre licet ex *novell. 123. c. 13. Diaconiſſam verò non ordinari in ſanctâ Eccleſiâ, qvæ minor eſt annorum qvadraginta aut ad ſecundas venerit nuptias.* Veroſimile mihi videtur, in parvis qvibuſdam Eccleſiis aliqvando propter defectum ſexagenariarum, minores ætate ad ejuſmodi munus promotas, & ex diſpenſatione illâ legem deinceps factam fuiſſe.

XX. Rationem diverſitatis aliam poſt alios tradit Nicolaus Rodriguez Fermoſinus *ad rubr. de offic. Archidiac. qvæſt. 1. n. 73.* tempus nempe qvadraginta annorum virginibus, alterum viduis deligendis ſtatutum fuiſſe; has enim propter experientiam voluptatis & exercitium rei Venereæ olim conſvetum majori indiguiſſe examine & longiori probatione. Verùm unde Fermoſinus cum ſociennis ſuis id habeat, nullibi exponit. Etſi enim concedendum ſit, etiam Virgines in ordinem diaconiſſarum lectas & receptas fuiſſe aliqvando, qvod tamen ubiqve non obtinuit, non arbitror tamen, ex verbis vel canonum vel legum, differentiam hanc, qvam fingunt, elici poſſe. Imò verò dum indefinitè loqvuntur Patres & Imperatores, nec inter ſubjecta diſtinctionem faciunt, nolim ego limitare, aut reſtringere, qvod illi univerſaliter aſſertum voluérunt.

XXI. Eam diſtinctionem, nî fallor, primi commenti ſunt Græci. Qværit nempe & objectionem ſibi movet Johannes Zonaras *ad can. Chalcedonenſ. 15.* cur Paulo ſexaginta annos præſcribente, 40. annos natam mulierem ordini diaconiſſarum adſcribi licere Synodus conſtituerit? Et reſpondet: *Dicunt, Apoſtolum qvidem de viduis, Synodum autem de virginibus ſtatuiſſe. Nam qvæ ſe ad qvadraginta annos integram incorruptamq; conſervarit, nec ullam ex virili commercio voluptatis partem deguſtaverit, poſtea diaconatus qvoq; honore & gratiâ auctam, animum ad nuptias intendere, & ejus vitæ cupiditate, cujus nullum antea uſum habuit, accendi non ita facile eſt. At vidua, qvippe in cubile Viri olim deducta, voluptatumq; illecebris delinita, erit ad libidinem proclivior. --- Viduam igitur, qvod libidini longè proclivior ſit, qvàm Virgo, ætate provectiorem eligi oportere, magnus Apoſtolus cenſuit, &c.* Hæc Zonaras libramentum qvaſi faciens inter libidinis æſtûs Virginum & Viduarum præcordia

in-

infeſtantes. Idem docet Matthæus Blaſtares, *in ſyntagm. alphab. lit.* Γ. *cap. 11.* Atqve id in ſcholas ſuas tranſplantarunt Canoniſtæ, morum ſcil. atqve affectuum arbitri & moderatores experientiſſimi. Qvi tamen doceri poterant ab Hieronymo *lib. de vitando ſuſpecto contub.* libidinem in virginibus majorem famem pati, dum dulcius eſſe putant, qvod neſciunt.

XXII. Fuit enimverò tempus, qvo nullæ in ordinem diaconiſſarum receptæ fuérunt Virgines. Idqve non ex Apoſtoli tantùm inſtituto patet, qvi Viduam, unius Viri olim uxorem, eligendam præcipit, ſed etiam ex loco Tertulliani ſupra allegato, qvem his verbis continuat: *Ad qvam ſedem præter annos ſexaginta, non tantùm univiræ, id eſt, nuptæ aliqvando eliguntur, ſed & matres, & qvidem educatrices filiorum, ſcilicet, ut experimentis omnium affectuum ſtructæ, facilè norint cæteras & conſilio & ſolatio juvare, & ut nihilominus ea decucurrerint, per qvæ fœmina probari poteſt, adeò nihil virgini ad honorem de loco permiſſum eſt.* Reprehenditqve in verbis antecedentibus Epiſcopum, qvod virginem juvenculam diaconiſſam feciſſet: *Scio,* inqvit, *alicubi virginem in viduatu ab annis nondum viginti collocatam, cui ſi qvid refrigerii debuerat Epiſcopus, aliter utiq, ſalvo reſpectu diſciplinæ præſtare potuiſſet, ne tale nunc miraculum, ne dixerim, monſtrum, in Eccleſiâ denotaretur: virgo vidua, hoc qvidem portentuoſior, quod nec qva vidua caput texit, utrumq, ſe negans, & virginem qvæ vidua deputetur, & viduam qvæ virgo dicatur.* Epiphanii tamen ætate etiã Virgines in tale conſortiũ veniſſe, probant verba ejus *in compend. doctr. de fid. Eccleſ. Sed & diaconiſſæ,* inqvit, *conſtituuntur in miniſterium mulierũ ſolum, propter reverentiam, ſi opus fuerit, balnei gratiâ, aut viſitationis & inſpectionis corporum. Et ipſæ ſint etiam, qvæ in unis nuptiis continenter ſe habuérunt, aut ab unis nuptiis viduitatem ſervarint, aut ſemper virgines ſint.* Et ad hæc ſeqviora tempora refero, qvod in Conſtitutionibus Apoſtolicis *lib. 6. c. 17.* legitur: *Diaconiſſa verò eligatur Virgo pudica: Sin autem non fuerit virgo, ſit ſaltem vidua qvæ uni nupſerit, & fidelis atq, honorata ſit.* Nec enim ſatis conſtat, qvo tempore Conſtitutiones iſtæ cõpilatæ fuerint, cum alii eas ad exitũ ſeculi ſecundi, alii ad ſeculũ tertium, qvintũ & ſextũ referãt, ut alibi docui.

XIII. Cavendum verò etiam hoc eſt, ne in lectione Veterum Scriptorum vocabulis viduæ & virginis promiſcuè ſæpè uſitatis decipiamur. Ignatius *in epiſt. ad Smyrnæos* ſalutare jubet τὰς παρθένους τὰς λεγομένας χήρας, virgines vocatas viduas. Et Clemens Alexandrinus *lib. 7. Strom.* ἡ χήρα inqvit, διὰ σωφροσύνης αὖθις παρθένος. Vidua per continentiam rurſus virgo. Sic & viduam non ſolùm eam qvæ aliqvando

do nupta fuiſſet, ſed eam qvoq; mulierem, qvæ Virum non habuiſſet, appellari, ait Labeo JCtus *in l.242.ff. §.3. de V. S.* Eodem modo & virgo apud Virgilium *6.Ecl.* Paſiphae appellatur, qvæ jam trium liberum mater fuerat. Et Terentius *in Adelph. act.4. ſcen.6.* mulierem poſt partum virginem vocat. Conf. Taubman. *ad Plaut. Ciſtellar. act.2. ſcen.3. p.385. & ad Stich. act.1. ſcen.2. pag.1053.* Olim tamen viduam propriè dictam, non aliam in diaconiſſarum numerum lectā fuiſſe Tertulliani locus ſupra allegatus oſtendit, ubi exſertè dicit, non nuptas tantùm, h. e. qvæ nuptæ aliqvando fuerunt, eligi debere, *ſed & matres, & qvidem educatrices filiorum.* Qvod de virginibus dici neqvit. Ad eundem modum etiam Theodoſius conſtitutione ſupra adductâ, viduam, *cui votiva domi proles ſit*, eligere jubet. Planè ad mentem Apoſtoli, qvi inqvirere vult, εἰ ἐτεκνοτρόφησεν, utrū liberos educaverit. Ideò ſcil. qvod ſpecimen beneficentiæ, qvæ potiſſima harum mulierum virtus eſt, in ſuis jam ediderit, & ſimili etiam erga alios affectu propenſa cenſeatur.

XXIV. Cæteras diaconiſſarum virtutes, qvibus ſe habiles ad ejuſmodi officium reddiderint, lubens nunc prætereo. Videri de illis poterunt Claudius Eſpencæus & alii qvi in Epiſtolam Pauli ad Timotheum commentarios ediderunt, tùm & ex JCtis noſtris Jacobus Gothofredus *ad ſæpè dictam l.27. C.Theod. de Epiſc. & Cler.* Id tamen omitti non debet, qvod, ubi ſemel in diaconiſſarum ordinem recepta aliqva fuiſſet, matrimonio deinceps jungi ampliùs non potuerit. Cujus rei præcipua ratio videtur iſta, qvod indigna crederetur nupta, qvæ ex facultatib9 Eccleſiæ aleretur. Atq; idcircò ſexagenariæ eligebantur, qvòd libidinis flam̄æ in illis extinctæ crederentur. Qvoniam tamen etiam juniores qvandoq; in ordinem iſtum cooptabantur, difficile erat, continentiam his ita imperare, ut nō aliqvæ ſubinde ſecundas nuptias appeterent. Et qvia fieri poterat, ut etiam ſexagenariæ aliqvando libidinis æſtu percitæ ad ſecunda vota adſpirarent, prohibitione opus erat, & eâ qvidem pœnali, ſed majore, uti arbitror, & graviore, indictâ pœnâ, qvam pro ratione culpæ.

XXV. Baſilius M. *in epiſt. ad Amphilochium 2. can.24.* rem ita definit: *Viduam, qvæ in viduarum numerum relata eſt, h.e. qvæ ab Eccleſiâ in diaconatum ſuſcepta eſt, cenſuit Apoſtolus nubentem eſſe deſpiciendam* (h. e. ut Zonaras explicat, non eſſe ampliùs ex Eccleſiæ reditibus alendam; at Apoſtolus, dum ait: *juniores viduas devita*, non agit de illis, qvæ collegio viduarum adſcriptæ jam erant, ſed prohibet, ne juniores ejuſmodi viduæ in numerum diaconiſſarum recipiantur.) — *Porrò Vidua ſexaginta annos nata, ſi rurſus cum Viro habitare voluerit, boni communione non dignabitur, donec ab impuritatis perturbatione*

tione ceſſaverit. Sed ſi ante ſexaginta annos eam in numerum retulerimus, noſtra eſt, non mulieris culpa. Veniâ eam dignam putat Baſilius, qvæ cùm nondum ſexaginta annos nata eſſet, diaconiſſa creata fuit; propterea, qvod qvi eam elegerunt, legem Apoſtolicam ſexaginta annos præſcribentem neglexerint, & ſic ipſi potius pœna digni fuerint. Sexagenarias verò, & qvæ ætatē eam exceſſērunt, ſi matrimonio junctæ fuerint, â communione ſegregandas cenſuit, donec ab impuritatis perturbatione ceſſaverint, h.e. donec â Viro ſibi juncto diſceſſerint, cum qvo non niſi impura potuit eſſe conjunctio.

XXVI. Severiores adhuc fuerunt Patres in Concilio Chalcedonenſi, qvi *can. 15.* hunc in modum decreverunt: *Diaconiſſam mulierē ante qvadrageſimum annum non ordinari; & eam cum accuratâ probatione. Si verò acceptâ manuum impoſitione aliqvanto tempore in miniſterio permanſerit, & poſtea ſe ipſam nuptiis tradiderit, Dei gratiæ injuriam faciens, illa anathematizetur cum eo, qvi ei conjunctus eſt.* Dum juniores in numerum diaconiſſarum per hunc canonem admiſſæ fuerunt viduæ, qvas καταστρηνιᾶν, laſcivire ſcribit Apoſtolus *1. Tim. 5, 11.* durum utiq; eſt, matrimonio ita eas prohibere, ut cùm maritis ſuis, qvibus contra prohibitionem deinceps nupſerint, excommunicationis vinculo teneantur. Nec verò accurata probatio, qvam præcedere volunt Patres Chalcedonenſes, qvicqvam facit, cùm στρῆνος ille, de qvo loqvitur Apoſtolus exſerere ſe potuerit, tùm demum, cùm viduæ illæ ex bonis Eccleſiæ, qvibus alebantur, benè ſanginatæ fuerint, ſumta metaphora â jumentis, qvæ benè ſaginata ferociunt, & ruptis aut avulſis habenis qvaqvaverſum vagantur. Idcircò prohibet, ne adoleſcentiores ejusmodi viduæ ad capeſſendam Eccleſiæ beneficentiam admittantur, qvod metuendum ſit, ne in vegeto corpore deſidia ardorq; ſangvinis nullo labore edomiti, libidinem accendat. Et has utiq; veniâ dignas cenſuit Baſilius Magnus. Cæterùm an votum perpetuæ caſtitatis nuncupaverint iſtæ tales diaconiſſæ, & qvid ſit illud, qvod dicit Paulus, juniores viduas, ſi violatâ promiſſione ſuâ nubſerint, damnationē incidere, qvod primam illam fidem irritam fecerint, enucleatè tradit Chemnitius *in exam. concil. Trid. ſeſſ. 8. part. 3. p. m. 479. ſeq.*

XXVII. Juſtinianus Imp. *in novell. 123. c. 30.* omnem etiam ſuſpicionis cauſam evitari â diaconiſſis jubet, qvæ oriri poſſet ex converſatione Virorum. *Diaconiſſam*, inqvit, *nullo modo cum Viro, ex qvo poteſt inhoneſtæ vitæ emergere ſuſpicio, habitare permittimus. Si verò hæc non obſervet, ſacerdos ſub qvo ſubjacet, admoneat eam, ut omnibus modis talem Virum ejiciat è ſuâ domo. Si verò hoc diſtulerit agere, Eccleſiaſtico miniſterio & propriis emolumentis alienata monaſterio tradatur,*

&

& ibi omni ſuæ vitæ tempore degat, &c. Videtur diaconiſſæ aliqvæ tùm temporis habuiſſe Viros *συνεισάκτους*, qvi qvales fuerint, ſupra expoſui. Et hos qvidem prohibet Juſtinianus *h. l.* & diaconiſſas contumaces removeri atqve in monaſterium trudi debere decernit. Qvæ pœna tùm temporis mulierum qvaſi propria & freqventiſſima fuit.

XXVIII. Seqvitur, ut videamus, qvâ ratione mulier electa in diaconiſſarum conſortium recepta fuerit. Factum autem id ſine dubio cum ſolennitate aliqvâ, ut alii actus omnes præſtantiores, ſive civiles, ſive Eccleſiaſtici. Plurima in hanc rem teſtimonia ordinationis vocabulo utuntur. Tertullianus *in exhortat. ad caſtitat. Qvantæ igitur & qvæ in Eccleſiis ordinari in Eccleſiâ ſolent.* Et *lib. 1. ad Uxor. c. 7. Diſciplina Eccleſiæ digamos non ſinit præſidere & viduam allegi in ordinationem niſi univiram non concedit.* Græci vocabulis *χειροτονίας* & *χειροθεσίας* utuntur, uti videre licet *can. 19.* Concilii Niceni I, & *can. 15.* Concilii Chalcedonenſis, it. in novellis Juſtiniani, *6. c. 6. & 123. c. 13.* Sed obſervandum *χειροθεσίας* vocabulum (qvod ordinationem denotat. *χειροτονία* enim ad electionis actum propriè pertinet, qvod electiones olim protenſis manibus fierent) dupliciter acceptũ fuiſſe, nec ſemper conſecrationem ſignificaſſe. Duplex n. olim fuit *χειροθεσία*, *εὐλογίας* videlicet, & *χειροτονίας* ſeu *καθιερώσεως*. Hæc propriè ordinatio aut conſecratio dicebatur, & adhibebatur, qvoties Epiſcopus aut presbyter miniſterio Eccleſiaſtico deſtinabatur; illa verò, etſi eâdem impoſitionis manuum ceremoniâ fieret, id tamen non conferebat, qvod prior iſta. Adhibebatur enim etiam lapſis, pœnitentibus & redeuntibus ab hæreticis ad Eccleſiam, item baptizatis, & aliis. Vid. Chriſtoph. Juſtell. *in not. ad cod. can. Eccleſ. univ. p. 155.* & conf. Ivo Carnot. *epiſt. 41.*

XXIX. Evolventi tamen mihi veterum placita videtur aliqvando invaluiſſe opinio, etiã diaconiſſis propriè dictam conſecrationem adplicatã fuiſſe & adplicari debere. In Concilio Arauſicano I, *c. 26.* ſtatutum fuit: *Diaconiſſæ omnimodo non ordinandæ; ſi qvæ jam ſunt, benedictioni qvæ populo impenditur, capita ſubmittant.* Et in Concilio Aurelianenſi II, *c. 18. Placuit, ut nulli poſtmodum fœminæ diaconalis benedictio pro conditionis hujus fragilitate credatur.* Qvid enim hîc diaconalis benedictio? non certè illa, qvâ olim diaconiſſæ inaugurabantur, qvippe qvam conditionis hujus fragilitas nõ reſpuebat, ſed innuitur benedictio talis, qvali inaugurabantur diaconi maſculi. Et hanc fœminis qvoq; applicatã fuiſſe nõ abſcurè innuit, & ne id porrò fiat, prohibet canon Aurelianenſis. Similis prohibitio facta fuit in Concilio Epaunenſi *c. 21. Viduarum conſecratione, qvas diaconas vocant, ab omni regione noſtrâ penitus abrogamus, ſolã eis pœnitentiæ*

 bene-

benedictionem, ſi converti ambiunt, imponendo. Ordinationis ritum olim uſitatū deſcribit Mattheus Blaſtares *in Syntagm. alphab. lit.* Γ. *c. 11.* his verbis: *Ea ad ſacram menſam adducta velo tegitur, extremitatibus ejus propendentibus, & poſtqvam dictum fuerit: Gratia divina qvæ infirmis medetur, nec pedes movet, nec genu, ſed tantùm caput inclinat, & tùm Antiſtes manum in eam imponens precatur, ut diaconiſſæ officium inculpatè exſeqvatur, caſtitatem & honeſtam vitæ rationē colens, & ſic in ſacris templis aſſidua ſit. -- Deinde collo ejus ſub velo Antiſtes orariū diaconi imponit, præferens duas ejus extremitates, in tempore autem participationis poſt diaconos ſacra myſteria participat, deinde poculum ex antiſtitis manu accipiens, nemini tradit, ſed in ſacram menſam reponit.* Hæc verò ſolennitas plus involvere videtur, qvàm nuda benedictio. Et in conſtitutionibus Apoſtolicis *lib. 8. cap. 20.* recenſetur oratio in ordinatione diaconiſſæ adhiberi ſolita, qvæ non multum differt ab eâ, qvæ *cap. antec. 18.* ordinationi diaconi deſtinata fuit.

XXX. Disqviri hinc cœpit, utrum Diaconiſſæ Eccleſiaſticis perſonis annumerandæ, an verò Laicis. Diſputationi anſam dedit Concilii Niceni canon decimus nonus, qvi ita ſe habet: *De Paulianiſtis, ſi ad Eccleſiam catholicam confugerint, definitum eſt, eos omninò rebaptizari. Si qvi verò præterito tempore in clero fuerint, ſi qvidem inculpati & irreprehenſibiles, rebaptiſati ordinentur ab Epiſcopo Catholicæ Eccleſiæ. Si verò examinati minus apti deprehenſi fuerint, deponi eos convenit. Similiter autem & de diaconiſſis & omninò de his, qvi ſub canone verſantur, eadem forma ſervabitur. Diaconiſſarum autem meminimus, qvæ in habitu qvidem eſſe cenſentur, qvia verò nullam manûs impoſitionem habent, ut omninò inter Laicos ipſæ deputentur.* Ex his verbis conficit Cardinalis Baronius *ad ann. Chriſti 34. n. 288.* & cum eo alii plures, Synodum Nicenam diaconiſſas inter Laicas numeraſſe.

XXXI. Sed Baronium *παροράματος* incuſat, eumq; non inſpectâ ſatis exemplaris fide locutum, contendit Auguſtinus Barboſa *de jur. Eccleſ. lib. 1. c. 36. n. 9.* & canonem Nicenum hunc in modum explicat: *Statuunt Patres qvid faciendum de Paulianiſtis, i. e. qvi â Paulianiſtarum hæreſi revertebantur: decerniturqve, ut iterum baptizentur, & reſtituantur in eum gradū Eccleſiaſticum, in qvo antea fuerant, ſi digni tamen extiterint, imponaturq; manus ab Epiſcopo, ſicut ei, cui nunqvam antea erat impoſita. Deinde decernunt, qvid de diaconiſſis fieri debeat, qvæ apud Paulianiſtas erant, & ad fidem Catholicam tranſibant, ut ſcil. baptizentur denuò & inter Laicas deinceps non diaconiſſas habeantur.* De his autem tantùm, non de diaconiſſis Catholicis ſermonem eſſe, probat Barboſa deinceps ex verbis, qvæ reperiuntur *in can. 17.* ejusdem Concilii

ex Arabico tranſlato. Et tandem verbis canonis Niceni 19. vulgaris hoc addit gloſſema: Qvæ in ordine invêtæ ſunt, vel in eâdem ſpecie ſunt, *i.e. ab eâdem hæreſi*, Diaconiſſæ veniunt computandæ inter Laicas, *ſcilicet Catholicas*, qvia manus impoſitionem non habent. *Qvam enim*, inqvit porrò, *habere poſſunt apud Paulianiſtas, qvæ ab illis diſcedentes iterum baptizabantur? imò ex iſto canone potiùs colligitur, ſacras & religioſas perſonas fuiſſe diaconiſſas Catholicas, &c.* Secundum Barboſam igitur ſenſus Canonis Niceni hic erit, diaconiſſas Paulianiſtarum, qvia impoſitionem manuum habere neqveunt, ideò qvod verum baptismum nondum acceperint, ſi ab illis diſceſſerint, rebaptizari qvidem debere, ſed inter diaconiſſas catholicas connumerandas non eſſe. Eamqve ſententiam præiviſſe videtur Ariſtênus Græcus ad *d. can. 19. Nicen.*

XXXII. Omnis difficultas videtur ex Canonis Niceni textu græco & ejus verſionibus oriri. Græca ſic habent. Ἐμνήσθη μὲν γὰρ τῶν διακονισσῶν τῶν ἐν τῷ σχήματι ἐξετασθησῶν, ἐπεὶ μὴ γὰρ χειροθεσίαν τινὰ ἔχουσιν, ὥστε ἐξάπαντος ἐν τοῖς λαϊκοῖς αὐτὰς ἐξετάζεσθαι. Hæc verba ita παραφράζει Franciſcus Florens Anteceſſor Aurelianenſis *in diſſertat. ad rubr. de vit. & honeſt. Cler. Licet diaconiſſæ conſecrationem non habeant, ut Clerici, ſed tantùm manûs impoſitionem, tamen ſpecietenus & habitu videntur eſſe de Clero*, τῷ σχήματι, *nã in rei veritate omninò inter Laicos computantur.* Schema verò hoc etiam ex eo comprobat Florens, qvod diaconiſſæ olim in notitiam, indicem, catalogum & matriculam Eccleſiæ relatæ fuerint, inter perſonas ſcil. qvibus ſumtus & alimenta ab Eccleſiâ ſuppeditabantur. Nec ab hâc explicatione abludit verſio, qvâm παραλλήλως tertio loco poſuit, & ſecundæ editionis eſſe dicit Severinus Binius. Illa enim verbis ex Græco verſis ſubjungit: *Similiter autem diaconiſſæ, qvæ in catholico canone nõ habentur, ſimili loco, id eſt, Laicæ & tanqvam non conſecratæ, deputentur.*

XXXIII. Ex his ipſis tamen verbis conficit Petrus Gregorius *de benefic. c. 37. n. 6.* duas olim fuiſſe ſpecies diaconiſſarum, unam earum, qvæ non erant in catholico canone, tanqvam Laicarum, alteram conſecratarum. Iſtas ſpecies ita diſtingvit Guilielmus Beveregius *ad can. 19. Concil. Niceni, ut una fuerit* τῶν ἐν τῷ κλήρῳ, altera τῶν ἐν τῷ σχήματι. Non malè. Videntur enim aliqvæ inter expectantes receptæ, ut miniſterio huic ſenſim adſveſcerent, nec tamen relatæ illicò in matriculam Eccleſiæ, qvippe qvæ nec ordinatæ adhuc erant, neqve alimenta ex Eccleſiæ reditibus accipiebant, interim tamen ab officio, qvod ſuſtinebant, non minùs diaconiſſæ atqve reliqvæ, qvæ conſecratæ erant, dicebantur. Et ſecundum hanc diſtinctionem cano-

nem Nicenum explicat Johannes Zonaras: *Virgines,* inqvit, *olim DEO dicatæ erant caſtimoniam profeſſæ, qvas Epiſcopi conſecrabant, ex Synodi Carthaginienſis canone ſexto, earundemq; cuſtodiæ curam gerebant, ex ejusdem Synodi 47. canone. Ex earum Virginum numero opportuno tempore, cum videlicet qvadrageſimum annum impleviſſent, diaconiſſæ ordinabantur. Verùm hæ mulieres vigeſimo qvinto ætatis anno certum qvendam habitum ab Epiſcopis accipiebant, ut 140. allatæ Synodi canone videre eſt. Hujusmodi ergò virgines, diaconiſſarum nomine, qvæ habitu cenſerentur, manuum verò impoſitione ſacratæ non eſſent, ſynodus intelligit, ac hæreſin ſuam confitentes, ab eâq; ſe abſtinentes, inter Laicos annumerandas eſſe decernit.*

XXXIV. Etiamſi verò diaconiſſæ promiſcuè omnes à Canoniſtis communiter inter Laicos referantur; concedit tamen Nicolaus Rodriguez Fermoſinus *ad rubr. de offic. Archid. qvæſt. 1. n. 70.* gaviſas eas ſemper fuiſſe immunitate Eccleſiaſticâ, & hinc optimo jure perſonis Eccleſiaſticis acceſſiſſe. Idcircò enim in matriculam Eccleſiæ, & qvidem primo poſt diaconos loco, referebantur, ut ex reditibus Eccleſiæ alimenta eis, perinde ut aliis perſonis Eccleſiaſticis, exhiberentur. Neqve negari poteſt, miniſterium earum in multis conveniſſe cùm miniſterio diaconorum. Nec dubito multum inde Eccleſiæ acceſſiſſe utilitatis, inter fœminas præſertim, qvæ miniſtrorum vultûs verebantur, & utiliter admodum diaconiſſis interpretibus uti poterant. Qvalis tamen earum fuerit ſtatus, qvave vivendi ratio, & qvaliter ſe officium earum Eccleſiaſticum habuerit, vix qvisqvam ſufficienter explicabit, & qvæ ſupra annotavimus, difficulter admodum ex veterum Scriptorum ruderibus eruuntur.

XXXV. Cæterum cùm mulieres illæ tanto in honore haberentur, & multiplici munere conceſſo inſoleſcerent, atqve majora indies affectarent, placuit non unis vicibus in Conciliis particularibus conſortium iſtud & ordinem prorſus abolere. Non obſcurè id prodit canon undecimus Concilii Laodiceni: *Qvod non oportet eas qvæ dicuntur viduæ ſeniores vel præſidentes in Eccleſiâ conſtitui, aut ordinari*, uti vertit Dionyſius Exiguus. Gratianus iſtum canonem prolixioribus refert verbis *c. ult. diſt. 32. Mulieres qvæ apud Græcos presbyteræ appellantur, apud nos autem viduæ aut ſeniores univiræ & matricuriæ appellantur in Eccleſia tanqvam ordinatas conſtitui non debere decernimus.* Atqve ita legitur etiam in ſecundâ editione apud Severinum Binium, qvi tamen pro vocabulo matricuriæ, vocem *matriculariæ* ſubſtituit. planè ad mentem Franciſci Florentis, qvi loco ſupra citato, *matricariæ* legem, dum putavit, â matrice ſcil. & notuâ Eccleſiæ, ſive matricula illâ,

in qvam diaconiſſæ noviter receptæ olim referebantur. De matriculâ illâ vid. Hieron. Bignon. *ad Marculphi form. pag. 615.*

XXXVI. Eodem pertinet Concilii Arauſicani I canó vigeſimus ſextus: *Diaconiſſæ omnimodo non ordinandæ. Si qvæ jam ſunt, benedictioni qvæ populo impenditur capita ſubmittant.* Et canon decimus octavus Concilii Aurelianenſis II. *Placuit ut nulli poſtmodum fœminæ diaconalis benedictio pro conditionis hujus fragilitate credatur.* Sed enim, uti ſupra dixi, videtur mihi in his canonibus abrogata potius ordinatio, qvæ invaluerat, qvàm diaconiſſarum officium. Qvia enim diaconiſſæ in matriculâ diaconis proximæ erant, & uti Mattheus Blaſtares *d. l.* probat, etiam ad altare admittebantur, facilè potuit opinio iſta occupare & invaleſcere, debere eas diaconali benedictione, uti loqvitur canon Aurelianenſis, in ordinem iſtum recipi. Nec aliter interpretor canonem vigeſimum primum Concilii Epaunenſis: *Viduarum conſecrationem, qvas diaconas vocat, ab omni regione noſtrâ penitus abrogamus, ſolam iis pœnitentiæ benedictionem, ſi converti ambiunt, imponendo.* Non loqvitur de abrogatione ipſarum diaconiſſarum, ſed conſecrationis tantantùm, qvæ hactenus ex falſâ perſvaſione eis collata fuerat.

XXXVII. Sed deſiit tamen ipſum totum diaconiſſarum officium, in Latinâ præſertim Eccleſiâ. In oriente enim diutiùs eas retentas, & ſeculo adhuc duodecimo earum aliqvod munus fuiſſe teſtatur Theodorus Balſamon *reſponſ. ad Marci patriarchæ Alexandrini interrogationem 35.* qvæ reſponſa extant *in jure Græco-Rom.* ab Johanne Leunclavio edito *fol. 381.* Interrogatio ita ſe habet: *Divini canones diaconiſſarum meminêrunt. Qværimus, qvale ſit earum officium?* Reſpondet Balſamen: *Olim aliqvando ordines diaconiſſarum canonibus cogniti fuêre, habebantqve ipſæ gradum ad altare. Menſtruorum autem inqvinatio miniſterium earum à divino & ſancto altari expulit.* (Eandem rationem refert Mattheus Blaſtares *d. l.*) *In ſanctiſſimâ autem Eccleſiâ ſedis Conſtantinopolitanorum diaconiſſæ deliguntur, unam qvidem communicationem non habentes ad altare, in multis autem habentes conventum, & muliebrem cœtum eccleſiaſticè dirigentes.*

XXXVIII. Tandem verò illud etiam notandum eſt, Theodoſium Magnum in gratiam diaconiſſarum & heredum ejus elegantem edidiſſe conſtitutionem, qvæ extat in *l. 27. C. Theod. de Epiſc. & Cler.* ne Eccleſiæ, Clerici & pauperes jus capiendi ullum haberent ex ultimâ diaconiſſæ voluntate. *Nihil*, inqvit, *de monilibus & ſupellectili, nihil de auro, argento, cæteriſqve claræ domûs inſignibus ſub religionis defenſione, conſumat, ſed univerſa integra in liberos, proximos, vel in qvoscunqve alios arbitrii ſui*

existi-

exiſtimatione transſcribat. Ac ſi qvando diem obierit, nullam Eccleſiam, nullum Clericum, nullum pauperem ſcribat heredes. Careat namqve neceſſe eſt viribus, ſi qvid contra vetitum circa perſonas ſpecialiter comprehenſas fuerit â moriente confectum. Immò, ſi qvid ab his morienti fuerit extortum, nec tacito fideicommiſſo aliqvid Clericis in fraudem venerabilis ſanctionis callidâ arte, aut probroſâ cujuſpiam conhibentia deferatur: extorres ſint ab omnibus, qvibus inhiaverant bonis. Et ſi qvid fortè per epiſtolam, codicillum, donationem, teſtamentum, qvolibet deniqve detegitur genere conſcriptum erga eos, qvos hâc ſanctione ſubmovimus, id nec in judicium devocetur, ſed vel ex inteſtato is, qvi ſibi competere intelligit, ſtatuti hujus definitione ſuccedat. Si qvis ſe agnoſcit filium, ſi qvis probat propinqvum, ſi qvis deniqve vel caſu, vel judicio, pro ſolido, pro portione heres, legatarius, fideicommiſſarius apertis deprehenditur codicillis, fruatur fortunæ munere, conſcientiæ ſuæ fructu. Et ſubmotis his atqve dejectis in hereditariis corporibus, poteſtate utatur heredis.

XXXIX. Rationem, cur Theodoſius noluerit Eccleſiis & pauperibus & Clericis qvicqvam ex diaconiſſarum teſtamentis acqviri ipſa qvodammodo prodit Conſtitutio, eamqve duplicem, infirmitatem ſcil. conſilii ex parte diaconiſſarum teſtamenta condentium, qvæ perſvaderi oppidò facilè poterant, ut liberis ſuis aut propinqvis neglectis facultates ſuas ſub ſpecie pietatis, Eccleſiæ aut Clericis relinqverent, hâc ratione æternam beatitudinem ſibi comparari exiſtimantes; & avaritiam ex parte perſvadentium atqve inſtantium Clericorum, qvæ tanta ſæpè eſt, ut extortum meritò dicatur Imperatori, qvod â moriente impetrabatur. Utramqve hanc rationem haud paulo clariùs ediſſerit idem Imperator in *l. ſeq. 28. eod.* ubi ſe legem promulgaſſe ait (intelligit autem *d. l. 27.*) ne qvis Clericus, neve ſub Eccleſiæ nomine mancipia ſupellectilem, prædam, vel ut infirmi ſexûs diſpoliator invaderet, & remotis affinibus ac propinqvis, ipſe ſub prætextu Catholicæ diſciplinæ ſe ageret viventis heredem. Et qvanqvâ in recentiori aut noviori hâc conſtitutione, anteriorem illam *in l. 27.* de diaconiſſarum liberalitate â Clericis non acceptandâ latam nonnihil immutaverit, permiſeritve, ut liceret diaconiſſis mobilia ſua in Eccleſiam & Eccleſiaſticos per donationem inter vivos conferre; de teſtamentis tamen atqve ultimis voluntatibus, itemqve de fundis & immobilibus qvod conſtituit, nihil omninò im̄utatum voluit. Id enim, qvod facilius qvis facit, (uti ſolent mulieres faciliores & liberaliores eſſe in ultimis voluntatibus, qvàm inter vivos,) inhibere conſvevérunt Legiſlatores freqventiùs.

SOLI DEO GLORIA.

BIBLIOTHEQUE DE LA VILLE LYON

Digitized by Google